UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 4831. M. 1
5 3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illustrissimo & Celsissimo Principi
Ferdinando Furstenbergio Episcopo
Paderbornensi, Coadjutori Monasteriensi,
optimo viro & eruditissimo, in testimonium
reverentiæ suæ offerebat
Stephanus Baluzius Tutelensis.

ANTONII AVGVSTINI ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS DIALOGORUM LIBRI DUO de emendatione Gratiani.

STEPHANVS BALVZIVS Tutelensis emendavit, Notis illustravit, & novas Emendationes adjecit ad Gratianum.

Ex legato Ilmi Principis Ferdin: Epi Paderb: et Monaster.
Ao 1683.

Collegij Societ: Jesu Paderb:

PARISIIS,
Excudebat FRANCISCUS MUGUETUS Regis & illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographus.

MDCLXXII.

STEPHANI BALUZII
TUTELENSIS
PRÆFATIO AD LECTOREM.

EXplicaturus primordia & incrementa novi juris canonici, illud ante omnia putavi debere adnotari, jus antiquum unico codice, eóque non admodum magno, comprehensum fuisse, in quo canones priscorum Conciliorum ac nonnullorum præterea Pontificum Romanorum decreta continebantur. Eo libro usa est sancta Dei Ecclesia usque ad seculum Karoli magni. Nam tum, quasi aliqua fatali necessitate, cùm mutarentur regna, mutatum quoque est jus ecclesiasticum, id est, antiquo juri, quod per septingentos & ampliùs annos valuerat, successit jus novum ex suppositiis san-

ctissimorum Romanæ urbis Episcoporum epistolis ab impudentissimo illo nebulone Pseudo-Isidoro prolatis compactum & ex novellis eorum constitutionibus qui post Karoli tempora sedem apostolicam occuparunt. Variis sanè ac magnis contradictionibus jactatum fuit illud jus, uti nuper dictum est in præfatione ad libros Reginonis de ecclesiasticis disciplinis. Vicit tamen, ut sæpe aliàs, fortuna populi Romani. Itaque nihil frequentiùs post illa tempora insonuit in auribus Christianorum quàm novellarum istarum epistolarum auctoritas & mentio, præsertim quoties aliquid tentandum fuit adversùs mores antiquos & longo usu receptas provinciarum consuetudines.

II. Jus istud novum, quo exarmata sunt jura, ut Tertulliani verbis utamur, introductum fuisse diximus ævo Karoli magni, favorabili videlicet, si unquam aliàs, tempore, ob magnam confusionem quæ in politiam ecclesiasticam invecta erat ex stupenda ac miserabili Episcoporum reliquorúmque Clericorum inscitia & vetustorum

canonum ignorantia. In hac igitur rerum perturbatione emersere famosæ illæ ac nobiles epistolæ quæ priscis Pontificibus Romanis tribuuntur, in hunc terrarum orbem delatæ à Riculfo Archiepiscopo Moguntino; seu is tum Episcopus erat, sive postea ad eam cathedram conscendit. Perculerunt illæ omnium animos sua nova antiquitate, & quia sanctissimorum Episcoporum nomina præferebant. Hinc suborta in animis hominum religio, fas non esse dubitare de jure quod in his sacræ antiquitatis monumentis continebatur. Ex eo deinde factum ut veteres constitutiones, id est, venerandi priscorum Conciliorum canones & authentica veterum apostolicæ sedis Pontificum decreta, quorum per tot annos maxima fuerat auctoritas, in contemptum paulatim venerint, novísque istis magnus honor habitus sit; ut in epistola XXVI. ad Nicolaum Papam scribit Hincmarus Remensis Archiepiscopus.

III. Constituto namque hoc novo jure, eo deinceps omnes uti cœpere qui transalpinæ potestatis amplifi-

cationem affectabant, & qui rerum omnium impunitam libertatem tenere cupiebant: qui nisi sacrosancti juris antiqui prudentiam & usum ab Ecclesia expulissent, obtinere non poterant licentiam cupiditatum suarum. Sed cùm æterno, si superi paterentur, supplicio mactatum esset illud jus quo uti Ecclesiam voluerunt qui eam fundavere, lata est quodam modo lex impunitatis, aditu videlicet reserato januáque patefacta appellandi in omnibus causis sedem apostolicam & Pontificem Romanum. unde frequentes ac graves querelæ magnorum virorum, Ivonis Episcopi Carnotensis, Hildeberti Cenomanensis, Bernardi Abbatis Clarevallensis, & aliorum. Quantumvis enim aliquis peccasset, etiamsi capitale scelus admisisset, eum provocatio ista liberabat à pœna quam sustinere debebat secundùm priscos canones spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia consecratos. Testis sit idem sanctissimus Bernardus in epistola CLXXVIII. ad Innocentium Papam II. referens querelas Episcoporum Gallicanorum adversùs appel-

lationes: *Quique flagitiosi & contentiosi de populo sive de clero aut etiam ex monasteriis pulsati currunt ad vos. Redeuntes jactant & gestiunt se invenisse tutores quos magis ultores sensisse debuerant.* Nam si semel refrangas claustra disciplinæ, actum est de moribus nostris; cùm disciplina, ut rectè observatum etiam à Livio est, sit custos infirmitatis, quam inter validiores optimè timor continet.

IV. Primus omnium Angilramnus Archiepiscopus Metensis hoc novo jure, quo Episcoporum judicia Romani Pontificis auctoritati reservantur, usus est, primus inquam omnium mortalium contra divinos canones convellere tentavit jus antiquum, *quando pro sui causa agebatur*, id est, quando accusatus de aliquo crimine, ut ego arbitror, subtrahere se voluit cognitioni suorum judicum. In eam quippe facilè sententiam eo, capitula illa quæ nunc circumferuntur sub nomine Hadriani Romani Pontificis ad Angilramnum non esse Hadriani, sed Angilramni, qui ea ex novitiis veterum Pontificum epistolis utplurimum collegit

& Hadriano obtulit ut causæ suæ præsidium quæreret. Hanc conjecturam multa adjuvant, sed in primis vetus codex MS. bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis, in quo sic habetur: *Incipiunt capitula collecta ex diversis Conciliis sive decretis Pontificum Romanorum ab Agilranno Metensi Episcopo & Adriano Papæ oblata.*

V. Anno dein DCCCXVII. Ludovicus Pius Imperator conventum egit Aquisgrani, in eóque divisionem regni instituit inter Lotharium, Pippinum, & Ludovicum. In actis istius divisionis, quæ apud nos extant, ista decernuntur de regno Italiæ cap. XVII. *Regnum verò Italiæ eo modo prædicto filio nostro*, id est, Lothario, *si Deus voluerit ut successor noster existat, per omnia subjectum sit sicut & patri nostro fuit & nobis Deo volente præsenti tempore subjectum est.* Hinc mota Bernardi Regis Italiæ ira: qui tamenetsi se sciret non ex uxore legitima Pippini fratris Ludovici sed ex concubina natum esse, tamen Italiæ, cujus eum Karolus magnus Regem fecerat post mortem Pippini patris, possessione se exturbari

ægrè ferebat. Itaque *per exhortationem malorum hominum*, ut Theganus ait, *extollens se adversùs patruum suum, voluit eum à regno expellere, habuítque impios consiliarios hinc inde.* Sed conatus ejus frustra fuit. Deficiente ergo conspiratione, punitísque auctoribus, Episcopi quidam conjurationis rei judicio Episcoporum Gallicanorum apud Aquisgranum anno sequenti congregatorum *depositi in confessione eorum facti sunt*, id est, postquam confessionem criminum suorum apud judices electos, ut tum solebant, edidissent. Unus eorum fuit Theodulfus Aurelianensis Episcopus, qui propterea in monasterium Andegavense ad agendam pœnitentiam projectus est, ubi supremum diem obiit. Hanc suam calamitatem ipse deplorat in epistolis scriptis ad Agiulfum Bituricensem antistitem & ad Modoinum Augustodunensem, innocentem se semper & ubique contestans. Sed in epistola ad Modoinum ait se, quamvis confessus fuisset crimen, judicari non potuisse ab Episcopis Gallicanis, ob eam videlicet præclarissimam rationem, quia Pallium

acceperat à Romano Pontifice.

Esto forem fassus; cujus censura valeret
Dedere judicij congrua frena mihi?
Solius illud opus Romani Præsulis extat,
Cujus ego accepi Pallia sancta manu.

VI. Novo enim jure, quod ex loco quodam sancti Leonis malè intellecto petebatur, Metropolitani, quia Pallium à Romano Pontifice receperant, judicari non poterant ab Episcopis comprovincialibus, sed apostolicæ sedis *etiam ante judicium* erat sententia præstolanda, ut ait Hincmarus in epistola XVII. ad Nicolaum Papam. Ex eo privilegio, quod descendebat ex concessione Pallij, sequi contendebat Theodulfus Aurelianensis Ecclesiæ Archiepiscopus, ut eum vocat Ludovicus Pius, non potuisse se ab alio judicari quàm à Romano Præsule, nimirum ut ea ratione declinaret auctoritatem suorum judicum. Hoc erat unum ex perfugiis novo isto jure repertis. Colligitur istud manifestè ex epistola Nicolai primi ad Actardum EpiscopumNamnetensem scripta cùm Pallij usum illi concederet. *Porrò censemus*, inquit, *apostolicæque institutionis*

auctoritate definimus ut nullus Metropolitanorum antistitum vel ceterorum Episcoporum in controversia criminis, si sedem appellaveris apostolicam vel ejus speciali expetieris audiri vel discuti fortassis examine, præsumat de te proferre non nostro præmisso decreto judicium, sed apostolicæ sedis tantùm reserveris examinandus vel judicandus incunctanter arbitrio, cujus videlicet decreto vel largitate vacanti Ecclesiæ incardinatus & PALLIATVS esse dinosceris.

VII. Secutum est postea decretum Gregorij IV. in gratiam Aldrici Cenomanorum Episcopi. Timebat ille, nescio an angore ac sollicitudine conscientiæ, sed tamen timebat ne quis eum raperet in jus, adeóque ante omnem causæ cognitionem putavit implorandum sibi esse auxilium Gregorij. Iste verò, qui satis intelligeret quantum è republica peteretur & arripiendam esse occasionem stabiliendi per universam Ecclesiam novi juris canonici, præcipuè per Gallias, patrocinium Aldrici lubentissimè suscepit; datáque epistola generali ad Episcopos universi orbis, tantùm ut unius

hominis præmoleſtiam ſublevaret, docuit Epiſcoporum judicia, præſertim ſi ſedem apoſtolicam appellaverint, peragi non poſſe abſque interventu auctoritatis Epiſcopi Romani, Aldricum porrò vetuit alibi quàm apud ſedem apoſtolicam aut ante Legatos è latere Romani Pontificis miſſos judicari.

VIII. Tandem Nicolaus iſtius nominis primus in ſede Petri locatus eſt, vir, ut ait R. P. Cellotius, ad ſuſcipiendas appellationes etiam adversùs Concilia provincialia promptiſſimus, retinendæ præterea, propugnandæ, explicandæque auctoritatis ſuæ cupidiſſimus, & qui dexteritate & audentia incredibili plurima magna & difficilia negotia ad optatum finem perduxit. Pontificatu ejus Rothadus Sueſſionenſis Epiſcopus judicio Gallicanorum Epiſcoporum in ſynodo Sueſſionenſi congregatorum depoſitus eſt anno DCCCLXIII. nequicquam eum juvante appellatione apoſtolicæ ſedis & apoſtolici Præſulis, mox verò Epiſcopus alius in loco ejus ordinatus. Nolo cantilenam toties recantatam heic recinere, præſertim cùm totam illam

hiſtoriam eleganter ac eruditè pro ſuo more explicaverit magnus ille Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis in libro ſeptimo de concordia ſacerdotij & imperij. Illud tantùm dicam, Nicolaum graviter ultum eſſe hanc *minutionem & abominationem privilegiorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ*, ut ipſa ejus verba ponamus, cùm biennio pòſt in Concilio Romano ageret de reſtitutione ejuſdem Rothadi. Cuncta autem huc verguntut oſtendat iniquum fuiſſe ſynodi Sueſſionenſis judicium, quæ præterquam quòd congregata erat ſine auctoritate Romani Pontificis, (*quod nulli fas eſt*, inquit) Epiſcopum damnaverat appellantem apoſtolicam ſedem. Et ut Epiſcopos Gallicanos faciliùs induceret ad reſtitutionem Rothadi, aperit illis vaſtiſſimum campum impunitatis, privilegia nimirum Eccleſiæ Romanæ novo jure reperta, id eſt, jus appellandi ſedem apoſtolicam in omnibus cauſis. Hæc ſunt ejus verba ad Epiſcopos ſynodi Sueſſionenſis, digna profectò quæ heic deſcribantur ad memoriam omnium ſempiternam. *Privilegia ſedis apoſtolicæ*, inquit, *teg-*

mina sunt, ut ita dicam, totius Ecclesiæ catholicæ. Privilegia inquam hujus Ecclesiæ munimina sunt circa omnes impetus pravitatum. Nam quod Rothado hodie contigit, unde scitis quòd cras cuilibet non eveniat vestrum? Sic Apostolus admonet dicens: Qui putat se stare, videat ne cadat. Quod si contigerit, ut verbis utamur propheticis, ad cujus, rogo, confugietis auxilium?

IX. Intellexit Hincmarus Laudunensis Episcopus, unus Episcoporum ad quos scripta erat epistola illa, vim pondúsque istorum Nicolai verborum. Nam cùm reus postea factus esset in synodis apud Vermeriam & apud Attiniacum congregatis, suorum scelerum conscientia cruciatus sedem apostolicam appellavit, ut eo pacto effugeret pœnas facinorum suorum. Ista disertè nos docet Hincmarus Remensis in epistola xxxv. quæ data est ad eundem Laudunensem: *Quòd dicis te in synodo apud Vermeriam indéque apud Attiniacum licentiam eundi Romam petisse, & impetrare non potuisse, omnes Episcopi qui in eisdem synodis fuerunt liquidò sciunt quoniam cùm de tuis insolentiis in-*

crepabaris, timens regulare judicium vel Regis castigationem, licentiam eundi Romam petebas. Cùm verò videbas quia Rex & Episcopi erant tibi placabiles, de ipsa licentia nihil dicebas, sicut nec modò facis, donec aliquam novitatem, ut soles, quam semper timendo expecto, iterum facias, de qua compellatus solitam cantionem de licentia tua recantes. Item in capite XVII. Concilij Duziacensis: *Qui undecunque sibi visum fuit, cùm de suis insolentiis increpatus est, licentiam eundi Romam petit, vel sedem apostolicam appellat. Quando verò Rex & Episcopi sunt sibi placabiles, de ipsa licentia nihil dicit, nec sedem apostolicam appellat.*

X. Erat sanè porta ista speciosa, nihílque in speciem favorabilius erat Episcopis. Sed quia res humanæ interdum volvuntur deorsum, contingere quoque poterat ut magnifica illa sedis apostolicæ privilegia, quæ (ut Innocentius III. ait lib. 1. epist. 230. & lib. 2. epist. 13.) instituta sunt ad præsidium oppressorum, implorarentur etiam ad opprimendos Episcopos. Neque nunc longiùs abierim à pontificatu Nicolai, ut ejusdem omnino tem-

poris exemplum adferam adversùs argumentationem ejus. Paulò antè quàm is apostolicæ Ecclesiæ thronum conscenderet, Gallicani Episcopi, quibus certum erat Episcopum scurrilem ac dementem arcendum esse à sacerdotio, tentaverant Herimannum Episcopum Nivernensem istis morbis laborantem pellere sede sua, eúmque propterea manere interim jusserant apud Metropolitanum suum Wenilonem Archiepiscopum Senonensem donec agnosci posset an dementia ejus esset sanabilis. Ea cùm sanata videretur anno sequenti, Herimannus suæ Ecclesiæ gubernationi restitutus est. Sed post aliquot exinde annos revolutus ad errores suos, Wenilonis rursum animum in se concitavit. Et is quidem omnino volebat Herimannum ab ea cathedra deturbare, tanquam indignum tanto gradu. Verùm quia ille gratia hauddubiè fovebatur Karoli Regis *infirmitatem* id est levitatem ejus ac jocos facetiásque *nequaquam fastidientis*, ut docet canon secundus synodi Suessionensis secundæ, adeóque facile non erat Episcopis Gallicanis eum loco movere,

movere, auxilio subsidióque fuit novum jus canonicum, quo judicia Episcoporum reservantur auctoritati Papæ Romani, præcipuè verò epistola Melchiadis ad Episcopos Hispanienses, quæ omnem criminum episcopalium cognitionem interdixit synodis provincialibus. *Episcopos*, inquit, *nolite judicare, nolite condemnare absque sedis hujus auctoritate. Quod si feceritis, irrita erunt vestra judicia, & vos condemnabimini. Hoc enim privilegium huic sanctæ sedi à temporibus Apostolorum statutum est servari, quod illæsum manet usque in hodiernum diem.* Itaque Wenilo, qui consilia sua in irritum casura esse satis intelligebat si de judicando Herimanno ageretur intra Gallias, adeóque externam potentiam sibi implorandam, suo suffraganeorúmque suorum nomine consuluit super ea re Nicolaum Papam, gnarus videlicet temporum suorum. Quia tamen negotium illud dexteritate quadam tractandum erat, ne justæ irarum causæ subministrarentur Episcopis Gallicanis, néve, dum Herimannum opprimere studebat, vana & rei quam agi-

tabat non profutura ac libertati Ecclesiæ Gallicanæ exitiosa inciperet, sic temperandum esse censuit actum suum ut licèt dubitare maximè videretur de auctoritate epistolæ Melchiadicæ, occasionem tamen Episcopo Romano daret ad se trahendi causam Herimanni, ratus ea ratione parum præsidij laturum Herimanno favorem Karoli. Igitur ne quid inconsultè ac temerè ageret, eò flexit ut per speciem diligentissimæ inquisitionis causam revocaret ad examen Episcopi Romani, dum Nicolaum orat ut exemplum authenticum illius epistolæ ex armario Romanæ Ecclesiæ depromptum ad se mittere dignaretur. *Vnde supplicamus*, inquit, *ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini*. Æquissima profectò erat postulatio Wenilonis, cùm si quis fictam suspicetur Romani cujuspiam Pontificis epistolam, requirere eam debeat in Ecclesiæ Romanæ chartario, ut monuit Hieronymus in apologia adversùs Ruffinum. Suspicacem tamen Nicolai animum perculit improvisa isthæc & importuna interrogatio. Ti-

mebat enim ne ſpecie reverentiæ tentarentur arcana dominationis; & ſcire fortean cupere Epiſcopos Gallicanos quid de novis illis veterum Pontificum epiſtolis ſentiret novus Pontifex Nicolaus; & an Melchiadis epiſtolam ex Romanæ Eccleſiæ armario, ubi manifeſtum erat eam non extare, poſito omni pudore miſſurus eſſet. Ergo vir prudentiſſimus, ne ſuſpicionis iſtius aut metus foret manifeſtus, néve ea per imprudentiam reſcriberet per quæ ſuam famam dehoneſtaret ſi falſus intelligeretur, Epiſcopos Senonenſes, quoad hoc, ſine reſponſo reliquit, poſtulatáque eorum eluſit plurima ipſorum laudatione & multùm conteſtatus Herimannum abſentem & inauditum damnari non debere. Sic inter metus Wenilonis & ſuſpiciones Nicolai Herimannus tutus fuit & in ſede ſua remanſit. Sed ſi religioſiſſimus iſte Pontifex ea tum audacia armatus fuiſſet qua poſtea abundavit in cauſa Rothadi, Herimannus hauddubiè oppreſſus atque obrutus fuiſſet ſub tegmine privilegiorum ſedis apoſtolicæ.

XI. Nam licèt Rothadus canoni-

cè à quinque provinciarum Episcopis dejectus fuisset, aliúsque in loco ejus secundùm regulas ordinatus, ausus est tamen Nicolaus eum sedi suæ restituere, insuperhabito synodi Gallicanæ gravissimo judicio. Et qui ad Senonensium Episcoporum interrogationem tremebundus & plenus timoris rescribere noluerat de auctoritate epistolæ Melchiadicæ, quæ una est ex suppositititiis Romanorum Pontificum epistolis ex quibus conflatum est novum jus canonicum, nunc audacior factus in gratiam Rothadi, de restitutione ejus scribens ad Episcopos Gallicanos non dubitavit asserere sanctam Romanam Ecclesiam penes se in suis archivis recondita habere decretalia isthæc priscorum Pontificum constituta. *Absit enim*, inquit, *ut cujuscumque ipsorum, qui usque ad ultimum vitæ suæ diem in fide catholica perseveravit, vel decretalia constituta vel de ecclesiastica disciplina quælibet exposita debito cultu & cum summa discretione non amplectamur opuscula, quæ duntaxat & antiquitus sancta Romana Ecclesia conservans, vobis quoque custodienda manda-*

vit, & penes se in suis archivis & vetustis rite monumentis recondita veneratur. Stabilito hinc novo jure, Rothadum nequaquam cunctans & diffidens, ut antea, sed liberè & intrepidè restituit gubernationi Ecclesiæ Suessionensis, eúmque mox ad Karolum Calvum Regem Francorum in comitatu Arsenij Legati sui misit tectum ac munitum nuper inventis sedis apostolicæ privilegiis. Audacia tamen illa, quamvis feliciter Nicolao cesserit, effugere non potuit reprehensionem vetusti scriptoris annalium Bertinianorum, qui de restitutione Rothadi agens ad annum DCCCLXV. his eam verbis, audaciam audaciæ opponens, perstringit: *Circa medium Iulium mensem in Attiniacum palatium Arsenius veniens, Rothadum CANONICE à quinque provinciarum Episcopis dejectum, & à Nicolao Papa non REGVLARITER sed POTENTIALITER restitutum, secum reducens, Carolo præsentavit.*

XII. Hincmarus quoque Remorum Archiepiscopus eandem restitutionem iniquam esse pronuntiavit, non quidem palam & apertè, sed ver-

bis subobscuris, quæ tamen ostenderent in ea sententia illum esse, judicia Conciliorum provincialium cassari non posse auctoritate Romani Pontificis. Nam cùm Hincmarus Laudunensis Episcopus juvenili petulantia, fretus præterea manifestis Romanorum odiis adversùs Remensem, avunculo, ut eum ureret per commemorationem malorum eventuum, exprobraret cassationem depositionis Rothadi, Hincmarus Archiepiscopus, vir antiquæ libertatis, quantum sinebant illa tempora, retinentissimus, insanam ejus temeritatem refellit his verbis in capite quinto opusculi LV. capitulorum, cuncta referens ad vim & auctoritatem Nicolai: *Nostrum judicium PER REGVLAS executum sedes apostolica non cassavit, sed Rothado, qui ad eam fecit confugium, humiliter poscenti, (quoniam legati nostri, qui causam ejus examinavimus, cum literis, sicut præcipiunt canones, priùs non venerunt, clusas transire prohibiti, quàm ab eo, sed & ab aliis plurimis, suggestionem inde susciperet) sicut suo sapientissimo consilio judicavit, solatij benignitatem impendit.* Itaque

ait, non quidem cassatum fuisse judicium synodi Gallicanæ adversùs Rothadum, sed à majoris auctoritatis judice Nicolao Papa immutatum. *Quoniam judicium nostrum à majoris auctoritatis judice immutari non autem aliter cassari CANONICE poterat.*

XIII. Famosa est annalium monumentis historia depositionis ejusdem Hincmari Laudunensis Episcopi, adversùs quem Rex Karolus Calvus & Hincmarus Remensis accusationem instituerunt in tribus synodis Ecclesiæ Gallicanæ. Agebatur de spreto Metropolitano, de violata disciplina ecclesiastica, de crimine læsæ regiæ majestatis. Existimant nonnulli injuria sævitum esse in Episcopum Laudunensem, & Remensem in hoc loco arguunt inhumanitatis ac crudelitatis. Viderint illi quas causas habeant ita sentiendi, livorémne & invidiam adversùs memoriam magni viri, an amorem tantummodo justitiæ & veritatis. Ego dum recenseo totam illam historiam, video multa dicta adversùs Laudunensem, multa scripta, & rem servato juris ordine processisse. Ipse cri-

mina ſua fateri noluit neque ſententiam in ſe dicere. Pertinaciſſimam interim contumaciam adversùs Metropolitanum ſuum ſemper oſtendit, etiam cum frequentibus contumeliis. Cùm verò urgebatur timore pœnæ, fieri ſibi poteſtatem petebat, ut ſuprà vidimus, adeundi ſedem apoſtolicam, tum ut illic cauſam ſuam audiri procuraret, tum ut votum perſolveret quo ſe vir piiſſimus obſtrinxerat ad viſenda Apoſtolorum limina. Negatum eſt ſemper homini. Sed quibus ſe ille inter has tempeſtates armis juvabat? Decretis nimirum apocryphis Romanorum Pontificum, quæ uſque ad nauſeam recantabat. Res eſt adeo nota ut probatione non indigeat. Adferam tamen teſtimonium Hincmari Remenſis ex capite XI. Concilij Duziacenſis: *Poſt hæc quærens adinventiones ut ſe à metropolitana ſubjectione poſſet exuere, libellum de antiquorum patrum ſcriptis ante ſacros Nicænæ ſynodi & aliorum ſanctorum canones editis collegit, in quibus ſententias inter ſe diſſonas & contra evangelicam & apoſtolicam atque catholicam & apoſtolicæ ſedis auctoritatem immiſcuit.*

In quo libello cum aliis diversis & sibi aversis sententiis subscripsit, & à Clericis parochiæ suæ subscribi fecit, quia non possunt Episcopi humano condemnari examine, quos Deus suo reservavit judicio. Magnos tamen illos conatus infeliciter cessisse constat Hincmaro Laudunensi, & illi parum auxilij attulisse novum jus canonicum, cujus auctoritatem is summo studio extollebat.

XIV. Ex actis Concilij Remensis adversùs Arnulfum Archiepiscopum habiti anno DCCCCXCI. colligi potest extremum ferme, ut ita dicam, spiritum traxisse tum vetus jus canonicum, tamenetsi multa præclarè ac fortiter dicta factáque in eo conventu sint ad laudem & gloriam Ecclesiæ Gallicanæ. Arnulfus agebatur reus majestatis, accusantibus Hugone & Roberto Francorum Regibus. Urgebatur reus gravitate accusationum & pondere veterum regularum. Vicit tum vetus disciplina, servatáque est venerandæ antiquitati sua reverentia. Fuere nihilominus qui deploratissimæ causæ suppetias ferre tentarent. Sed ij tamen nulla ferme alia præsidia in cau-

sam induxerunt præter falsas illas veterum Romanorum Pontificum epistolas, in quibus cavetur ne Episcopi judicentur absque auctoritate Episcopi Romani, cassáque & irrita decernuntur judicia quæ prætermisso hoc ordine ferri contingeret. Verùm ista magnorum nominum commemoratione non admodum permotos fuisse Episcopos nostros hæc res indicio est quòd multa primùm reverentia usi erga Romanorum Pontificum decreta quæ proferebantur, licèt falsa haud dubiè esse intelligerent, cùm ad eam partem ventum est in qua certum erat Episcopis non passuros se ut novum jus invalesceret adversùs veteres regulas, neque aliquid suppeteret quo manifesta decretorum istorum verba eludere interpretatione possent, tum decretis illis liberè opponunt canones Africanos qui de judicandis intra provinciam Episcopis decreverunt, etiam in fine actorum propterea describentes Concilium sextum Africanum sive Carthaginense, ut pluribus diximus in præfatione ad Reginonem. Itaque repudiatis Arnulfi ac fautorum ejus subterfu-

giis, damnatus est reus, & Gerbertus summo omnium consensu in loco ejus ordinatus secundùm canones antiquos.

XV. Hactenus aliqua species libertatis superfuerat. Deinceps autem sapientissimo Romanorum Pontificum consilio visum est coërcendam esse intra certos limites Episcoporum auctoritatem castigandámque acriter ac severè eorum audaciam qui causas quaslibet judicare præsumerent inconsulta sede apostolica. Initium factum est ab Episcopis qui Concilio isti Remensi interfuerant, adversùs quos excandescens Joannes XV. *valde indignatus super hoc facto, interdixit sacris omnibus Episcopis qui Arnulfum dejecerant & Gerbertum ordinaverant;* ut docet continuator Aimoïni lib. v. cap. XLVI. Et tamen inerat adhuc aliquid priscæ virtutis in Gallia post tonitrua illa & fulminum jactus ex arce Tarpeia. Quamvis enim Leo Abbas à Joanne missus in Gallias Arnulfum restituisset Ecclesiæ Remensi anno DCCCCXCV. in synodo habita apud Durocortorum Remorum, Arnulfus nihilo minùs in custodia attinebatur, donec sub Gregorio

gorio V. amissam libertatem sedémque aliquantisper recuperasse visus est. Nondum tamen, post tot Romanorum conatus, plena fuit ac perfecta illius restitutio; quæ tunc citra controversiam obtinuit postquam Gerbertus in sede Romana locatus, dictus Silvester secundus, epistolam ad eum scripsit qua simul finis impositus est miseriis Arnulfi & stabilitus usus novi juris canonici.

XVI. Ardebat ea tempestate Gallia bello gravissimo, discordia, cupiditate, ceterísque generis ejusdem. Inter hæc mala & inter initia condendæ novæ Regum Francorum familiæ, cujus auctor & fundator fuit Hugo cognomento Capetus, multæ ac variæ violandarum mutandarúmque legum ecclesiasticarum causæ & occasiones fuere, in quibus velut sopita Gallorum virtus connivere quodam modo visa est. Stabiliendo hinc novo juri canonico lata ac spatiosa aperta via est. Hujus tamen facinoris gloria debetur utplurimum Legatis quos Romani Pontifices immiserunt in universas orbis nostri provincias; quorum

tanta

tanta, ut alibi diximus, adeóque splendida ac magnifica potestas erat ut omnes causæ ecclesiasticæ ab eorum nutu ac voluntate penderent, nemine aut raro tum obsistere auso. Itaque dormitante, ut ita dicam, antiquo jure, sola ferme deinde in Occidente per multum ævi valuit auctoritas epistolarum pontificiarum quæ extant in collectione Isidori, præcipuè verò postquam Decretum Gratiani publicæ legis vim robúrque obtinuit. De quo libro antè quàm plura dicamus, necesse est ut paucis agamus de his qui ante Gratianum lucubrationes istiusmodi ediderunt, Reginone nimirum, Burchardo, Anselmo, & Ivone.

XVII. Regino Abbas monasterij Prumiensis, cùm hinc pulsus se recepisset in monasterium sancti Maximini Trevirensis, illic privatam vitam agens libros duos de ecclesiasticis disciplinis & religione Christiana scripsit circa annum DCCCCVI. jussu Rathbodi Archiepiscopi Trevirensis, in quibus condendis usus est præcipuè canonibus antiquis & finceris Romanorum

Pontificum

Pontificum decretis, tum etiam, quamquam non admodum frequenter, pseudepigraphis epistolis ab Isidoro collectis, Capitularibus Regum Francorum, & dictis sanctorum patrum. Editionis illum honore primus donavit vir clarissimus Joachimus Hildebrandus. Nos verò rursum edidimus anno MDCLXXI. emendatum ex fide vetustissimi & optimi codicis. Porrò ne videamur actum agere, lectorem remittimus ad præfationem quæ illi nostræ editioni præfixa est.

XVIII. Burchardus deinde Wormatiensis Episcopus simile opus aggressus circa annum MXX. bene multa accepit ex Reginone, plurima de suo addidit, pleraque corrupit, uti nuper ostensum est pluribus ad Reginonem. Cùm itaque in hoc argumento fusè me & abundanter illic exercuerim, res postulare videtur ne eandem materiam retractem. Heic tantùm addam, posse Burchardum eximi à culpa si vera sunt quæ narrantur in libro de gestis Abbatum Gemblacensium, nimirum auctorem Decreti Burchardici non esse Burchardum,

Burchardum, sed Olbertum Abbatem Gemblacensem, *quo dictante & magistrante Burchardus magnum illud canonum volumen centonisavit.* Testatur istud ipsum, sed modestiùs, Sigebertus in Chronico ad annum MVIII. *Burchardus quoque sit Vvormacensium Episcopus: qui in scripturis studiosus, magnum illud canonum volumen edidit, scripturarum sententiis undique compilatis defloratum, collaborante sibi in hoc magistro suo Olberto Abbate viro undecunque doctissimo.* Sed ipse se clariùs explicat in libro de scriptoribus ecclesiasticis; ubi de Olberto loquens, hinc eum laudat *maximè, quòd Burchardus Episcopus Vvormatiensis ejus magisterio ad hoc est provectus ut ita ecclesiasticæ utilitati intenderet ut ejus studio, ore, & manu illud magnum canonum volumen ad communem omnium utilitatem ederet.* Rem tamen aliter narrat Bartholomæus Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis pag. 328. ex MSS. Gemblacensibus & sancti Jacobi Leodiensis, nimirum Burchardum, cùm Lobij hoc tempore monachus Olbertíque auditor esset, *tantam literarum cognitionem attigisse ut incredibili Chri-*

stianæ reipublicæ bono descriptum in viginti libros decretorum volumen luci dederit. Hujus operis Burchardici tria nos antiquissima exemplaria vidimus optimæ notæ.

XIX. Sæpe laudari solet collectio Anselmi Episcopi Lucensis, qua usi sunt in primis Correctores Romani & Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis. Verùm iste multùm dubitare visus est de ejus auctoritate; primùm quia in vetustis codicibus quos ipse vidit nullus titulus erat neque nomen auctoris; deinde quia videbat nonnullorum illic Romanorum Pontificum decreta esse inserta qui, vivo Anselmo, ad apicem episcopatus non pervenerunt. Alium ego nuper codicem, eúmque optimum & antiquissimum, beneficio optimi doctissimíque viri Domni Lucæ Dacherij nactus sum ex bibliotheca monasterij sancti Germani Parisiensis, in quo neque titulus ullus extat neque nomen auctoris. Hic autem liber iis quos vidit Antonius Augustinus ex eo præstat quòd nulla in isto decreta Pontificum Romanorum contineantur qui post annum

MLXXXVI. apostolicam sedem tenuerunt. In veteri tamen codice istius collectionis, cujus exemplum ex bibliotheca Barberina ad se missum idem Dacherius mecum communicavit, hæc in titulo scripta sunt, quæ librum illum adjudicant Anselmo Episcopo Lucensi.

In Trinitatis nomine sanctæ & individuæ. Incipit hinc feliciter istius libri series, quem sanctus ex Italia Anselmus, quique Pontifex Lucanæ fuit Ecclesiæ, vir prudens ac catholicus, in Christi fide fervidus, carpsit ex toto canonum patrum sanctorum corpore.

Sed aut fallit titulus, aut certè multùm interpolatus est hic liber, ut rectè adnotatum est ab Antonio Augustino. Nam illic continentur plurima Urbani II. & sequentium Pontificum decreta, quorum ævo Anselmus vivere desierat. Quin etiam multa sunt quæ hanc collectionem abjudicare videntur Anselmo Episcopo Lucensi. Primò auctoritas vetusti scriptoris vitæ ejusdem Anselmi à Sebastiano Tengnagelio editus, qui lucubrationes magistri ac domini sui recensens, nullam

collectionis istius mentionem facit, non omissurus, ut videtur, tam præclarum opus si tum fama fuisset compositum ab Anselmo fuisse. Deinde Sigebertus monachus Gemblacensis, horum temporum scriptor, dum in Chronico & in libro de scriptoribus ecclesiasticis enumeraret libros ab Anselmo compositos, ne verbum quidem ullum fecit de collectione ista. Denique Trithemius, qui tot libros viderat, non vidit collectionem canonum ac decretorum Anselmo Lucensi Episcopo tributam, cùm altum de ea silentium apud illum sit. Non senserat ista monumenta Antonius Augustinus. Et tamen huc inclinare visus est ut collectionem illam non putaret esse Anselmi; adeóque conjecturam fecit de Hildeberto Cenomanensi, quem constat aliquid simile olim tentasse. Sed totam istam controversiam relinquo definiendam doctissimo viro, quem suprà nominavi, Lucæ Dacherio, qui collectionem illam, cujuscunque tandem sit, daturus est in tomo duodecimo Spicilegij.

XX. Sequitur Ivo Carnotensis

Episcopus, vir magni in Ecclesia Dei nominis, cujus lucubrationes in omnium manibus versantur. Extant duæ canonum ac decretorum collectiones antiquæ huic auctori tributæ, quarum una DECRETUM IVONIS vulgò vocatur, altera PANNORMIA, utraque eandem habens præfationem. Quo factum est ut viri docti putaverint Pannormiam non esse Ivonis opus, sed Hugonis cujusdam Catalanensis aut alterius incerti scriptoris qui Decretum in compendium redegerit, fundum suæ illius opinionis accipientes ex Vincentio Bellovacensi, qui libro XXV. Speculi historialis cap. LXXXIV. testatur Hugonem illum ex eodem volumine abbreviato libellum portatilem composuisse qui SUMMA DECRETORUM IVONIS appellatur. Sed opus illud diversum fuisse à Pannormia vel hæc res indicio est quòd *Summa Decretorum Ivonis* inscriptum fuerit, cùm Pannormia in vetustissimo codice MS. sancti Victoris Parisiensis, in duobus etiam antiquis codicibus MSS. monasterij sancti Albini Andegavensis, de-

nique in omnibus editionibus, Pannormia semper vocetur, nunquam Summa Decretorum. Præterea vir istarum rerum peritissimus Antonius Augustinus ex eo collegit Pannormiam non esse epitomen decretorum Ivonis quòd pauca sint in quibus hæ duæ collectiones inter se conveniant. Cæterùm aut valde me fallit amor suscepti negotij, aut deprehendisse mihi videor Victorinum Pannormiæ codicem multò antiquiorem esse Hugone Cathalanensi, quisquis tandem homo ille fuerit. Unde certò colligi potest Vincentium de quodam alio opere loqui quo caremus absque ullo bonarum literarum dispendio.

XXI. Ego in ea sum sententia ut omnino putem Ivonem primò scripsisse Pannormiam, & præfationem eodem tempore confeciisse quæ postea magno decretorum volumini præfixa est. Nam cùm videret haud dubiè Pannormiam successum habuisse prosperum & commendari ob utilitatem suam, putavit sistendum heic non esse adeóque majus opus aggrediendum. Sed priùs quàm de majori illo

opere agamus, res postulare videtur ut ad Pannormiam redeamus, de nomine ipso paulisper acturi. Sunt qui putent non Pannormiam aut Panormiam vocari debere, sed Pannomiam, adeo ut Antonius Possevinus in Apparatu eorum inscitiam traducat qui *Græcæ linguæ inscientes Panormiam scribunt, cùm Ivo Pannomiam scripserit, hoc est, quod omnes complectitur leges.* Religiosior fuit Sebastianus Brant, qui primus hanc conjecturam fecit, primus omnium Pannormiam typis vulgavit. Hic enim cùm sententiam suam promeret de etymo istius vocabuli, duas diversas interpretationes afferens, unam è Græco sermone, alteram è Latino, Pannormiam tamen & heic & in titulo operis vocavit, lectori arbitrium integrum relinquens amplectendi quam mallet etymologiam. *Appellavit autem*, inquit, *hunc suum librum Pannormiam, quasi totius justitiæ sive legis materiam continentem, (Pan enim totum, nomos verò lex seu nomia justitia Græcè dicitur) vel, ut alij volunt, Pannormiam à norma, quæ & regula à quibusdam dicitur, sive fabrorum directorium.* Quic-

quid sit de nomine, Græcámne originem habeat an Latinam, an ex utraque conflatum sit, parum refert. Illud certè constat Pannormiam vocari in manuscriptis codicibus & libris editis. Sic enim habet utrobique initium operis: *Incipit prologus Pannormiæ Ivonis Carnotensis Episcopi de multimoda distinctione scripturarum sub una castorum eloquiorum facie contentarum. Exceptiones ecclesiasticarum regularum &c.* Sic pariter in veteri codice suo legerat Joannes Trithemius: qui in libro de scriptoribus ecclesiasticis agens de Ivone, ita loquitur: *Scripsit post Burkardum Vormacienſem Episcopum ex canonibus sanctorum compendiosum decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur Iuristæ, quod prænotavit Panormiam lib.* 10. *Excerptiones eccles.* Eundem quoque titulum habuisse manuscriptum exemplar Pannormiæ quod sibi comparaverat Antonius Contius hinc liquidò constat quòd scribit illud fuisse simili codici qui DECRETA PARVA YVONIS inscribitur in bibliotheca sancti Victoris, id est, illi quem nos suprà laudavimus.

XXII. Divisa est Pannormia in partes octo, Decretum in decem & septem. Utrique operi præfixa est, uti diximus, eadem præfatio; in cujus fine ista utrobique leguntur: *Deinceps singularum partium totius voluminis intentionem breviter perstringemus, ut hinc prudens lector advertat quid in unaquaque parte sibi necessarium quærere debeat.* Statim verò describit auctor quid in unaquaque Pannormiæ parte contineatur, multùm diverso ordine ab eo qui servatus est in compositione Decreti. Ceterùm præfatio illa uno tenore decurrit in codice Victorino, cùm in editionibus secta perperam sit in capita XLIII. in quibus continetur elenchus octo partium integri operis.

XXIII. Prima illius per typographos editio exiit Basileæ anno MCCCCXCIX. studio & opera Sebastiani Brant, secunda Lovanij anno MDLVII. accurante Melchiore à Vosmediano. In utraque in calce libri consequentibus numeris descripta sunt decreta Innocentij secundi, quæ doctorum virorum conjecturæ locum fecerunt ex eo suspicantium Pannormiam non esse

Ivonis opus, cùm Ivo multò antè rebus humanis excesserit quàm Innocentius fieret Romanus Pontifex. Huic tamen doctorum virorum scrupulo faciemus satis si cum Antonio Augustino dicamus addita esse decreta illa Pannormiæ, non esse partem ejus collectionis. Testatur præterea idem Augustinus habuisse se veterem librum Pannormiæ in quo decreta Innocentij secundi non extabant, sicuti non extant in optimo & antiquissimo Victorino, in quo caput quod est cxxxvi. octavæ partis in editionibus (*Leo Papa in synodo congregata &c.*) finem imponit Pannormiæ. Postea verò nihil aliud reperitur scriptum in codice illo. Et hæc de Pannormia dicta sufficiant. Redeamus ad Decretum.

XXIV. Cùm videret Ivo, uti suprà dicebamus, Pannormiam favorabiliter acceptam, manibus studiosorum versari, majus opus aggredi statuit, in quo & causas tractaret abundantiùs, ac præterea excurreret ultra præfixos Pannormiæ terminos. Ergo incipiens rursum à præfatione, opus quod in octo tantùm partes pri-

mò diviserat, nunc in decem & septem distribuit, mutato tamen ordine. Opus illud vulgò vocatur DECRETUM IVONIS, initio facto ab editione Joannis Molinæi viri doctissimi. In vetustissimo tamen codice MS. bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis nullus in fronte titulus extat, neque nomen auctoris, sed in fine libri hæc tantùm scripta sunt: *Explicit liber canonum.* Et mox in sequenti folio alia manu multò recentiore: *Liber canonum superscriptus* DECRETA IOVINIANI, *quem composuit Yvo quondam Carnotensis Episcopus, & continet decem & septem partes principales.* Viderat hunc codicem Antonius Contius, qui in præfatione sua in Decretum Gratiani loquens de duabus canonum ac decretorum collectionibus Ivoni tributis hæc ait: *Duplex ejus volumen hoc titulo insignitum reperi. Unum majus, & magnitudine sua longè excedens Gratiani volumen, quod ex bibliotheca sancti Victoris Parisiensis nobis aliquando communicatum est. Huic operi inscriptum titulum hunc invenimus:* DECRETA IOVINIANI. *Verùm hanc inscrip-*

tionem falsam puto & ignorantia librariorum adscriptam, cùm eadem illic sit præfatio quæ apud Ivonem in minori volumine Pannomiæ, & idem ferè ordo, nisi quòd illud volumen multò plures habet partes & titulos & canones, in septemdecim quippe partes divisum. Duas operis majoris editiones hactenus habemus, unam quæ anno MDLXI. prodiit Lovanij, alteram quæ Parisiis ante hos viginti annos. Quæ sit inter illas differentia, utra alteri præstet, faciliùs intelligi quàm explanari potest. Illud tantùm admoneri debere visum est, synopsim rerum dicendarum quæ sequi debuit post ultima verba præfationis, prout verba ipsa indicant & auctoritas codicis Victorini, suo loco positam esse in editione Lovanienſi, in Parisienſi verò præfixam vitæ Ivonis quæ antecedit præfationem.

XXV. Superest ut de Gratiani Decreto heic agamus, quòd ea Antonio Augustino prima fuerit & maxima scribendorum dialogorum causa & occasio. Non ambigitur quin Gratianus operis illius auctor sit, tamenetsi plerique veteres libri & antiquæ editio-

nes non præferant in fronte nomen ejus. Nam in pleriſque vetuſtis hujus collectionis exemplaribus, ut admonent Correctores Romani, hæc tanquam inſcriptio rubris literis poſita eſt: *Concordia diſcordantium canonum.* quæ extat etiam in duobus codicibus MSS. bibliothecæ regiæ, in uno ſancti Germani Pariſienſis, & in alio bibliothecæ Colbertinæ, tum etiam in antiquis editionibus. Quin & auctoritate Innocentij III. probari poteſt hunc jam tum fuiſſe titulum Decreti Gratiani. Etenim is in cap. *Innotuit* de elect. reſpiciens ad ea de quibus Gratianus tractat in diſtinctione ſexta & quinquageſima, utrum filij Preſbyterorum poſſint ad ſacros ordines promoveri, cùm retuliſſet diverſas canonum ſententias, demum addit: *Quidam verò ad concordiam diſcordantia revocantes, repugnantiam canonum prædictorum quodam modo ſopire videbantur, dicentes &c.* In duobus tamen antiquis libris MSS. bibliothecæ ſancti Victoris Pariſienſis titulus iſte non extat, neque nomen auctoris.

XXVI. Operæ pretium eſt heic referre admonitionem eorum qui pri-

mi post typographicam artem inventam emiserunt in lucem istud Gratiani opus. Volumen est magnæ molis, tum rariſſimum, utpote cujus unicum exemplar hactenus viderim; quod mecum pro amicitia nostra communicavit vir mihi sæpe laudatus Lucas Dacherius monachus Benedictinus. Erunt haudddubiè quos delectabit scire per quos primùm & quo tempore editus sit hic liber; quibus auspiciis, quibus exhibentibus sumptus & operas; ut solebant in initiis typographiæ omnia ista adnotari. Sic ergo legitur in calce illius editionis.

Anno incarnationis dominicæ M. CCCC. LXXII. Idibus Augustiis; Sanctissimo in Christo Patre ac Domino Domino Sixto Papa quarto Pontifice Maximo; Illustrissimo, nobilissimæ domus Austriæ, Friderico Romanorum Rege gloriosissimo, rerum dominis; Nobili necnon generoso Adolpho de Nassau archiepiscopatum gerente Maguntinensem; in nobili urbe Moguncia; quæ nostros apud majores aurea dicta, quam divina etiam clementia dono gratuito præ ceteris ter-

rarum nationibus arte impressoria dignata, est illustrare, hoc præsens Gratiani Decretum, suis cum rubricis, non atramentali penna, cannáve, sed arte quadam ingeniosa imprimendi, cunctipotente adspirante Deo, Petrus Schoiffer de Gernsherheym suis consignando scutis feliciter consummavit.

XXVII. Secunda, quam quidem viderim, editio Gratiani prodiit Venetiis septennio pòst, accurante Petro Albignano Trecio; cujus extat in fronte præfatio ad cives Brixianos, & in fine epistola ad Bartholomæum Puteum divæ Agathæ Brixianum Præpositum, cujus hortatu ipse emendandum susceperat Decretum Gratiani. In fine autem voluminis hæc adnotata sunt: *Impendio ac liberalitate Iohannis Colonie Agrippinen. Iohannisque*

Manthen Gheretzen ex illustri ac populosa Germania originem ducentium, divinus decretorum codex impressus Venetiis, accuratissimè iteratò emendatus per egregium ac clarissimum juris utriusque consultũ Dominum Petrum Albignanũ Trecitã Venetiis Sixto IIII. Sũmo Pon. anno viij. Imperatore Federico. iij. Iohanne Mocenico inclyto Venetorum Principe, iij. Nonas Ianuarias, Anno salutis dominicæ M. CCCC. LXXIX. *Laus Deo.*

XXVIII. Hactenus editiones non præferebant in fronte nomen Gratiani, tamenetsi de re satis constaret. Prima, quod sciam, editio Parisiensis anni MDVIII. Gratiani nomen in titulo habet, hoc modo. *Decretum aureum divi Gratiani, cujus titulis talis est: Incipit concordantia discordantium canonum.* In fine autem libri hæc leguntur. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Tripartitum Decreti aurei opus insigne atque laudabile fideliter, ut lectio ipsa indicabit, elimatum, multis admodum aptis & utilibus adjunctis, finem accepit in alma Parisiensi achademia expensis & opera Iohannis Petit & Thielmanni Kerver bibliopolarum Parisiensium in vico divi*

Iacobi sejunctis hospitiis commorantium & Iohannis Cabiller mercatoris benemeriti Lugduni moram trahentis anno salutis millesimo quingentesimo octavo, die VIII. *Februarij*. Sed redeamus nunc ad auctorem.

XXIX. Scripsit Gratianus istud opus ævo Eugenij III. Romani Pontificis; ut in pervetusto libro Vaticano scriptum esse testantur Correctores Romani, & præterea adnotatum est ab auctore glossæ 2. q. 6. c. 31. §. *Forma*. Permulta descripsit ex Ivone & Burchardo, uti jam observatum est à viris doctissimis, etiam errata eorum retinens in collectione sua. Origo autem omnium ferme istorum erratorum fuit audacia Burchardi, qui locorum in collectione sua relatorum & verba sæpe mutavit & ad non suos auctores propria temeritate transtulit, quemadmodum nuper pluribus ostensum est ad Reginonem. Superiore seculo Galli duo doctissimi, Antonius Democharis & Antonius Contius, tentaverunt cuncta apud Gratianum reducere in ordinem, felicibus interdum conatibus. Sed majoris diligen-

tiæ ac laboris opus erat quàm ut perfici à duobus posset. Itaque Romani Pontifices eam curam commiserunt aliquot viris doctis à se delectis, quorum catalogum exhibet Antonius Augustinus in fine prioris libri istorum dialogorum. Sanè negari non potest quin multùm debeamus Romanis Correctoribus, quorum opera & studio factum est ut quamplurima capita suis auctoribus restituta sint, quos in Gratiani libro non agnoscebant, facta nominis alieni. Quo unico facinore fatendum est maximam crucem ademptam esse hominibus istarum rerum studiosis. Unum in Correctoribus illis reprehensione dignum putaverim, quòd Gratianum purum putum, id est, cum nævis ac erroribus suis, quo modo citari persæpe solet, exhibere noluerint, sed pleraque in textu & in capitulorum inscriptione mutaverint quæ eodem cum fructu legentium potuissent adnotari in margine, ut alibi frequenter factum ab illis est. Sunt etiam nonnulla ab his interpolata apud Gratianum quæ verè quidem sunt auctorum unde primò sumpta sunt, sed quæ tamen

non

non extant in locis unde ea Gratianus accepit, ut alibi dictum à nobis est.

XXX. Eodem tempore vir celeberrimus & eruditissimus Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis, ut ostenderet quantum adjumentum adferre ipse posset huic operi, dialogos scripsit de emendatione Gratiani refertos multa ac varia doctrina, denique dignos tanto viro. Cùm verò jam ferme perventum esset ad finem operis, allata ad illum Tarraconem est editio Gratiani emendata per Correctores Romanos. Hinc vocatus ad novas curas, Additiones composuit quæ in fine singulorum dialogorum extant, Correctores illos interdum admonens peccasse. Opus illud editum non est quandiu auctor superstes fuit, sed anno tantùm sequente post mortem ejus. Quis porrò eam editionem procuraverit, quis auctor præfationis sit, facile non est pronuntiare. Huc tamen valde inclinat animus ut, donec major lux affulgeat, existimem virum doctissimum Andream Schottum, qui tum Tarracone erat, quique mortuum publica ora-

tione laudavit quam addemus in calce istius voluminis, operam in hoc suam impendisse. Nolim tamen ut ideo Additiones putentur esse Andreæ Schotti. Sunt enim Antonij Augustini, ut diximus.

XXXI. Duas istorum dialogorum editiones habebamus, unam Tarraconę cusam, alteram Lutetiæ, utramque non satis accuratè tractatam. Neque enim vario characterum genere, ut necesse erat in opere critico, cusa ista fuerant. Et tamen ambæ editiones erant rarissimæ, ut evenire solet bonis libris. Hinc factum est ut Franciscus Muguetus Parisiensis typographus de recudendis dialogis istis cogitaverit in communem omnium eruditorum utilitatem. Quod ne inconsultè ac temerè facere videretur, rogavit me uti editioni illi imminerem, præfationem porrò adderem & Notas aliquot pro more institutóque meo. Non potui operam meam negare homini qui publicam utilitatem studiorum nostrorum spectaret.

XXXII. Itaque laborioſum viri doctissimi opus diligentissimè, quan-

tum mihi licuit per malam valetudinem oculorum meorum, legi, recensui, emendavi, quid Romano, ut vocant, charactere, quid Italico edendum esset adnotavi, ut ea quoque parte tædij levarem ingenia lectorum. Præterea Notas addidi ad Antonium Augustinum, præcipuè verò ad Gratianum. Quinque omnino manuscripta Gratiani exemplaria habui, unum, quod est omnium vetustissimum & optimum, ex bibliotheca sancti Germani Parisiensis, quod ideo Sangermanense soleo vocare. Sequitur codex regius, & ipse vetus & optimus, sed antiquitate inferior Sangermanensi. Tertium habui ex bibliotheca sancti Victoris Parisiensis, quem Victorinum antiquum, veterem, antiquiorem voco. Quartum nobis suppeditavit bibliotheca illustrissimi viri Joannis Baptistæ Colberti. Quintum denique, qui est omnium novissimus, accepimus ex eadem bibliotheca sancti Victoris, quem recentiorem Victorinum propterea dicimus.

XXXIII. Horum codicum ac duarum præterea antiquarum editionum de quibus suprà diximus auctori-

tas à nobis sæpe laudatur in Notis nostris; quarum præcipuus scopus est indicare variantes lectiones ex codicibus manuscriptis & editis, ut ea ratione sequeremur methodum quam Antonius Augustinus servavit in hoc libro. Tu, lector erudite, si quid illic repereris bene observatum, verè dictum, eo utere ad majorem Dei gloriam & sanctæ Ecclesiæ utilitatem tuúmque profectum. Unum te exoraverim, ne putes heic quicquam à me dictum scriptúmque esse malo animo aut libidine detrahendi. Obsecundavi ingenio meo, id est, fidem & veritatem semper & ubique secutus sum. Itaque si quid mihi contra mentem intentionémque meam exciderit alienum à veritate, existima errasse me, sed errasse bono animo, ut Salvianus ait, non verò ut fucum tibi tuísque similibus facerem. Hæc apud te verè ac liberè, ut soleo. Vale.

PRÆFATIO
PRIMI EDITORIS.

CVm Maximi Pontifices hac noſtra ætate de Gratiani emendatione tantum laborarint ut illius erratis corrigendis non quoſcumque viros, ſed eruditione atque auctoritate valde præſtantes, præficiendos eſſe judicarint, ſelectis aliis, quorum opera adjuti, quod erat in animo perficerent, ſanè dubium eſſe nemini poteſt rem magni eſſe momenti Chriſtianæque reipublicæ univerſæ plurimùm intereſſe. Ac quidem verò quamvis tot ſummorum hominum & Eccleſiæ principum auctoritas, etiam ſine alia cauſſa, multùm apud omnes valere debeat, tamen ſi res diligenter conſideretur, licèt eadem indigeremus, ratione item conſtat majus hoc quiddam eſſe quàm vulgò homines opinantur, qui totum hoc ſtudiorum genus pro nihilo habentes, juríſque contextum contemnentes, ſe totos ad in-

terpretes conferunt. Quibus ego, ut eos magni faciant, & tanquam duces ac magistros habeant, cùm concesſero, illud tamen conſtanter affirmabo, juris pontificij tantam eſse dignitatem ut non ſolùm ipſarum rerum, ſed & verborum, immo & litterarum ac interpunctionum ſit maxima ratio omnino habenda. Si enim homines ſplendidi cùm ædificia exſtruenda ſuſcipiunt, non neceſſitatem aut utilitatem ſolùm, ſed pulchritudinem potiùs ante oculos ſibi proponunt, neque tantùm atria, porticus, & conclavia, ſed etiam partes ſingulas, ut columnas, lapides, eorúmque coagmentationem, & res alias minutas conſiderant, dántque operam ut ſingula omnia lepore quodam ita inter ſe conſentiant ut nuſquam niſi venuſtum & aptè connexum quidquam reperiatur, multò magis in juris pontificij contextu, quo non voluptas parva aut aliqua commoditas exigua quæritur, ſed ipſa reſpublica Chriſtiana regitur, moréſque hominum conformantur, ac effrænatæ cupiditates coërcentur, illud curandum eſt ut partes omnes aptæ & integræ ſint, nullúmque verbum ſuſpicioſum appareat. Quamobrem cùm Gratiani collectio, qua magna pars juris

pontificij veteris continetur, mendorum causſa, quibus temporum illorum vitio abundat, multorum ſibilis explоderetur, ſumma rei amplitudo jure ſuo poſtulare videbatur ut Maximi Pontifices de illius emendatione cogitarent & viris exquiſitis ingeniis omnibúſque naturæ & doctrinæ præſidiis inſtructis totum negotium committerent. Cúmque extra Vrbem non deeſſent qui hanc provinciam poſſent juvare, quòd in hoc ſtudiorum genere ſatis verſati inveniréntur, unus tantùm, quod ſciam, vir pro dignitate nunquam ſatis laudatus, totius Chriſtianæ reipublicæ lumen clariſſimum, déque ea optimè meritus, Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, qui ſuperiori anno nobis ereptus fuit, hunc auctorem ſuſcepit ſcriptis ſuis illuſtrandum. Quid effecerit, ex his duobus libris dialogorum more contextis, quos ante Romanam editionem conſcripſit, & ea perlecta cenſuit edendos, licet judicari. Eſt namque Gratiani contextus ager quidam incultus, tot herbis aſperis & agreſtibus veſtitus ut licèt viri ſelecti tanquam diligentes agricolæ multam culturam adhibuerint, & aratro illum ſæpe perſtrinxerint, aliquot tamen, ſi non her-

bæ, fortaſſe radicum fibræ, quæ radicitus evelli non potuerunt, adhuc reſtare videantur. Quare dabunt ipſi veniam ſi fructus laborum tanti viri, cujus memoria recens in benedictione eſt erítque in perpetuum, communi utilitati percipiendos proponimus; in quibus omnia ferè Gratiani erratorum genera notantur, multa emendatione illuſtrantur, ac denique totus ita examinatur ut non ſolùm rerum ipſarum, verùm etiam verborum pondera expendantur.

ANTONII AUGUSTINI ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

DE EMENDATIONE GRATIANI dialogorum libri duo.

LIBER PRIOR.

In hoc libro A. Ant. Augustinum Archiepiscopum, B. Petrum Galesium, C. Vincentium Augustinum Vincentij F. significat.

DE TITULO LIBRI GRATIANI, & de mendis.

Dialogus primus.

C. NISI tibi molestum est, vehementer cupio à te discere quid sit quod Romæ de Gratiani emendatione tanta cura per tot annos agatur ut necesse fuerit à tribus Pontificibus, ut audio, multos amplissimos viros

ex Purpuratis ſuis & alios doctiſſimos homines hac una in re aſſiduè verſari. A. Mihi quidem nihil moleſtiæ adferes cùm à me aliquid poſtulaveris quod tibi fore gratum exiſtimem, ea præſertim de re quæ ſtudiis tuis ſit oportuna. Cave enim putes illius libri lectione, quem Gratiani Decretum falsò vocant, ſi rectè ſcriptum legatur, & ex ſuis fontibus ſingula capita deducta ſint, quod potiſſimum in emendatione eſt, quidquam juris pontificij ſtudioſis utilius eſſe, qua de re aliquid fortaſſe dicere poſſum. Quid autem Romæ actum ſit aut agatur, diligentiùs hæc poterit nobis B. narrare. C. Didici ego quidem ab eodem multa quæ curioſiùs petebam, quibus Pontificibus, quot viri peritiſſimi, & quotiens colligerentur, qui ex eis excellerent vel inveniendis vel diſcutiendis ſingulis quibuſque quo etiam pacto quædam privatis ſtudiis paucorum agerentur, quædam omnium collatione emendarentur, quot etiam libros veteres habuerint ex quibus ad veterem ſcripturam, quæ, ut fieri ſolet, certior eſt, Gratiani librum perducerent. Hos libros eſſe aut ipſius Gratiani nomine conſcriptos, aut eorum ex quibus Gratianus illa ſumpſiſſet, tum ex aliorum ſimili collectione, ut Burchardi, Ivonis, Anſelmi, & aliorum id genus, tum ex ipſis, ut modo dicebas, fontibus Conciliorum, ut arbitror, libris, & Pontificum Romanorum epiſtulis, & ſanctorum virorum ſcriptis, & ex jure civili. Hæc inquam & alia non pauca B.

noſter. Sed à te dicebat eſſe quærendum quid in ipſo volumine tantopere deſideraretur. Sed quid eſt quòd dixiſti falsò hunc librum Gratiani Decretum dici? An non ita dicitur ut Burchardi & Ivonis Decretum, aut librarij nos ſuis titulis decipiunt, aut ipſi ſcriptores ſic ſcribi voluerunt, à quorum ſcriptura hanc etiam emanaſſe veriſimile eſt? B. Antequam C. noſtro reſpondeas, ego dicam quod ab illis ſelectis viris accepi, in nullo fere veteri libro Gratiani eam inſcriptionem exſtare, ſed hanc: *Concordia diſcordantium canonum*. Sic etiam in melioribus editionibus Antonij Democharis & Antonij Contij vox illa *Decretum*, ut pote inepta, in multitudinis vocem mutata eſt. quod in librorum inſcriptionibus aptius eſſe, vel Cicero teſtis eſt; quippe qui noluit de officio aut de fine ſcribere, ſed de finibus & de officiis. Itaque *Decretorum collectanea* Democharis, *Decretorum canonicorum collectanea* Contius inſcripſerunt. Decretorum verò collectionem eſſe hanc nemo negaverit, non unius decreti explanationem. Sic etiam dicimus Decretorum Doctorem, non Decreti juris pontificij conſultum. C. Non equidem nego decreta Pontificum aptius dici, ut Magiſtratuum decreta in jure civili; unde etiam Decretalium epiſtularum appellatio manavit, cùm decerni aliquid in ſingulis epiſtulis videamus. Sed putabam Gratianum eam vocem à Burchardo & Ivone accepiſſe. B. Ne hoc quidem in veteribus libris affirmant inveniri. A Rectè tu

de Gratiani & Burchardi inscriptione. Neque enim in veteribus libris ea vox *Decretum* est. Gratiani quidem possum vobis multos ostendere, sed & Burchardi & Ivonis aliquot sine hac inscriptione. Et ut video, Ivoni Carnotensi magis placuit *Excerptiones* appellare, sic enim scribendum est, non *Exceptiones*. Ejus verba tam in Panormia & in Decretorum grandiori volumine quàm, quod caput est, in epistularum libro hæc sunt: *Excerptiones ecclesiasticarum regularum partim ex epistulis Romanorum Pontificum, partim ex gestis Conciliorum catholicorum Episcoporum, &c. in unum corpus adunare curavi.* Panormiæ titulus in veteri libro hic est: *Incipit liber sacrorum canonum.* In eodem libro nulla est præfatio, nullúmque scriptoris nomen. Hildeberti quoque Cenomanensis Episcopi & postea Turonensis, qui Nannetensi Concilio non edito præfuit ab Honorio minore confirmato, qui fuit Callisti minoris successor, epistula quadragesima nona edita est, cujus initium, *Plerunque fit.* In ea epistula hæc verba leguntur: *Exceptiones Decretorum* (vel potius *Excerptiones*) *quas in unum volumen ordinare dispositimus, ad suum finem nondum perductæ sunt.* Mendosè autem hujus Hildeberti epistulis adscripta sunt illa ipsa Ivonis verba: *Excerptiones ecclesiasticarum regularum & c.* Burchardi vero libri veteres carent inscriptione. Sed in edito non Decretum, sed Decretorum libri xx. appellantur. Collectiones Burchardi Vormacien-

sis appellat Ivo in quadam epistula. Anselmi Lucensis voluminis inscriptionem sine nomine ejusdem in tribus libris legi. Unius eorum hæc est : *Incipit authentica & compendiosa collectio regularum & sententiarum sanctorum patrum & auctorabilium Conciliorum.* Sed ut ad Gratianum redeamus, in ejus libris veteribus illa inscriptio est quam audisti: *Concordia discordantium canonum.* Similem legi Romæ in veteri libro Cresconij: *Concordia canonum, & ipsi canones.* C. Quid est quod his verbis significare voluerunt? An putandum est canones Conciliorum ita esse inter se contrarios ut egeant concordia? A. Quantum ego potui ex Cresconij libro elicere, concordiam vocat collectionem similium sententiarum, ut qui scripturæ sacræ verba collegerunt, Concordantias Bibliæ appellarunt. quibus verbis, quod pace vestra dicere liceat, nihil excogitari potest ineptius. C. Gratianus igitur sic Concordiam dicit quasi collectionem similium canonum. Cur verò addit vocem *discordantium*, quæ sola refugit hanc interpretationem? A. Verè tu quidem ais. Nam si inscripsisset Concordiam canonum, ut Cresconius fecit, aut Concordiam concordantium & discordantium canonum, hanc reciperet interpretationem. Nunc verò significare videtur concordiam inter discordes versari. Sed & si quis librum ipsum Gratiani consideret, sæpe videbit uti distinctionibus, non solùm in prima ejus voluminis parte, sed etiam in po-

Ivo epist. 74 vel 32. ad Vvill. Abbatem.

ſtrema de pœnitentia & conſecratione. In ipſis quoque quæſtionibus ſingularum cauſſarum apertiùs utrinque adfert contraria decreta & canones, quæ aliis diſtinctionibus allatis in concordiam reducit. Canonum autem appellatione non ſolùm Conciliorum, ut exiſtimas, regulas atque ſententias, ſed etiam aliorum librorum quibus jus pontificium conſtat, intelligere eum facilè apparet ex ejus verbis. *Eccleſiaſtica*, inquit, *conſtitutio canonis nomine cenſetur. Canon Græcè, Latinè regula nuncupatur. Regula dicta eſt quæ * rectè ducit, &c.* quæ ex Iſidoro lib. VI. etymologiarum ſumpta ſunt. Mox ait: *Porrò canonum alij ſunt decreta Pontificum, alij ſtatuta Conciliorum.* Sic ante Gratianum Corpus canonum vel Codex canonum dicebatur is liber qui Conciliorum & Pontificum Romanorum regulas continebat. Ejus libri mentionem facit Burchardus enumerans libros ex quibus ejus collectio conſtat. Sed antiquiora ſunt teſtimonia Nicolai primi & Leonis IV. apud Gratianum. Sic Ivo *Excerptiones eccleſiaſticarum regularum* & Anſelmus *Authentica collectio regularum ſive canonum*, collectiones ſuas appellant; ut etiam vetus meus Panormiæ codex *Liber ſacrorum canonum* dicitur. Idem dicendum eſt de Græcis collectionibus, quas Nomocanones vocant, nomine ex legibus & regulis efficto. Item de Apoſtolorum regulis à Clemente primo editis, & de aliis ſanctorum virorum Dionyſij & Petri Alexandriæ Epiſcoporum,

Diſtin. 3. in prin. &c. & 2.

* eò quòd

Diſt. 19 c. 1. & diſt. 20. c. 3.

& Gregorij Neocæsarienſis, Athanaſij Alexandrini, Baſilij Cæſarienſis, & Gregorij Nyſſeni, & alterius Gregorij Theologi, & aliorum, de quibus capite ſecundo ſextæ ſynodi repetitæ in Trullo. Neque enim rectè apud Gratianum & alios eorum opuſcula dicuntur confirmari, ſed canones in Græco archetypo. C. Habeo iſta. Ex quibus facilè intelligo, jus quoque canonicum, quod tu jus pontificium appellare ſoles, hinc originem duxiſſe. At verò Canon Miſſæ & Canonici ſeculares ac regulares cur dicti ſunt? A. Diximus canonem regulam ſignificare. Miſſæ igitur regula vel formula vetus eſt ille ipſe Miſſæ Canon. Canonicos verò regulares qui dicunt, eandem rem bis dicunt; ut cùm Abba pater vocatur, vel Thomas Didymus, ſive Geminus, atque alia ſimili ratione. Sed fingamus duas eſſe regulas, alteram laxiorem Canonicis ſecularibus ſcriptam, alteram duriorem regularibus ſolis conditam. Utroſque ſub canone eſſe dicemus & Canonicos, ſed hos durioribus cancellis circumſcriptos. C. Hæc placent. Sed quid aliud eſt in Gratiani libro mutandum præter titulum libri ſive inſcriptionem? A. Ita multa ſunt ut non facilè omnia uno die explicari poſſint. Sed genera tibi errorum quorundam proponam, ut poſtea de quibus magis placebit agamus. Sæpe erratum eſſe video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, conciliorum, & aliarum rerum quæ poſtea exemplis apertiora fient. Sæpe falſæ ſunt

Diſt. 16. c. 7. quoniam.

inſcriptiones, & quæ Conciliorum ſunt, Pontificum maximorum eſſe dicuntur ; & quæ ſunt unius Epiſcopi inferioris, Romano Pontifici aut Concilio generali vel provinciali tribuuntur. Ex hoc genere ſunt illa quæ ex Concilio Martini Papæ aut Hadriani Papæ ſumpta eſſe feruntur, quæ vel Martino Bracarenſi & Græcis Conciliis vel Engelramo Epiſcopo vel Hadriano ad Engelramum inſcribi debuerunt. Multa Gregorij, Ambroſij, Auguſtini, vel Hieronymi verba eſſe dicuntur, quæ aut nuſquam exſtant, aut aliena ſunt. Illa quoque ipſa quæ inſcriptiones habent veras, non recte referuntur. Sæpe enim contrarias ſententias referri ſcimus, ſæpe valde præciſas. Jam verò quæ ex Græcis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferuntur, quaſi ſint aliorum ſcriptorum ; ac ſæpe aliud Græcè quàm Latinè ſignificant. C. Tu verò me in ſilvam quandam errorum inducis, cujus nullum exitum video. Sed malo ut de primis quibuſque à te dictis agas, ut præciſis his ramis interiora illuſtriora fiant. A. Quid autem B. noſtro placet? B. Ego verò hæc ipſa quæ proponis exſpecto ; ſed non is ſum qui operæpretium eſſe exiſtimem tam multa de ſolo Gratiano dici. Hic enim, ut noſti, & ut facilè omnes concedunt, compilator inſignis, nihil ferè habet valde utile quod proprium dicere poſſis ; ſed corniculæ illi ſimilis, ut eſt in fabulis, riſum ſcientibus admirationem ignorantibus movet. Si verba conſideres, nihil illo

tritius ; si artem requiras & ordinem docendi, frustra laborabis. Ita multa refert alieno loco ponenda, ita pro certis incerta constituit, ut malis illa eadem in ipsis libris non solùm Conciliorum, sed etiam Burchardi & Ivonis & aliorum Collectorum requirere. Itaque dum tu quid apud Gratianum mutandum sit dices, in veteri me confirmabis opinione, qui frustra hunc scriptorem mendis purgari putem. Te verò potiùs hortari &, si pateris, monere non desinam ut in eam tantùm rem incumbas, ut meliorem harum regularum sive decretorum collectionem edas. A. Ludis tu quidem, ut soles, perurbanè, & mihi videris pro tua præclara dicendi facultate magnas res contemnere & pro nihilo ducere, minores verò in cælum tollere atque augere dicendo. Nam ut dem tibi nihil ferè, aut pauca de suo Gratianum attulisse, quod falsum est, adfert enim multa quæ in aliis collectionibus non invenies, qualia sunt quæ post Burchardum & Ivonem sunt nata, item multarum difficultatum solutiones. Sed quamvis nulla attulerit, feliciorem tamen ceteris collectoribus fuisse negare non poteris, quos in tenebris diù fuisse novimus dum hic in omnium manibus versatur; multorum interpretum illustratur lucubrationibus refertur denique in judiciis omnibus, atque à Theologis non minùs quàm à juris utriusque peritis in pretio habetur. Quòd si in illo verborum elegantiam desideras, temporis est, non hominis culpa. Tritis utitur verbis, ut

omnibus prodesse possit. Artem & ordinem docendi flagitas. Quasi verò meliore ceteri sint usi. Quòd verò postremò hortaris ut collectionem aliquam edam potiùs quàm hanc ita perturbatam & imperfectam ornem, facis tu quidem ludos, ut dixi. sed hac de re posteriùs cogitabimus. Nunc quando utrique vestrum non displicet ut de Gratiani erratis agamus, in crastinum diem differo quod sum pollicitus. Alia enim urgent his potiora.

ADDITIONES.

His scriptis, editum vidi Romæ Gratiani volumen hac inscriptione: *Decretum Gratiani emendatum, Gregorij XIII. Pont. Max. jussu editum.* Et initio distinctionis primæ: *Concordia discordantium canonum.* Et in admonitione ad lectorem ita scribitur: *In plerisque vetustis hujus collectionis exemplaribus hæc tamquam inscriptio rubris literis posita est*; Concordia discordantium canonum, *addita in quibusdam dictione* Incipit, *sine ulla Gratiani mentione. Verùm in Vaticano illo vetustissimo, cui voluminis ipsius initio recentiori scriptura paleas esse præpositas dictum est, ante ipsas paleas est hic titulus:* Decretum Gratiani monachi sancti Felicis Bononiensis, ordinis sancti Benedicti, compilatum in dicto monasterio anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo, tempore Eugenij Papæ tertij. *In aliis verò duobus codicibus, in extremo est:* Explicit decretum compilatum à Gratiano monacho monasterij [sancti Felicis de Bononia.] In eadem admonitione hæc etiam verba leguntur: *Novissimus istorum omnium, præter auctorem Panormiæ, nam is recentior fortasse est, Gratianus monachus Benedictinus non tantum decretis colligendis, quod superiores fecerant, operam dedit, sed Ivonis fortasse præfatione ex-*

citatus, eò potissimùm incubuit ut certis quæstionibus propositis, quod in utramque partem ex canonibus qui inter se nonnumquam pugnare videbantur dici posset, ipse & afferret & explicaret, omninoque eorum varietatem, quæ speciem dissensionis habebat, ad concordiam revocaret. Hæc in Romano.

In editione Gregoriana cap. 7. *Quoniam.* dist. 16. multa mutata sunt & Notis ornata. Et quamvis dicatur *Et opuscula Theophili &c.* tamen in Notis Ivonis verba relata sunt: *Confirmamus sanctorum patrum canones & synodos &c.* & Græca verba canonis referuntur, & Latina interpretis, quibus appareret non opuscula sed canones appellari. Quod etiam verba à Gratiano relata indicant: *Confirmamus & ceteros sanctorum canones & synodos.*

Ivo par. 4. cap. 106. & 134. decr. & lib. 2. tit. 11. c. 29. pan.

DE GRATIANI ERRATIS IN propriis nominibus.

Dialogus secundus.

B. Et tempus & locus aptus est ut te promissi tui admoneamus. Quid enim hac hortorum amœnitate jucundius? Avidas autem aures adferimus ego & C. noster. A. Video nihil diutius vobis posse deberi. Sed libris aliquot nobis opus est, & in primis Gratiano editionis ejus quæ habeat duorum Antoniorum notas. C. Eum librum mecum attuli, quòd eum potissimum à te laudari sciebam, & ut viderem quid tu de singulis erratis esses dicturus, & ut meliùs id memoriæ mandarem. A. Laudo providentiam tuam. Ego quoque in adversariis quibusdam, quæ attuli, scripseram ordine litterarum aliquot

Gratiani errata, quæ faciliùs referam. Vos etiam alia ſuggeretis. Et quoniam heri diximus in nominibus propriis ſæpe fuiſſe librarios lapſos, ab eiſdem initium ſumamus. Principio duo ex ſacris libris loca corrigenda ſunt, cùm pro Ochozia Rege *a* Achab editus eſt, & pro Achan, ſive Achar, Achor *b* Verba Gratiani ſunt: *c Sed objicitur illud Ambroſij*, (verba quærantur) Ad preces Heliæ ignis deſcendit de cœlo, ut Prophetæ vindicaretur injuria. *quod tunc intelligitur factum quando Achab Rex Iſraël, &c. miſit duos quinquagenarios.* Noſtis reliqua. [1] Alter locus ita ſcriptus eſt: *Cùm enim Achor de anathemate furtim ſurripuiſſet, &c. Ita cecidit ſors ſuper Achor.* *d* Bis *Achor* pro *Achan* ſcriptum legimus. B. Ego Gratianum erraſſe arbitror, non librarios. A. Si Gratiani erratum eſt, memoriæ erratum eſt, qualia multa & apud Ciceronem & apud alios ſcriptores ſæpe adgnita ſunt. Si librariorum peccatum eſt, cur Gratianus notatur? [2] Tertius locus eſt. In inſcriptione quadam pro Carthaginenſi concilio Agathenſe primum ſcribitur. *e* Eſt autem caput XI. Concilij Carthaginenſis primi. [3] Alibi Alexandrinus Epiſcopus Leander Hiſpalenſis dicitur. *f* atque idem Leonardus Epiſcopus alio in loco. *g* Prior locus eſt diſtin. XXXVIII. ubi poſt verba beati Auguſtini additur: *Idem ad Alexandrinum Epiſcopum. Indignum vehementer exiſtimo ut verba cœleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati.* Hæc non Auguſtini ver-

a 4. *Reg.* 1. *b.*

b 26. *q.* 2. *in prin.*

c 25. *q.* 4. *c.* 29. *ſi illic. p. ſed objicitur.*

d *Ioſu.* 7. *b.*

e 15. *q.* 7. *c.* 3. *ſi quis.*

f *Diſ.* 38. *c.* 13. *indignum.*

g *De conſec. diſ.* 4. *c.* 80. *de trina.*

basunt, sed Gregorij in præfatione Moralium in Job capite ultimo. qui liber ad Leandrum Episcopum inscriptus est. Hoc non fugit Joannem Andreæ F. Sunt, qui putent additum esse hoc caput à Gratiani discipulo Palea, ut id quod proximum est, cujus inscriptio non vocem *Idem* habere debet, sed hanc, *Augustinus*. [4] Alter locus est ex epistula quadam Gregorij ad eundem Leandrum Episcopum de trina mersione baptismatis, quæ exstat, ut notat Democharcs, lib. 1. epist. quadragesima prima regiltri. Ejusdem mentionem invenies in Concilio Toletano quarto cap. v. & in concilio Vormacienſi item cap. v. & apud Ivonem & Anselmum Lucensem & alios Collectores. [5] C. Quis hic Leander fuit? A. Tres fratres germanos insignes pietate & eruditione viros habuit Hispania Reccaredo Rege, Leandrum, Isidorum, & Fulgentium Duo illi Hispalenses Episcopi fuerunt, hic tertius Astigitanus. Leandro acceptam ferimus Gotthorum Arianorum in catholicam fidem conversionem. Cum hoc Gregorius amicitiam inivit Constantinopoli. Venerat enim illuc alter Pelagij Pontificis, alter Regis sui legatus ad Constantinopolitanum Imperatorem. B. Hic idem Alexander semel vocatur ab Anselmo Lucensi, iterum Leander. Fieri potest ut idem nomen sit. ut Josue, Jesus, & Jason. Scander Berg, pro Alexandro magno, avorum memoriâ insignis vir peritia rei militaris dictus est. A. Quid? Tu Leandrum Mu-

Ioan. And. in c. Ad audientiam. *in fine de reſcript. d. c.* 80.

Ivo lib. 1. tit. 2. c. 53. panorm & par. 1 c. 130. decr. Anſel. li. 9. c. 17. & 61. Cæſar. lib. 12. cap. 43. *Tarrac. lib. 4. c.* 10.

sæi putas eundem esse cum Alexandro Macedone? B. Non ego eundem virum esse dico, sed idem nomen. quamvis in etymo utriusque hæreo. A. Sequitur Anastasius sæpius ex Athanasio mutatus. Dum enim narrat Gratianus Athanasij pueri simulati Episcopi factum, qui catechumenos aqua salutari tingebat tempore Alexandri Episcopi Alexandrini, eum Anastasium vocat. Sed ex Rufini historia lib. x. cap. XIV. mutari nomen debet. [6] Idem erratum in duabus inscriptionibus est. Altera hæc est: *Felix Papa Anastasio & omnibus orientalibus Episcopis.* Scribe: *Felix Papa secundus Athanasio & omnibus, &c.* ex Conciliis. [7] In altera est: *Anastasius Patriarcha Papæ Felici.* Scribe: *Athanasius Patriarcha Alexandrinus Felici Papæ secundo.* Referunt horum capitum verba Burchardus, *h* Ivo, *i* & Anselmus. *k* [8] Alterius Athanasij nomen invenio in Anastasium esse mutatum. Etenim in Concilio Chalcedon. actione XIV. de quodam Athanasio Episcopo Parrhenorum † agitur, qui cum à Patriarcha suo deponeretur, eum sibi inimicum esse conquestus est, iterúmque audiri jubetur; idémque Nicolaus refert in epistola ad Michaëlem Imp. cujus initium est: *Proposueramus.* At Gratianus hunc Anastasium appellat. *l* [9] B. Eadem ratione Athanasij libris aliquot Anastasij Antiocheni, ut existimo, libri mixti sunt; ut cùm plebeij in patricias familias inserebantur. A. Illud æquo animo ferendum est, quòd pro Asello Anselmus scriptus

1. *q.* 1. *c.* 18. *spiritus. p. ecce.*

5. *q.* 2. *c. ultimo.*

9. *q.* 3. *c.* 11. *Fuit.*

h *Burc. lib.* 1. *c.* 221.
i *Ivo par.* 5. *c.* 15. *&* 335. *decr.*
k *Ans. lib.* 2. *c.* 50. *&* 51.
† Paræno-rum.

13. *q.* 5. *c.* 14. *nulli. p.* 1. *&c.* 15. *quod suspecti.*

est in inscriptione cujusdam capitis *m* his verbis: *Item ex Concilio Milevitano, cui interfuit Augustinus & Anselmus Romanæ Ecclesiæ Legatus, contra Pelagianos.* In Concilio Carthagin. VI. & VII. mentio fit trium Legatorum Romanæ Ecclesiæ, Faustini Episcopi, & Philippi & Aselli Presbyterorum. Hi à Zozimo Papa missi sunt, & in Africa post ejus mortem fuerunt. Interfuisse hos Legatos in Concilio Milevitano mihi non constat. sed præsentibus eisdem lectos fuisse canones ejus concilij & aliorum multorum constat ex Concilio Africano & ex Concilio Carthaginensi Græcè conscripto. Sunt etiam Milevitani Concilij litteræ ad Innocentium, qui ante Zosimum fuit, & Innocentij ad eandem synodum. [10] Arsacij Episcopi nomen invenio apud Anselmum, *n* qui Thracius dicitur à Gratiano *o* in relatis Pelagij verbis. Sed in alio veteri Anselmi libro idem Tertius vocatur, & scriptor epistulæ Gelasius. Sic omnia sunt nobis incerta. Tantùm hoc in variis lectionibus conscribi potest. [11] Illud certum est, quòd alibi pro Ascanio Tarraconensi Episcopo Asconius apud Gratianum legitur in Hilarij Papæ verbis. Namque in Conciliis apertè Ascanius appellatur, ad quem sunt duæ Hilarij epistulæ. & de eodem agitur in Concilio Romano ab Hilario habito. In eodem Gratiani capite de Barchinonensi Ecclesia agitur; sed scribendum est, *Barcinonenſis.* Et postea: *Talis protinus de clero proprio & Barchinonenſibus ordinetur*

m *De conse. d. 4. c. 152. placuit.*

n *Ansel. li. 12. c. 46.*

o *23. q. 5. c. 44. quali.*

7. q. 1. c. 30. remoto.

Episcopus. Dele &, atque scribe *Barcinonensibus*. Melius hæc Anselmus habet.[12] Sic etiam malè scribi solet *Terracona* pro Tarracone, & *Barchinona* pro *Barcinone*, & *Terraconensis* pro *Tarraconensi*. Sed & *Terraconensis* pro *Tarracinensi* invenies apud Gratianum. *p* At ex registro beati Gregorij *q* constat agi de Fundensi Ecclesia & Tarracinensi eidem Episcopo commissis. Conjungi autem debent duo capita ex eadem Gregorij epistula sumpta ad Agnellum Episcopum, quæ est epist. XIII. C. LII. libri secundi. Hæc etiam rectè Anselmus conscripsit, *r* & liber Cæsar augustanus. *s*[13] C. Eadem ratione fortasse apud Gregorium IX. sub titulo de immunitate Ecclesiarum capitis secundi inscriptio mutanda est. A. Rectè admones; idque ex lib. VII. registri ejusdem Gregorij constat, ut diximus in Notis ad collectionem Bernardi Papiensis, & in collectione Conciliorum Tarraconensium.[14] Venio nunc ad aliam, ut hic noster appellare solet, metamorphosin. In Gratiani libro legitur distinct. LIV. *Ex Concilio Maguntinensi capitulo* VIII. *Palea. Magnus Episcopus Augustudunensis dixit*. Carthaginensi primo pro Maguntinensi scribendum esse admonuit Antonius Democharis. *Astigitanensis* pro *Augustudunensi* scribi etiam debuit ex Conciliis. *Astuagensis* habent Burchardus *t* & Ivo; *u* *Augustensis*, Bernardus Papiensis & Gregorius IX. *x*[15] C. Cur nomen hoc, *Palea*, adscriptum est huic & aliis quibusdam capitibus?

Anf. lib. 6. c. 101.

p 21. q.1.c.5. Relatio. & cap. Illud.

q Vid. Gregor. lib. 2. ep. 14. c. 53. & lib. 7. c. 20. ind. 1.

r Ansel. lib 5. c. 25.

s Cæs. lib. 3. c. 48.

c. 2. de immu. eccles. in 1. collect. & apud Grego. IX. Dist. 54. c. 3. Magnus.

t Burc. lib. 2. c. 36.

u Ivo. par. 6. c. 137. decret.

x c. un. de ob-

tibus? Sunt enim qui putent incertis & inutilibus id adjectum. Sed tu discipuli Gratiani nomen esse dixisti. A. Ego duorum Jurisconsultorum testimonium habeo, Joan. Andreæ, & Catelliani Cottæ. Sed & video in veteribus Gratiani libris illa capita desiderari, & in Joannis Teutonici scholiis rarò ad verba eorum capitum aliquid adscribi. Itaque existimo illa capita postea adjecta fuisse. Huc accedit quòd Bernardus Papiensis nonnulla ex his in librum suum retulit. quod de Gratiani capitibus non facile invenies. Sed quid B. selecti illi viri Romæ de Palea dicunt? B. Hoc ipsum audivi, in veteribus libris non inveniri, Paléæque nomen esse hodie familiæ cuidam Cremonensi proprium, neque tamen carere auctoritate aut esse reicienda hæc capita; sed aliqua nota esse à ceteris distinguenda, quasi addita post Gratiani lucubrationes. [16] A. Hoc sit hujus diei pensum. Cras, si videbitur, pluribus de ceteris agemus.

lig. ad ratio. in 1. collect. & apud Gregorium IX.

ADDITIONES.

[1] IN editione Romana 23. q. 4. c. 29. *Si illic.* p. *Sed obicitur*, nomen *Achab* editum est, sed in margine est *Ochozias filius Achab.* & in scholio *Achab.* Confundit historiam. Et c. in fine, post illa verba, *sub Ochozia*, additur: *cujus filius fuit Achab, ut legitur 4 lib. Reg. in prin. & 3. Reg. ult.* Quòd verò in contextu verborum dicitur, *illud Ambrosij, Ad preces Heliæ, &c.* habet in margine: *Supra ea. quod Christus. 4. Reg. 1.* Id caput est inscriptum Ambrosio lib. 7. commentarior. ad cap. 9. Lucæ. Sed

illic nihil de Achab dicitur; neque apud Ambrosium eadem verba inveni.

2 In Romana editione 26. q. 2. in prin. *Achar* editum est, non *Achor*. & in margine: *aliàs Achan & Iosue 7.*

3 In Gregoriana editione inscriptio capitis tertij *Si quis tumidus.* 15. q. 7. hæc est: *Item ex Concilio Carthaginensi primo cap.* 11. Mox additur: *Sic est emendatum ex vetustis codicibus. Nam in vulgatis erat*, Agathensi primo, *cum unicum dumtaxat Agathense memoretur.*

4 Inscriptio capitis 13. *Indignum* distin. 38. in Gregoriana editione est hæc: *Item Gregorius ad Leandrum Episcopum Hispalensem in præfat. Moralium ad finem.* Et capitis 14. *Locutio* inscriptio est: *Item Augustinus de vera religione c. 49. & 50. Palea.*

5 In dicta Gregoriana editione inscriptio capitis 80. *De trina.* de consec. dist. 4. est hæc: *Item Gregorius Leandro Episcopo Hispaniar. lib. 1. epist. 41.* Et in margine additur: *Et in Tolet. 4. c. 5. & in Vvormacienſi c. 5. Sent. ibid.* (hoc est. sent. 4. dist. 3.) *Poly. l. 3. tit. 10. Ansel. l. 9. c. 61. Ivo p. 1. c. 130. Pann. l. 1. c. 60.*

6 In eadem editione Romana 1. q. 1. c. 58. *Spiritus.* par. *Ecce per Athanasium puerum*, scriptum est.

7 In eodem Gregoriano libro inscriptio cap. ult. 5. q. 22. hæc est: *Item Felix Papa II. Athanasio & omnibus orientalibus Episcopis epist. 1. cap. 3.* Additur in margine: *Burc. li. 1. c. 221. & Ivo p. 5. c. 335.*

8 In eodem libro inscriptio capitis 11. *Fuit semper* causæ 9. q. 3. ita scripta est: *Item Athanasius Patriarcha Papæ Felici secundo.* Et in margine est: *In tom. Conc. & Ivo p. 5. c. 15.*

9 In eodem libro 3. q. 5. c. 14. *Nulli.* par. 1. Athanasius appellatur. Sed in margine est: *Al. Anastasius.* Sed capite 15. *Quod suspecti*, Athanasius dicitur sine ulla varietate. & multa de eodem dicuntur in Notis ex Concilio Chalcedonensi actione 14. Mendosè autem in margine dicitur actione 24. in fine. (Vide lib. 2. dial. 12. add. 6.)

10 De consecrat. distin. 4. c. 152. *Placuit igitur*

hanc habet inscriptionem in Romano libro : *Item ex Concilio Milevitano, cur interfuit Augustinus & Anselmus Romanæ Ecclesiæ Legatus contra Pelagianos c.* 1. Additur in margine. *& in Afric. c.* 76. Et mox ad vocem *Anselmus* : *Videtur mendum in hoc nomine.*

11 In eodem Romano libro 23. q. 5. c. 44. *Quali.* Pelagij, *Thracius* editum est sine ulla varietate. In margine est : *Ans. l.* 12. *c.* 46. *Poly. ibid.* (*hoc est, lib.* 7. *tit.* 5.)

12 Caput 30. *Remoto.* 7. q. 1. hanc in eodem libro habet inscriptionem : *Item Hilarius Papa Episcopis Tarracon. c.* 3. Et postea est: *Remoto ab Ecclesia Barcinonensi &c.* & *de clero proprio Barcinonensib. &c.* & *frater Ascani.* In margine est : *Ans. l.* 6. *c.* 109.

13 In Romana editione 21. q. 1. c. 5. *Relatio* Gregorio adscribitur lib. 2. ep. 13. seu. c. 52. ad Agnellum Episcopum. Initium capitis est : *Relatio cleri simul & populi Tarracinensis.* In notis hæc scripta sunt: *Tarracinensis. Sic est emendatum ex vetustis, cum in vulgatis esset Tarraconensis gentis. In originali autem legitur, Tarracinæ degentis.* In extremo capite hæc etiam addita sunt : *Alia est sententia B. Gregorij ac Gratianus putare videatur. Hunc enim Agnellum, qui antea Fundorum erat Episcopus, quòd ea civitas ab hoste esset vastata, Tarracinæ cardinalem constituit sacerdotem, ut in sequenti capite. De quare notatum est supra dist.* 71. *c. Fraternitatem.* In margine hujus capitis est : *Ansel. l.* 5. *c.* 28. *Polyc. l.* 1. *tit.* 8. Capite proximo est : *Tarracinensis Ecclesiæ cardinalem*, & *Tarracinensis Ecclesiæ.*

14 Caput secundum de immunitate ecclesiarum in Romana editione hanc habet inscriptionem : *Gregorius Archiepiscopo Tricen.* Et in margine : *Gregorius Agnello Terracon. Episcopo. Aliàs Terracin. Episcopo.* Item Gregorius Agnello Episcopo. lib. 7. epist. 20. Ind. 1. registri B. Gregorij. Vide c. 2. eo. tit. in 1. compilat.

15 Caput tertium distin. 54. in editione Romana hanc habet inscriptionem : *Ex Concilio Carthaginensi primo c.* 8. *Palea.* Ejus initium est : *Magnus Episcopus Astiagensis dixit.* In Notis scribitur : *In codicibus*

impressis citatur ex Moguntinensi. Emendatum verò est ex Burchardo, Ivone, Decretali. in c. uni. de obliga. ad ratioc. In margine hæc sunt : *Extrà de obligat. ad ratioc. non ordin. cap. Magnus. Burch. l. 2. c. 36. Ivo p. 6. c. 137.* In eadem editione caput unicum de obligatis ad ratiocinia hanc inscriptionem habet: *Ex concilio Carthag.* & hoc initium : *Magnus Episcopus Augustin. dixit.* In margine hæc sunt : *Concilium Carthaginense primum c. 8. ut refert Burchardus libro 2. decreti c. 36. Ivo par. 6. c. 137. & in 1. compilat. eo. ti. c. uni. Gratianus dist. 54 c. 3. ubi falsò tribuit concilio Maguntinensi Et est difficilis textus. Sed vide qua dixi in Notis hujus capitis.* Cur hæc postrema verba edita sint quærendum.

16 De Palea hæc sunt in admonitione Gregorianæ editionis : *De nomine Paleæ sunt variæ doctorum hominum sententiæ. Multi ea capita, in quibus res inanes ac leves continerentur, hoc nomine appellari censuerunt : alij quasi τὰ παλαιὰ, id est, antiqua : alij quasi additiones quasdam, derivata aut potius depravata voce ab adverbio πάλιν, id est rursum, quo scriptores etiam Latini tempore Gratiani uterentur. Verum Ioannes Andreæ in addition. ad Specul. tit. de disputation. & allegation. prope finem, (quem Imola in rubr. de verbor. obligat. Alexandrinus in proœmio Decretal. (scribe, Decreti) Iason in rubr. tit. de action. & alij sunt secuti) putat quendam Protopaleam, quem Iason addit Cardinalem fuisse, collectioni Gratiani capita hæc adjunxisse. Atque ut in re tam incerta aliquid elici conjectura possit, exponetur quid in collatis exemplaribus observatum fuerit. In tribus, quæ sunt antiquissima, & videntur scripta paulò post Gratiani ætatem, paucissima ex hujusmodi capitibus habentur. In uno valde emendato sunt apposita in margine sine ulla nota, sed non omnia quæ in impressis; quamvis vicissim in illo additiones aliquæ sint quæ in his non habentur. In alio litteris perantiquis descripto Palea ipsa recentiori scriptura toti volumini præponuntur. In ceteris habentur aut omnes aut pleræque, & partim quidem cum Palea nomine, partim verò sine ullo à ceteris capitibus discrimine. Ex qua observatione illud videtur posse col-*

ligi, has Palea esse additiones non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani, in margine primùm adscriptas, ac nonnullas fortasse ab ipsomet Gratiano, ut fit, inter componendum aut relegendum: quas deinde librariorum quidam omiserint, quidam in contextu posuerint, interdum conjunctè cum prioribus capitibus, interdum cum aliquo discrimine. Falsam verò esse illorum opinionem qui eas contemnendas putant ex eo constat quòd multæ & in Decretalibus & apud vetustiores Gratiano collectores habentur. quod suis locis indicabitur: In meis libris non Protopalea, sed apud Joan. Andreæ qui postea Palea est apud Jaso. Quotapalea Cardinalis, apud Imol. Paucapalea, vel Pocapalea Cardin. apud Card. Alex. Procopaleas.

DE EODEM ERRATORUM genere.

Dialogus tertius.

C. ANTEQUAM cetera dicas quæ mendosa tibi esse videntur, velim scrupulum auferas mihi de his mendis cogitanti. qua de re cum B. egi. sed cùm is aliquid mihi dixisse videretur, postea iterum in eandem incidi dubitationem. A. Quid tandem illud est? C. Quidnam interest Gratianum pro Leandro Leonardum scribere, aut pro Athanasio Anastasium? Nam cum jus pontificium tractetur, id æquè in Leonardo & Anastasio vim suam obtinebit atque in Leandro & Athanasio. A. Quid ad hæc B. noster dicebat? C. Exemplo ex Symbolo sumpto vim argumenti eludere conabatur. Namque dicebat, Si quis diceret Christum passum

sub Pontico Pilativo, non sub Pontio Pilato, non convenire in Symbolo fidei crederetur cum catholica Ecclesia, nisi eum rusticum fuisse & imperitum Latini sermonis constaret. Atqui in re nihil interfuit Pontius ille an Ponticus diceretur sub quo Christus passus esset. A. Mihi exemplum non displicet. Tu verò quid ad hæc? C. Non mihi videtur Gratianus aliquid habere cum Symbolo commune. A. Quid ita? C. Symbolum formula quædam est à qua cadere ne verbo quidem licet aut syllaba. At Gratiani scripta licet vel tota contemnere. Nisi fortè verum est quod aiunt quidam, ab Eugenio tertio fuisse confirmata. A. Malo te illa priora credere quàm hæc. Etenim in illis unum atque alterum vitium est, in his de omnibus agitur. C. Non satis intelligo quid dicas. A. Tu si Leandrum credas Leonardum dici, eras. Sed error hic unus est. Item unus si credas Athanasium alio nomine vocari. At si credas omnia quæ Gratianus scripsit apostolica esse auctoritate confirmata, multiplex hic error erit tuus, & omnia complectetur hoc volumine conscripta. C. Nunc planè intelligo. Sed quo pacto probas non esse confirmata? A. Tu qui ais, redige in memoriam? Vidistíne unquam Eugenij confirmationem? C. Minimè gentium. A. Habésne aliquem dicere qui se dicat vidisse aut qui ex ea partem aliquam referat? C. Ne hoc quidem. Sed sunt qui asserant eum confirmasse. A. Sunt etiam qui id negent. C. Age verò,

quid tu dicis ad id quod initio petebam mihi satisfieri? A. Id quod dici solet de his qui glandibus vescuntur inventis frugibus. An si tu puero dederis exscribendam epistulam, quam patri vel fratri tuo mittere velis, ille tibi multa nomina immutaverit, litteras addiderit vel detraxerit, & cùm illi iratus fueris, & iterum eam describere coëgeris, ille hac ratione utatur, nihil interesse Leander sit an Leonardus, Augustus an Augustinus, cùm de re ipsa constet, probabísne quod dicet? C. Minimè verò. A. Idem de librorum mendis dicendum est quod de epistulis. Alij tamen aliis errores præcellunt. Sunt leves aliquot, fateor; sed totum hoc genus emendationis contemnere, inhumanum & à ratione alienum esse arbitror. Sed quid ait B. noster? B. Mihi verò hoc ipsum quod tu ais ita verum esse videtur ut nihil ampliùs te addere velim, sed ad cetera venire Gratiani mendosè scripta. A. Est nobis principio ab inferis excitandus Belisarius, qui cum Gratiano contendat cur ab eo Guilisarius dicatur. Silverius etiam Pont. Max. expostulabit cur Silvester appelletur. Admonuit Democharesh oc ipsum de Silverio, de Belisario Contius. Illud ab utroque malè editum est, *in palatium Principis*, pro *Pincis*. Anselmus paullò meliùs hæc refert. Hæc ex conciliis accepimus. [1] Plura errata sunt in illis verbis quæstionis tertiæ causæ XXI. *Quòd autem Clerici seculariumnegotiorum procuratores esse non valeant auctoritate Carthaginensis Concilij*

23. q. 4. c. 30.

Ansel. lib. 12. c. 8.

21. q. 3. c. 1. & 2.

primi probatur; in quo Nicolaus Papa Episcopis Castilianis dixisse legitur. Palea. Pervenit in sanctam synodum &c. Quis unquam crederet Nicolaum Papam, qui tot seculis vixit posterior omnibus synodis Carthagine habitis, aliquid in prima synodo dixisse? Verba autem quæ Palea addidit *a* sunt ex Concilio Chalcedonensi cap. 111. de quibus Burchardus, *b* Ivo, *c* & Anselmus *d* tractant, & Gratianus distinctione xxcvi. extrema. Omnes rectè ex Chalcedonensi Concilio inscripserunt. C. Cur igitur Gratianus, vel Palea, ex Concilio Carthaginensi, in quo Nicolaus Papa &c. An in Concilio Chalcedonensi Nicolaus Papa interfuit? A. Id concilium habitum est sub Leone Papa & Marciano Imperatore. Nicolaus scripsit ad Michaëlem Imperatorem de Ignatij & Photij schismate aliquot postea seculis. Nicolao successit Hadrianus secundus, sub quo synodus octava generalis habita est contra Photium. Chalcedonensis hæc quarta dicta est. C. Mendum igitur est in Concilij & Papæ nomine. Quid si Leonem pro Nicolao & Chalcedonensem pro Carthaginensi substituamus? A. Cave feceris. Neque enim Leo in eo Concilio interfuit. Præstat auferre quæcunque Palea interposuit. Ea autem sunt illa: *Pervenit in sanctam &c.* usque ad illa: *Credo placere &c.* quæ sunt ex Carthaginensi primo cap. vi. & pro illis *Nicolaus Papa Episcopis Castilianis* scribendum fuit *Nicasius Episcopus Culusitanus.* C. Appa-

a *Dist.* 86. *c. ult.*

b *Burc. li.* 2. *c.* 145.

c *Ivo par.* 6. *c.* 218 *decret.*

d *Ans. lib.* 6. *c.* 181. *in Rom.*

21. *q.* 3. *c.* 1. *&* 2.

rent vestigia emendationis in margine librorum Democharis & Contij ; & bis posita inscriptio ante caput utrumque indicat inscriptionem prioris capitis non esse ad Paleæ verba referendam. A. Confirmantur hæc tum ex Conciliis, tum ex Burchardo & Ivone; quorum alter scribit: *Nicasius Evastitanus Episcopus dixit: Credo &c.* alter *Evaristanus* pro *Evastitanus*. cetera totidem verbis. [2] B. Ex hac emendatione poterit C. noster á sua sententia discedere, cùm videat tot vulneribus facilè fuisse medicinam adhibitam. C. Ego verò manus libenter do, cùm hoc exemplo cognoverim multum interesse scire unde singula capita sumantur, quæ verba Gratiani, quæ Paleæ sint, & quæ aliorum. A. Id ipsum assequi non poteris nisi menda tollas inscriptionum, & nisi cum Conciliis & veteribus collectionibus Gratiani contuleris lucubrationes. Sed cetera persequamur. Joannis Chrysostomi nomine sæpe librarij sunt abusi pro Joanne octavo in caussa XXVII. his verbis: *Item Joannes Chrysostomus Rostanno Archiepiscopo. Atho præsentium lator &c.* Hanc emendationem Ivonis collatione didicimus. [3] Pro Chromatio sæpe litterarum similitudine ducti Chrysostomum scripserunt; ut caussa XXII. *Hinc etiam Joannes Chrysostomus ait: Juramenti hujusmodi &c.* e Scribe: *Chromatius cap.* IV. *in fine in Matthæum.* Et de pæniten. distinct. 1. *Idem Joannes os aureum: Non potest quis gratiam &c.* f Scribe: *Chromat. cap.* IV. *in*

Burch. lib. 2. c. 150. Ivo par. 6 c. 213. decr.

27. q. 2 c. 46. Atho. Ivo par. 14. c. 64. decr.

e *22. q. 5. c. 12. juramenti.*

f *De pœnit. d.*

1. c. 41. *non poteſt. & de conſecr. d. 4. c. 4.*

Matthæum. Hæc etiam verba invenies mendoſa, de conſecrat. diſtin. 1 v. cap. 1 v. Sic etiam cap. x. ejuſd. diſtinct. itidem mutandum eſt. *g* [4] Hæc ex in libris Michaëlis Thomaſij Ilerdenſis Epiſcopi accepi, qui unus ex ſelectis Romæ viris, atque, ut audio, magna pars ejus belli fuit; idque ex litteris ejuſdem accepi. B. Non ſine Theſeo Petro Ciacone, ſive Ciaconio, cujus ſudoribus atque eruditione magnos progreſſus fecit, A. Syricius in Cyricum mutatus eſt diſtinctione xx. in illis verbis quarti Leonis de corpore canonum: *Et cum illis regulæ Præſulum Romanorum Silveſtri, Cyrici, Innocentij.* Si quis librum ipſum legat, quem Corpus canonum dicimus, videbit eoſdem Pontifices à Syricio ad Gregorium juniorem epiſtulas quaſdam & canones conſcripſiſſe. Eodem capite, dum Concilia enumerantur, poſt vocem Gangrenſium, hæc deſiderantur: *Antiochenſium, Laodicenſium, Conſtantinopolitanorum Chalcedonenſium.* Hæc meliùs apud Ivonem *h* & Anſelmum *i* & in libro quem Deus dedit Cardinalis ſcripſit *k* & in libro Cæſarauguſtano *l* inveniuntur. [5] Ex epiſtula beati Auguſtini CLXIV. ad Emeritum duo capita apud Gratianum leguntur, alterum cauſſa prima, *m* cujus initium eſt, *Sacramenta*; alterum cauſſa XXIII. *n* cujus principium eſt, *Noſtri adversùs.* Ad Demetrium, pro *ad Emeritum* utrubique ſcriptum eſt, atque ita ſcriptum ut neſcias libri titulus ſit an epiſtulæ. Videndus Deus dedit cap. 11. *o* Non minus erratum eſt

Dif. 20. c. 1.

g *De conſec. d. d. 4. c. 10. numquam aquæ.*

h *Ivo lib. 2. tit. 11. c. 31. panor. & par. 4. c. 72. decr.*

i *Anſ. lib. 3. c. 115.*

k *Deus ded. c. 2.*

l *Cæſar. lib. 2. c. 11.*

m *1. q. 1. c. 34.*

n *23. q. 3. c. 3.*

in illis verbis quæ refert Gratianus dist. XVI. *o Quinta in Constantinop. contra Theodorum Mesochœnum, & omnes hæreticos &c. temporibus Justiniani Principis, Julij Papæ Romani, domini Antiocheni, Eutychij Const. Vigilij* pro *Julij* scribendum rectè notavit Democharès tam hoc cap. x. Isidori quàm IX. Bedæ. Neque enim Julius Papa fuit temporibus Justiniani Imperatoris. Sed & *Domni* pro *domini* scribendum fuit, *p* & *Mopsuestenum* pro *Mesochœnum*, ex Conciliis. Mopsuestenum adgnovit Contius. [7] Idem Theodorus Mosophenus appellatur caussa XXIV. quæstione secunda extrema his verbis etiam apud eundem Contium: *q Item Rabanus sanctæ memoriæ Episcopus factus Edissenæ civitatis, qui in sacerdotibus resplenduit, Theodorum Mosophenum post mortem in Ecclesia anathematizavit*, Pro *Rabanus* scribe *Rambulas*, & pro *Mosophenum*, *Mopsuestenum*. [8] B. Hicne est Theodorus quem laudat Isidorus in viris illustribus, & ait ab Acephalis fuisse damnatum? A. Negare non possum eundem esse. Sed existimo Isidorum tunc non legisse acta quintæ synodi generalis. Sic etiam apud Ivonem parte quarta cap. XXCI. decret. de Sozomeni historia dicitur: *Eam sedes apostolica suscipere recusat, quando multa mentitur, & Theodorum inconsuetè nimiùm laudat.* Pro *inconsultè* scribo *Mopsuestiæ*. B. Vehementer placet. A. Malè autem factum est cùm pro Concilio Emeritensi concilium apud Emerech scripserunt caussa X. quæstione ter-

o *Dist.* 16. *c.* 10. Prima autem. *p. quinta.*

p *Vid. Ivo. par.* 4. *c.* 148. *decr.*

q 24. *q* 2 *c. ult. p.* Item Rabanus.

10. *q.* 3. *c.* 2. *priscis.*

tia. Ejus Concilij mentionem facit Innocentius tertius lib. II. epist. CXXI registri, & ex eo in decretis ait caput esse cujus initium *Priscis*. Est autem caput XVI. ejusdem Concilij, quod non editum vidi. Et ex eo negatio auferenda est ab editis Gratiani libris: *Cui sua plenissime sufficere non possunt.* Etenim legendum est: *sufficere possunt.* B. Vox *plenissimè* apertè ostendit negationem non fuisse scribendam. [9] A. Sic alibi pro Epaunensi Concilio Hipponense scriptum est. Hæc enim est capitis XXX. de consecratione inscriptio: *r Item ex Concilio Hipponensi cap.* VI. *Altaria si non fuerint lapidea &c.* Scribendum *Epaunensi cap.* XXVI. *&* XXVII. Meliùs tam Burchardus *s* quàm Ivo *t* id caput referunt. [10] Quis etiam ferat quod causa XV. dicitur? *u Item ex Concilio apud Ephesum habito præsente Henrico Rege? Placita secularia &c.* Quis Rex interfuit Ephesi in synodo quæ habita est sub Theodosio minore, si de generali loquimur? Si de alia, quid Henrico cum Epheso? Apud Burchardum *x* pro voce *Ephesum* est *Erphesfurt.* quæ vox Germanica est. Apud Ivonem *y Erfphord*, non sine mendo. B. Memini videre Romæ notas tuas ad Hadrianum sive Engelramum, in quibus de hac emendatione dicebatur; eámque aliis Burchardi *z* & Ivonis *a* locis confirmabas. A. Inveni postea in quibusdam chronicorum libris Galliæ & Germaniæ, *b* ejus loci & Concilij mentionem; item loci tantùm in epistulis Zachariæ & Bonifacij martyris. [11] Sed anchoras tollamus.

r *De consec. d. 1. c. 30.* Altaria.
s *Burch. libro 3. c. 25.*
t *Ivo lib. 2. tit. 4. c. 5. panor. & par. 3. c. 30. decr.*
u *15. q. 4. c. 2.*
x *Burc. libro 13. c. 21.*
y *Ivo par. 4. c. 53.*
z *Burc. lib. 11. c. 77. & lib. 13. c. 27. & 28.*
a *Ivo d. p. 4. c. 59. & 60. & par. 14. c. 125. decr.*
b *Regino in add. an. 93 Lamb. an. 935.*

ADDITIONES.

1 IN Gregoriana editione 23. q. 4. c. 30. hanc habet inscriptionem: *Item objicitur illud Silverij Papæ ad Amatorem Episcopum.* Et postea: *Guilisarius patricius noster mandavit.* Et in Notis: *In tribus vetustis exemplarib. ex quibus caput hoc restitutum est Silverio, (antea enim tribuebatur Silvestro) legitur Bellisarius. Sed quia est initium capitis, non est mutatum.* In margine est: *Poly. l. 1. tit. 7. Ans. lib. 12. c. 8. & 9.* In eodem capite editum est: *in palatium Pincis.* & postea: *ante prædictam patriciam.* & in Notis additur: *Sic mutatum est ex ipsa epistola & vita Silverij, ubi hæc patricia vocatur Antonina. Antea legebatur:* prædictum patricium.]

2 Capitis primi inscriptio 21. q. 3. in Romana editione hæc est: *auctoritate Carthaginensis Concilij primi probatur in quo Nicasius Episcopus Culusitanus dixisse legitur c. 6. Palea. Pervenit in sanctam &c.* In Notis hæc sunt: *Emendata est hæc inscriptio ex ipso Concilio & vetustis Gratiani codicibus, cùm antea mendosè legeretur:* Nicolaus Papa Episcopis Castilianis.] Pertinet autem hic titulus ad c. *Credo.* proximè post paleam interjectam sequens. In margine est: *In Conc. Chalc. c. 3. sup. di. 86. Pervenit. Burch. l. 2. c. 145. Ivo p. 6. c. 218.* In extremo capite hæc adduntur: *Hic idem canon tertius Concilij Chalcedonensis affertur sup. dis. 86. c. fin. ex alia versione. Abest autem hæc Palea à collatis exemplaribus, exceptis duobus.* In margine capitis 2. *Credo placere*, hæc sunt: *sup. dis. 54. Magnus. Burc. l. 2. c. 150.* Caput ult. dist. 86. ita inscribitur: *Vnde in Chalcedon. Concilio c. 3. legitur: Pervenit ad sanctam &c.* In margine est: *Burc. l. 2. c. 145. Ivo p. 6 c. 218.*

3 In eadem Romana editione 27. q. 2. c. 47. est quod ego 46. appello. Ejus capitis inscriptio hæc est: *Item Ioannes octavus Rostanno Archiepiscopo: Atho præsentium lator &c.* In Notis est: *Octavus*] *Sic est restitutum ex plerisque vetustis & Ivone. In vulgatis erat Chrysostomus.* In margine hæc sunt: *Ivo par. 14. c. 64.*

4 Capitis duodecimi 22. q. 5. inscriptio in Gregoriano libro est: *Hinc etiam Chromatius in c. 5. Matthæi. Iuramenti hæc causſa &c.* In Notis hæc sunt: *Chromatius*] *Antea citabatur Chrysostomus. Cui errori occasionem dederat similitudo primarum litterarum.* Proximo capite pro *Idem* est in margine: *Aliàs Item.* De pœniten. dist. 1. cap. 41. *Non potest*, ita inscriptum est: IDEM. Significatur autem Joannes os aureum, cujus est caput 40. *Perfecta.* In margine est: *Infrà de consec. dis. 4. Non potest.* At de consecratione dist. 4. c. 4. hanc habet inscriptionem: *Item Ioannes Chrysostomus. Non potest quis &c.* In margine hæc sunt: *fortè Chromatius. & Sent. 4. dist. 12. suprà de pœnit. dis. 1. Non potest.* Caput verò decimum ejusdem distinctionis quartæ hanc inscriptionem habet: *Item Chromatius in Matthæum c. 6. Nunquam aquæ &c.* Et in Notis hæc sunt: *Antea citabatur Chrysostomus, apud quem non est inventum, sed in fragmentis Chromatij.* Et in margine est: *Sent. 4. dist. 3.*

5 Capitis primi distin. 20. in Romana editione verba sunt: *Quibus autem in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis sunt canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Constantinop. Ephes. Chalcedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthaginensium; & cum illis regulæ Præsulum Romanorum Silvestri, Syricij, Innocentij &c.* In margine est: *Apud Anselmum & Polycarpum desunt omnia Pontificum nomina.* In Notis hæc sunt: *Indicat canones & regulas ex quibus constat Corpus vel Codex canonum, de quo in præfatione dictum est, quo Romani Pontifices, præsertim in judiciis utebantur &c.* In admonitione ad lectorem hæc de Codice canonum dicuntur: *In Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum magistra solitos esse observari Conciliorum canones & Pontificum decreta ac ceteris Ecclesiis communicari planè compertum est. Atque in usu præcipue videtur fuisse collectio illa quam Nicolaus Papa in c. Si Romanorum. dist. 19. Codicem canonum nominat: in quo continebantur canones & regulæ illæ quæ recensentur à Leone IV. cap. De libellis*

dist. 20. Hujus codicis tria manu scripta exemplaria Romæ habentur in Vaticana bibliotheca. Extat etiam impressus Moguntiæ An. Sal. M D X X V. &c.

6 Inscriptio capitis 34. Sacramenta. 1. q. 1. in eodem libro Romano hæc est: *Idem* (Augustin.) *ad Emeritum epist, 164.* Et in margine: *Algerus l. 3. c. 9. Polyc. l. 7. tit. 10.* Similis inscriptio est cap. *3. Nostri, 23. q. 3.* in cujus margine hæc sunt; *Ivo p. 10. c. 80. Pann. l. 8 c. 26.* Et in Notis dicitur additam esse negationem ex originali & Ivone, & alia esse emendata.

7 Caput 10. dist. 16. cujus initium *Prima autem,* par. *Quinta*, in editione Gregoriana sic habet: *Quinta in Constantinopoli contra Theodorum Mopsuestenum & omnes hæreticos &c. temporibus Iustiniani Principis, Vigilij Papæ Romani, Domnini Antiocheni, Eutychij Constantinopolitani.* Et in margine est *Aliàs Domni* pro *Domnini.* Capite nono extremo, cujus initium *Sexta synodus*, hæc verba sunt: *Quinta item Constantinopoli temporibus Vigilij Papæ sub Iustiniano Principe contra Theodorum & omnes hæreticos.* Et in margine: *Pann. l. 2. c. 111.*

8 Capite ult. 24. q. 2. par. Rambulas, hæc verba sunt in Romana editione: *Rambulas sanctæ memoriæ Episcopus factus Edessenæ civitatis, qui in sacerdotibus explenduit, (al. resplenduit) Theodorum istum Mopsuestenum etiam post mortem in Ecclesia anathematizavit.*

9 Inscriptio capitis secundi *Priscis*, 10. q. 3. in eo libro hæc est: *Item ex Concilio Emeritensi c. 16.* In Notis hæc sunt: *Caput hoc in codicibus Gratiani etiam manu scriptis corruptè citabatur ex Concilio Merech. Est autem in Emeritensi c. 16. cujus Concilij duo exemplaria ad S. D. N. Gregorium XIII. missa sunt. Hujus concilij, & capitis meminit Innocentius tertius in Epistolis Romæ impressis lib. 2. epistola Petro Compostellano scripta his verbis:* Emeritense verò Concilium authenticum esse multis rationibus astruebas, tum quia cum aliis Conciliis continetur in libro qui Corpus canonum appellatur, quem Alexander Papa per interlocutorem authenticum comprobavit, tum quia

de ipso Concilio sumptum est caput Priscis quidem canonibus, quod continetur in corpore decretorum.] Et mox : *Sufficere possunt*] *Sublata est negatio quæ erat in vulgatis, quoniam & ab utroque exemplari Concilij & à vetustis Gratiani codicibus abest. Et hoc modo magis convenit cum ratione legis.*

10 Capitis 31. *Altaria.* de consecrat. dist. 1. inscriptio est in editione Gregoriana : *Item ex Concilio Epaunensi c. 26. & 27.* Et in Notis est: *Ivocitat, ut vulgata Gratiani exemplaria, ex Concilio Hypponensi. Sed ex Burchardo & vetustis Gratiani codicibus restitutum est Epaunensi, ex cujus 26. & 27. capitibus confectum est.* Et in margine hæc sunt : *Burch. l. 3. c. 25. Ivo par. 3. c. 30 Pann. lib. 2. c. 32.* Est autem in hac distinctione varietas numerorum capitum à nostris dialogis, quæ oritur ex divisione primi capitis. Nobis enim non duo capita sunt initium distinctionis *Consecrationem* & illa verba *Tabernaculum enim &c.* Quod non fugit selectos viros, qui veniam petunt ob citationes doctorum.

11 Inscriptio capitis secundi 15. q. 4. in eodem libro hæc est : *Item ex Concilio apud Erphesfurt habito præsente Rege Henrico.* Et in Notis : *In vulgatis legebatur Ephesum, quasi hoc esset decretum aliquod Concilij Ephesini habiti tempore Cælestini Papæ & Theodosij junioris. Hoc verò est Germanicum Concilium habitum præsente Henrico Rege, prout etiam apud Burchardum & Ivonem dicitur. Et codices Gratiani manu scripti habent quemadmodum est restitutum. In hoc autem oppido petiit Bonifacius à Zacharia Papa constitui Episcopum, & impetravit. Quod apparet ex prima epistola Bonifacij ad Zachariam & ultima Zachariæ ad Bonifacium.* Et in margine hæc sunt : *Burc. l. 13. c. 21. Ivo p. 4. c. 53.*

DE

DE EADEM RE.

Dialogus quartus.

C. INCIDI, Gratiani librum hodie legens, in quædam verba capitis primi & secundi distinctionis LXIII. de quibus scire velim quid sentias. A. Quid illud est? C. Dixisti nuper Nicolaum & Hadrianum minorem contra Photium pro Ignatio scripsisse, & sub Hadriano octavam synodum habitam fuisse. A. Dixi, fateor; idque verum esse existimo. C. At non Photius, sed Fotinus bis dicitur dicto capite secundo, quod inscribitur ex octava synodo, & ejus initium est: *Hadrianus Papa secundus, quod Nicolaus prædecessor ejus disposuerat, missos suos &c.* A. Utere vel lima, vel spongia mea, quas Græcis verbis Isocrateis adornatus nuper vidisti ΦΙΛΟΜΑΘΗΣ, ΠΟΛΥΜΑΘΗΣ; & pro Fotino scribe Photium C. Hic ille est cujus Bibliotheca laudatur, & XIV. tituli Nomocanonis cum Theodori Balsamonis commentariis exstant Latini nuper facti? A. Hic ipse est. Sed quid de primo capite quæris? C. Idémne Hadrianus est primi capitis scriptor, an primi primus, secundi secundus? A Utrumque caput ex octava synodo est sub Hadriano minore cap. XXII. Referunt Ivo *a* & Anselmus *b* & Deus dedit *c* & liber Cæsarauguſtanus *d* & tuus B. Tarraconen-

Distin. 63. c. 1. & 2.

Dial. 3. ante add. 2.

a *Ivo lib. 3. tit. 2. c. 1. Panor. & par. 5. c. 122. decr.*
b *Ans. lib. 6. c. 20.*
c *Deus de. c. 1*
d *Cæsar. lib. 3. c. 63.*

e Tarrae. lib. 1. c. 47.

sis. e C. Cur igitur utrumque non conjungitur, & omnia, ut in ipsa synodo octava sunt, leguntur? B. Si Gratianus ex fontibus suis aquas derivasset, id fecisset. Sed ex his & aliis permultis constat neque Concilia vidisse neque registra Pontificum neque alia sanctorum patrum scripta, sed eum quæ in variis collectionibus reperta ab eo sunt, ea in medium protulisse. A. Non nego hæc ita se habere. Sed non facilè invenire poteris omnia quæ retulit Gratianus. B. Quis ille est Episcopus Neophesinus Roma missus? Nomen Ecclesiæ audivi nunquam. A. Nepesinus scribendum est. B. Hoc maximè placet, ab urbe Nepete, ut opinor. A. Maximè. [1] Sed de aliis videamus. Gallia pro Galicia scripta est caussa x. extrema Gratiani *f* in illis verbis Toletani Concilij: *Querimonias etiam parœcialium Presbyterorum Galliæ provincia sollertissimè discernere.* Ejus capitis verba sunt in Toletano Concilio septimo cap. quarto, non quarto Concilio. quod Democharesetiam animadvertit, sed cetera non mutavit. Scribe igitur *Galiciæ*, pro *Galliæ*, & *parochianorum* pro *parœcialium*. [2] Gennadium pro Germano & Thaumaturgum pro Trimegisto scribere oportet dist. XVI. cap. VII. g Sunt enim verba sextæ synodi repetitæ in Trullo cap. 11. Quis autem unquam Gregorium Trimegistum dici audivit? Καὶ Γρηγόριον τὸν ὁσιόπατερ ἡμῶν Καισαρείας τῆς Θαυματουργῆ scriptum est in Græco canone. Et postea, ἢ Γεννάδιον πατριάρχην &c. Minùs mendosi sunt Ivo h

10. q. 3. c. 8. Inter cetera.

g Dist. 16. c. 7. Quoniam.

h Ivo li. 2. tit. 11. c. 29. Pan. & par. 4. c. 134. decr.

& Cæsarauguſtanus liber *i* in Thaumaturgo, at Germanum retinent. Contius rectè Gennadium in margine ſcripſit & Thaumaturgum. [3] Inſcriptio capitis ultimi diſtin. XCV. *k* ita ſcripta eſt : *Item in Concilio Genuenſi cap.* IV. *Palea.* Nuſquam id concilium invenies. Scribendum cenſeo : *Ex Concilio Neocæſarien. cap.* XVIII. Videndus Martinus Bracarenſis cap. LVI. Burchardus, *l* Ivo, *m* & Anſelmus, *n* & liber Cæsarauguſtanus. *o* [4] Hæc certa ſunt. Illa veriſimilia ex Ivone. *p* Cauſſa XXIV. capitis quarti principium eſt: *q Audivimus quòd hæreticus Ravennas dictus Archiepiſcopus &c.*] *Henricus* pro *hæreticus* ſcribendum. [5] In nomine Hieremiæ bis erraſſe librarios invenio, De pœnitentia capite ſexageſimo ſeptimo, *r* ubi in Hieronymum mutatus legitur. Vide cap. XVII. Hieremiæ. Et mox cap. LXIIX. *Alioquin & in reverentiam loquitur Deus.* Pro *in reverentiam* ſcribe *in Hieremia.* *ſ* [6] Ex libro Joannis Andreæ de vita & laudibus beati Hieronymi, Gratiani libri mendoſi circumferuntur in ejus nomine ; quædam enim Auguſtino, quædam Gregorio tribuuntur. Exemplum ſumamus ex hoc loco in Democharis & Contij editione mendoſo relicto, XIV. cauſſa, quæſtione prima extrema. *Item Gregorius in epiſt. ad Jovinianum.* Quod *præcipitur imperatur &c.* Eſt enim ſcribendum : *Hieronymus lib.* I. *contra Jovinianum.* Error errorem ſequitur, ut idem Joannes Andreæ ait. Eadem enim verba poſita ſunt, ut Gregorij, lib. V.

i *Cæſ. lib.* 2. *c.* 2.

k *Diſt.* 95. *c. ult.*

l *Burc. lib.* 5. *c.* 44. *&* 45.
m *Ivo par.* 2. *c.* 53. *&* 54. *decr.*
n *Anſel. lib.* 7 *c.* 188.
o *Cæſar libro* 8. *c.* 18.
p *Ivo lib.* 5. *tit.* 5. *c.* 10. *panor. & par.* 14. *c.* 57. *decr.*
q 24. *q.* 1. *c.* 4.
r *De pœn. d.* 1. *c.* 67. Si agamus. *&c.* 68. Quamobrem. *p.* Rurſus.
ſ *Hier.* 17. *d.*

14 *q.* 1. *ultim. in fine.*

c. 15. In his. *de verb. ſignif.*

Decretal. sub titulo de verb. significat. Eadem, si placet, in collectione veteri secunda quæramus. C. Exstat sub eodem titulo caput unicum tertio Celestino inscriptum, & in eo bis nomen Gregorij reperi: *Item secundùm Gregorium quod præcipitur &c.* Et postea: *Quòd juxta eundem Gregorium non debet aliquis verba considerare &c.* A. Hæc postrema verè Gregorio adscribuntur, ut apud Gratianum invenies. C. Quænam alia loca sunt Gregorio aut Augustino falsò adscripta? A. Rectè à Democharе conscripta invenies, ut caussa VII. cap. quadragesimo primo, *In apibus.* quod Gregorio inscribebatur. Sic Augustino cap. VI. distin. IX. *u* & dist. quinquagesima cap. XIX. *x* [7] In Ilerda & Ilerdensi concilio duplex error esse solet. Sæpe enim in Hillerdam & Hyllerdam atque Hillerdense & Hyllerdense mutantur. Semel rectè *Ilerdam* editum est à Democharе caussa prima cap. CXVII. in inscriptione: *y Item universis Episcopis per Ilerdam provinciam constitutis. Quibusdam narrantib. &c.* Pro voce *Ilerdam* in margine posita est vox minus cognita *Helledam.* Sed mutanda est in Helladem, quæ Græciam significat. Fons ejus capitis est, Democharе teste, Gregorius lib. IV. epist. LVI. cap. o. sive postremo. C. Non video ex hoc fonte probari posse scribendum esse Ilerdam & Ilerdense Concilium. A. Mihi satis est Helladem probare. De Ilerdæ scriptura B. noster tibi nummis veteribus & titulis monumentorum & car-

22. q. 5. c. 11. Humanæ.

17. q. 1. c. 41. In apib.

u c. 6. Ut veterum. *distin.* 9.

x c. 19. Cùm exaudiero. *dist.* 50.

y 1. q 1. c. 117. Quibusdam.

minibus veterum Poëtarum satisfaciet. [8] Hylerdense Concilium pro Triburiensi refert Gratianus distin. quinquagesima quinta cap. x. z & Burchardus *a* & Ivo. *b* Vide cap. xxxiii. Triburiensis Concilij. [9] Pro Justiniano Jovianus scribatur oportet cap. vi. de pœnitentia. *c* Ejus enim refertur constitutio, cujus initium est: *Si quis non dicam rapere &c. d* Quæ cùm in Codice Theodosij legatur, *e* certum est Justiniani non esse. Sunt etiam alia hujus rei testimonia. *f* Eadem constitutio relata est caussa xxxvi. *g* cum eodem errore. [10] Nunc tibi C. poculo Circeo aut virga opus est ut Vincentium in Juvencum mutes. C. Priùs mihi caussa à te dicenda est cur hic gentilis meus alienam personam induerit. A. Distinct. xv. *h* in veteri librorum censura Gelasiana post Sedulij laudes legimus: *Item. Vincentij nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed imitamurJ Juvenci* scribendum est ex conciliis. B. Id quidem probo. Sed in verbo *imitamur* mendum est. An Gelasius carminibus cum synodo est usus? D. Rectè admones. *Miramur* scribendum est. Bene utrumque Burchardus, *i* malè Ivo in panormia, rectè idem in decretis, *k* & liber Cæsaraugustanus, *l* &, ut suspicor, Episcopus Segobiensis. [11] Quod dicam, non ita certum est. Idem Juvenci nomen mutatum invenio caussa prima quæstione III. in inscriptione cujusdam capitis Urbani secundi, quæ sic edita est: *Item Vrbanus Episcopus servus servorum Dei dilecto*

z *Dist.* 55. *c.* 10. Si quis.
a *Burch. libro* 2. *c.* 15.
b *Ivo li.* 3. *tit.* 5. *c.* 1. *panor. & par.* 6. *c.* 34. *decr.*
c *De pœnit. d.* 1. *c* 6. Si quis.
d *C. de Epis. & de. l.* 5.
e *Cod. Theod. lib.* 9. *tit.* 25. *const.* 2.
f *Vide hist. triper. lib.* 7. *c.* 4.
g 36. *q.* 2. *c.* 3.
h *Dist.* 15. *c.* 3. Sancta *p.* Item venerabilis.
i *Burc. libro* 3. *c.* 220.
k *Ivo li.* 2. *tit.* 11. *c.* 3. *Panor. & par.* 4. *c.* 69. *decr.*
l *Cæsar. lib.* 2. *c.* 6.
1. *q.* 3. *c.* 8. Salvator.

filio Præpoſito Eccleſiæ ſancti Vincentij ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Salvator prædicit &c. Exemplum hujus epiſtulæ inveni in quo erat L. poſt vocem *filio*, quod Laurentium fortaſſe ſignificat; & pro ſancti Vincentij erat *ſancti Iuvenci Ticinenſis*. Ejuſdem epiſtulæ partem inveni apud Anſelmum libro tertio extremo, in libro Romano. Poterit B. noſter ex Italia nos certiores facere num ſit aliquis ſanctus Juvencus vel Juventius Ticinenſis, cujus hæc ſint. Interea hæc in variis lectionibus conſcribantur. Miror autem cur poſt hanc inſcriptionem edi Demochares paſſus ſit hæc verba: *Quare in Evangelio prohibetur inveſtitura Eccleſiæ à laicis fieri?* B. Hócne, obſecro te, editum eſt? A. Inſpice. Quid tibi videtur? B. Nunquam hoc Demochares edidit. Deleri oportet duas illas voces, *in Evangelio*. A. Immo tota clauſula. In eodem capite hæc leguntur: *Sed beatus anteceſſor noſter Paſchaſius libro de conſecratione affirmavit &c.* Errare aliquos ſcio in hoc nomine Paſchalis, & pro eo Paſchaſium ſubſtituunt. Liber de conſecratione Paſchalis Papæ nullus exſtat. Sed vox *libro* auferenda eſt. Sic enim in exemplo hujus epiſtulæ eſt: *Sed beatus anteceſſor noſter Paſchalis de conſecratione affirmavit quòd quiſquis eorum alterum vendiderit &c.* Hæc Paſchalis primi ſententia poſita eſt à Gratiano cap. VII. ejuſdem quæſtionis ex epiſtola ad Mediolanenſes, *m* ut ex veteribus libris cognovi. Quod caput etiam referunt Ivo *n* &

m 1. q. 3. c. 7. Si quis.
n Ivo l. 3. tit.

Anſelmus *o* & Deus dedit *p* & liber Cæſarauguſtanus. *q* [12] In alia inſcriptione poſita cap. quinquageſimo ſexto de conſecratione ſcriptum eſt: *Item Macarius Papa. Nullus Epiſcopus &c.* *r* Quis unquam audivit Macarium Papam fuiſſe? Pro Macario Zacharias ſcribendus eſt, qui in ſynodo Romana non edita cap. XIII. & XIV. illis verbis utitur. Videndus Burchardus *ſ* & Ivo *t* & liber Cæſarauguſtanus, *u* qui hæc Zachariæ adſcribunt. [13] Illud leve videatur quod mendoſum eſt cauſſa XVI: *x Prima actione Theodulphi Malechitanæ Eccleſiæ antiſtitis &c.* Scribendum *Malacitanæ*, ex Concilio Hiſpalenſi ſecundo cap. I. Et poſtea *Ægabrenſis*, non *Egabienſis*. [14] *Maſonem* pro *Maſſanum* ſcribo diſtin. quinquageſima cap. XXIIX. in inſcriptione: *y Item Iſidorus ad Maſſanum Epiſcopum. Domino ſancto meritiſque beato fratri Maſſano Epiſcopo Iſidorus Epiſcopus ſalutem.* Scribo *Maſoni* pro *Maſſano*. Rectè apud Gratianum cauſſa XXXIII. editum eſt: *z De his ita ſcribit Iſidorus ad Maſonem Epiſcopum.* Exſtat eadem epiſtula ante libros ſententiarum ſive de ſummo bono. Refert Rabanus in libro pœnitentium cap. I. Burchardus, *a* & Ivo, *b* & Anſelmus, *c* & liber Cæſarauguſt. *d* & Tarraconenſis. *e* [15] Sed quid vos inter vos? B. Quærit C. à me cur meliùs ſit *Maſonem* quam *Maſſanum* ſcribere. Ego illi poſtea me dicturum reſpondi. A. Quid autem dicturus eras? B. Quæ tu de Maſonibus in Papiria familia ſcripſiſti. Unde

o *Anſ. lib. 7. c. 190.*
p *Deus ded. cap. 2.*
q *Cæſar. lib. 4. c. 43.*
r *De conſ. d. 1. c. 56. Nullus.*
ſ *Burc. l. 3. c. 230. & 231.*
t *Ivo par. 3. c. 27. & 272. decr.*
u *Cæſ. libro 4. c. 48.*
x *16. q. 3. c. 13. Prima.*
y *Diſt. 50. c. 28. Domino.*
z *33 q. 2. c. 11. Hoc ipſum.*
a *Burc. lib. 19 c. 43. & 73.*
b *Ivo li. 3. tit. 11. c. 17. panor. & par 6. c. 397. & 398. & par. 15. c. 86. & 95. decr.*
c *Anſ. lib. 8. c. 37.*
d *Cæſ. lib. 8. c. 69.*
e *Tarrac. lib. 3. c. 84. & 85.*

Marso ille apud Ciceronem, à te Maso dictus, in tenebris diù jacuerat. quod Petrus Victorius laudat. A. Ego verò jam istorum eram oblitus. Veteres tantùm libros sequendos dixissem. Sed cetera persequamur. Quid vos Melchiam esse creditis distinct. XXXII. cap. X? *f* B. Vocem sine mente, ut βλήτυει, sive βλίτυει. A. Licebítne Melphiam substituere? B. Immo ex asse heredem instituas licet. Incidi enim Romæ aliquando in Urbani secundi synodum apud Melphiam habitam. A. In ea synodo cap. XII. quod Gratianus refert, exstat. Ivo in Panormia Melsiam scribit *g* minùs mendose. [16] Gregorij verba sunt apud Gratianum caussa XVI. *h Et temporis qualitas & vicinitas nos locorum invitat ut Cumanam atque Musitanam unire debeamus Ecclesias.*] *Musinatium* pro *Musitanam* habet Anselmus. *i Misenatem* vel *Misenatium* malo, ut habet Joannes Diaconus lib. III. cap. XIV. de vita beati Gregorij. Fons est Gregorius lib. II. epist. seu cap. XXXI. ut refert Democharес. [17] Idem caussa undecima cap. XLIII. *k* pro Milevitano Concilio Toletanum tertium cap. XIII. edidit. Sed cùm ejusdem capitis fieret mentio quæstione secunda, *l* vocem *Milevitani* reliquit. [18] Postremò ex Gregorij epistula *m* Monothelitas liceat iterum damnare, quos constat à Martino primùm Pontifice in Concilio Romano fuisse damnatos mortuo jam Gregorio. Locus Gregorij sumptus est ex libro IX. epist. sexagesima prima ad Qui-

f *Dist.* 32. *c.* 10. Eos qui.

g *Ivo li.* 3. *tit.* 8. *c* 18. *panor.*
h 16. *q.* 1. *c.* 48.

i *Ans. lib.* 6. *c.* 102.

k 11 *q.* 1. *c.* 23. Inolita.

l 11. *q.* 2. *c. un.*
m *De consecrat. d.* 4. *c.* 44 Ab antiqua.

rinum & ceteros in Hibernia Episcopos, ut habet Democharis. aliis *in Hiberia* magis placet. Apud Ivonem *n* & in libro Cæsarauguſtano *o* vox *Hibernia* non mutatur; *Monophysitas* pro *Monothelitas* mutatur. quod probo. *Monophysitas* est in veteri Anselmi libro in additis capitibus. [19] Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

n *Ivo lib. 1. tit. 2. c. 81. panor. & par. 1. c. 153. decr.*

o *Cæsar. lib. 12. c. 68.*

ADDITIONES.

1 DISTINCTIONE 63. Romana editione caput primum ita inscriptum est: *Vnde Hadrianus Papa in 8. synodo Constantinopoli sub ipso celebrata.* Et alterum caput hanc habet inscriptionem. *Item ex octava synodo, actione prima. Hadrianus Papa secundus, (quod Nicolaus prædecessor ejus disposuerat) missos suos, Donatum scilicet Hostiensem Episcopum, & Stephanum Nepesinum Episcopum &c.* Et postea: *schisma de Ignatij depositione & Photij ordinatione sedaverunt, Photium anathematizantes &c.* In hoc extremo capite hæc adduntur: *Si hic addatur ver. Quisquis. ex capite antecedente; erit integer 22. canon 8. synodi. In vulgatis sequebatur vox* clerus, *quæ in vetustioribus est glossa interlinearis.* In extremo capite primo hæc etiam sunt in Notis: *Hic citantur partes quædam canonis vigesimi secundi octavæ synodi sub Hadriano Papa II. habitæ, & ab Anastasio Bibliothecario Latinitate donatæ.* Et in margine ejusdem capitis primi: *Ansel. lib. 6. c. 23. & 72. Ivo p. 5. c. 122. Pann. l. 3. c. 8. Deus dedit p. 1.* Et in vers. *Quisquis: Infrà c. proximo. Polyc. l. 2. tit. 1.* Et in margine c. 2. *Ans. l. 6. c. 23. Ivo p. 5. c. 122. & Pann. lib. 3. c. 8. Deus dedit ubi suprà.* Et vers. *Consecrationes: Polyc. l. 2. tit. 1.*

2 Capitis octavi *Inter cetera*, 10. q. 3. in eadem editione inscriptio est: *Item ex Concilio Toletano septimo c. 4.* In eodem capite hæc verba sunt: *querimonias etiam parochialium Presbyterorum Galliæ.* Et

in margine : *Al. parochianorum.* In Notis additur: *In Conciliis impressis & aliquot Gratiani exemplaribus legitur* Galliciæ : *In aliis autem, & emendatioribus, atque in codice Conciliorum Lucensi regio habetur* Gallicanæ provinciæ. *Nam eo tempore Archiepiscopus Narbonensis & ejus provinciæ Episcopi ad synodos Toletanas conveniebant. quod ex subscriptionibus Toletani tertij apparet &c.* Ego verò *Gallicia* retineo. Sequitur enim mentio synodi Bracarensis.

3 Distinctione 16. cap. 7. *Quoniam.* in Romano libro hæc verba sunt : *Gregorij Thaumaturgi Neocæsariensis Episcopi &c. Gennadij Constantinopolitani Episcopi &c.* Et in margine : *Al. Germani.*

4 Inscriptio capitis ultimi distin. 95. in eodem libro est : *Item ex Concilio Neocæsariensi c. 13. Palea.* Et in Notis est : *Antea citabatur ex Genuensi. Restituta est inscriptio ex ceteris collectoribus Est autem hæc ferè Dionysij versio.* Et in margine hæc sunt. *Ans. l. 7. c. 188. Burch. l. 5. c. 44. Ivo p. 2. c. 53.*

5 In eadem editione inscriptio cap. 4. *Audivimus,* 24. q. 1. hæc est : *Vnde Alexander secundus scribit Valeriano Episcopo Martyri. Audivimus quòd Henricus, Ravennas dictus Archiepiscopus &c.* In margine est : *Ivo p. 14. c. 57. Pann. l. c. 133.*

6 De pœniten. dist. 1. cap. 67. *Si agamus.* in eadem Romana editione ita scriptum est : *Rursum juxta eundem Hieremiam.* Et in margine : *Hierem. 17.* Et in Notis : *Hieremiam] Sic est emendatum ex ipsis commentariis beati Hieronymi & uno vetusto exemplari Gratiani. Nam in ceteris est, quemadmodum in vulgatis,* juxta eumdem Hieronymum promittit prospera si pœnitentiam egerimus. Quòd si negligentia &c.] Capite 68. *Quamobrem.* par. *Alioquin.* hæc verba sunt : *Alioquin & in reverentiam loquitur Deus &c.* Et in margine : est : *Hieremia) orig. vera lectio. Hier. 17.* Et in Notis : *Quæ sequuntur, ut etiam multa alia, emendata & locupletata sunt ex originali, præter verbum* reverentiam, *(quod esse debet* Hieremia) *idque ob glossam. 7.* Extremum caput quæstionis primæ causæ 14. them. ult. ita in Romano inscribitur : *Item Hieronymus libro primo contra Io-*

vinianum: Quod præcipitur &c. In margine est: *In vulgatis erat: Gregorius in epist. ad Iovianum.* Et in scholiis: *Quod præcipitur. Hic Grego. innuit differentiam &c.* Inscriptio cap. 15. de verb. signif. est: *Celestinus tertius: In his quæ &c.* Et postea: *Item secundùm Gregorium quod præcipitur &c.* In margine est: *Cap. unico eod. tit. in 2. compilatione.* In casu eadem verba sunt. Et in scholiis: *Quod præcipitur.* 14. *q.* 2. *Quod præcipitur. Bern.* mendosè. Inscriptio cap. 41. cau. 7. quæst. 1. hæc est: *Item Hieronymus ad Rusticum monachum epist. 4. In apibus &c.* In margine est: *Ivo p. 5. c. 356.* Caput 6, distin. 9. uno verbo *Idem* inscribitur. Caput verò quintum *Idem* (Aug.) *ad Hieron. ep.* 19. In Notis est: *Verba hujus capitis sunt beati Hieronymi ad Lucinium Beticum epist.* 28. *Sed mutata non est inscriptio ob glossam in vers.* Græci. *Hieron. in secundo prologo Bibliæ &c. Sed Augustinus ad primitivam Ecclesiam respicit &c. Magis credendum est Hieronymo quàm Augustino &c.* Desidero censuram horum verborum. Caput 19. dist. 2. ita inscriptum est: *Item Hieronymus ad c. 3. Michea: Cùm exaudiero &c.* In casu est: *Probat Aug. in hoc c. &c.*

8 Quod in eadem editione est 1. q. 1. c. 117. *Quibusdam.* hanc habet inscriptionem: *Item universis Episcopis per Elladem provinciam constitutis, eod. lib. 4. epist. 56. seu cap.* 100. Et in margine hæc sunt: *Et eod. l. ep. 51. & 55. & l. 5. ep. 7. Burch. l. 1. c. 21. Ivo p. 5. c.* 108.

9 Capitis. 10. *Si quis in infirmitate.* distin. 55. in eodem libro inscriptio est: *Item ex Concilio Ilerdensi* Et in margine: *Concordat Triburiense c. 33. Burch. l. 2. c. 15. Ivo p. 6. c. 34. Pann. l. 3. cap.* 42.

10 De pœniten. distin. 1. c. 6. *Si quis non dicam.* in Romana editione ita inscribitur: *Cod. lib. 1. de Episcopis & Cler. Imperator Iovianus.* Et in margine hæc sunt: *Tit. 3. & Cod. Th. l. 9. tit. 25. l. 2. 36. q.* 2. Si quis non dicam. *Triper. hist. l. 7. c. 4. Poly. l. 4. tit.* 35. Capitis tertij 36. q. 2. eadem inscriptio est, nisi quòd *Iovinianus* pro *Iovianus* editus est. In margine est: *Sup. de pœn. d.* 1. Si quis non dicam. 1. *in*

Cod. Theod. l. 9. tit. 25. le. 2.

11 In eadem editione cap. 3. *Sancta Romana.* par. *Item venerabilis. distin. 15. hæc verba sunt: Item Iuvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur.* Et in Notis hæc sunt : *Antea legebatur:* Item Vincentij. *Restituta est vera lectio ex Gelasio, Burchardo , & Ivone. De quo Iuvenco meminit B. Hieronymus in catalogo.*

12 Capitis 8. *Salvator.* 1. q. 3. in eodem libro hæc inscriptio est : *Item Vrbanus II. Episcopus servus servorum Dei dilecto filio L. Præposito Ecclesiæ sancti Iuventij apud Ticinum salutem & apostolicam benedictionem.* Et in margine : *Lucio. Ansel.* Et : *Deus dedit. p. 2. Ans. l. 5. c. 42.* Et in Notis : *Integram epistolam Vrbani II. dilecto filio L. Præposito Ecclesiæ B. Iuventij apud Ticinum refert Deus dedit in sua collectione.* In summa hujus capitis hæc tantùm sunt rubrica notata : *De eodem.* In indice librorum ante Gratiani verba edito hæc sunt : *Vrbani II. Concilium Placentinum , & fragmentum alterius Concilij , & epistola L. Præposito sancti Iventij , ex Vaticana.* In eodem capite par. *Sed & beatus.* ita editum est : *Sed & beatus prædecessor noster Paschalis de consecratione affirmat quòd quisquis &c.* Et in margine est : *Sup. ea. c. Si quis.* Et in Notis : *Antea legebatur.* Paschasius libro de consecratione. *Restitutus autem est locus ex vetustis codicibus & originali. Citatur enim hic quod habetur in capite antecedente ex epistola Paschalis Papæ.* Et inscriptio capitis 7. *Si quis objecerit.* hæc est : *Item Paschalis Papa.* Et in Notis hæc sunt : *Auctor verò hujus capitis ac totius illius epistulæ est Paschalis primus. Nam in eo Decretorum codice hæc epistola Paschalis est post decreta Hadriani II. cum decreta Paschalis II. sint post Vrbanum II. eo planè ordine quo sibi successerunt. quod etiam in sequenti capite indicatur.* Et in margine : *Deus dedit p. 2. Magist. l. 4. di. 25. Polyc. l. 7. tit. 6. Ans. l. 13. c. 33. Ivo p. 2. c. 84. Pann. l. 3. c. 123.*

13 De consecrat. distin. 1. in libro Romano cap. 57. *Nullus Episcopus.* hæc inscriptio est : *Item Zacharias Papa in synodo Romana c. 13. & 14.* Et in Notis

hæc sunt: *Antea legebatur* Macarius. *Emendatum est ex aliquot vetustis codicibus & ceteris collectoribus. Et caput ipsum habetur in Concilio manuscripto Zachariæ.* Et in margine: *Polyc. l. 3. tit. 16. Burch. l. 3. c. 230. & 231. Ivo p. 3. c. 271. & 272.* Varietas numeri capitum hujus distinctionis pendet à cap. 1. ut antea diximus.

14 In eadem editione 16. q. 3. caput 13. ita inscriptum est: *Item ex Concilio Hispalensi 2. cui interfuit Isidorus, c. 1. Prima actione Theodulphi Malacitanæ Ecclesiæ antistitis & c. ab Ecclesiis Astiginæ, Eliberitanæ, atque Ægabrensis &c.*

15 Dinstin. 50. cap. 28. in eodem libro hæc inscriptio est: *Item Isidorus ad Massanum Episcopum. Domino sancto meritisque beato fratri Massano Episcopo salutem.* Et in margine: *Al. Masonem. al. Massenum. orig.* Et: *Ans. l. 8. c. 37. Poly. l. 4. tit. 39. Iva p. 6. c. 397. p. 15. c. 57. & 86. Burch. l. 19. c. 43. & 73. Pann. l. 3. c. 149. Rab. pœ. l. 1. c. 1.* Et in Notis hæc sunt: *Sic habet hoc caput in epistola, quæ nuper unà cum aliis Isidori operibus est impressa Parisiis, & ita inscribitur:* Isidori Hispalensis Archiepiscopi epistola ad Massanum Episcopum &c.] Inscriptio cap. 11. Hoc ipsum 33. q. 2. hæc est: *De his ita scribit Isidorus ad Massonem Episcopum in præfatione ad librum de summo bono.* Et in margine: *Al. Massenum.* Et: *Raban. l. pœnit. c. 1. Poly. l. 4. tit. 39. Ans. l. 8. c. 37. Ivo p. 6. c. 398. & p. 15. cap. 91.*

16 Inscriptio capitis 10. dist. 32. in Romano libro hæc est: *Item Vrbanus II. in synodo apud Melphiam c. 13. Eos qui post subdiaconatum.* Et in margine: *Pann. l. 3. c. 101.* Et in indice librorum ante Gratiani verba: *Vrbani II. synodus apud Melphiam, ex Vaticana, & à Iacobo Pammelio canonico Brugensi.*

17 Quod exstat 16. q. 1. c. 48. ita editum in Gregoriana editione est: *Vnde Gregorius Papa scribit Benenato Episcopo lib. 2. epist. 31. Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum invitat ut Cumanam. atque Misenatem unire debeamus Ecclesias.* Et in Notis: *Misenatem. Sic emendatum est ex vetusto codice B. Gregorij: quamvis in vulgatis, sicut etiam apud Gra-*

tianum, esset Musitanam.] Et in margine: *Ans. l. 6. c. 108. Poly. l. 3. tit. 30.*

18 Capitis 42. *Inolita.* 11. q. 1. hæc est in eodem libro inscriptio: *Item ex Concilio Milevitano.* Et in margine: *In Tolet. 3. c. 13.* Et in Notis: *In Concilio Milevitano, quod habetur, nihil tale extat. Ex ipso tamen citatur etiam ab Innocentio III. in c.* Si diligenti. *de foro compe. Habetur autem in Toletano 3. c. 13.* Et in eadem caussa quæst. 2. c. un. *Quòd verò culpa illa suspensione digna sit, ex capitulo illo Milevicani Concilij liquidò constat.* Et in margine: *Suprà q. 1. Inolita.* Varietas numeri capitum quæst. 1. oritur ex cap. 10. *Si quis clericus.* quod in libro meo est undecimum. Nam decimum est, *Episcopus non flagitetur.* quod in Romano est pars cap. 9. *Testimonium.*

19 De consecrat. distin. 4. cap. 44. *Ab antiqua* in libro Romano hanc habet inscriptionem: *Item Gregorius Quirino Episcopo & ceteris in Iberia Episcopis, l. 9. ep. 61.* Et in Notis: *Iberia*] *Sic emendatum est ex originali manu scripto Vaticano. Antea erat Hibernia.* Et in margine: *Poly. ibid.* (hoc est, l. 3. ti. 10.) *Ivo p. 1. 153. Pann. l. 1. c. 88.* Et in eodem capite: *Monothelitas verò & alios &c.* In Notis hæc sunt: *In originali & in Polycarpo & apud Ivonem in textu est,* Monophysitas. *De qua hæresi scribit Ioannes Damascenus in libro de duabus Christi voluntatibus & Nicephorus & alij. Sed ob glossam non est mutatum.*

DE ALIIS MENDIS GRATIANI.

Dialogus quintus.

A. NIHIL magnum veteres Romani, nisi auspicatò, inchoare solebant, non solùm in bello, sed in pace, tam publicè quàm privatim. In eo cœci fuerunt; quòd

auxilia & signa ab avibus, à canibus, à deorum simulacris petebant; tamen, natura duce, Dei auxilium petebant. Nobis nihil agendum Paulus præcipit nisi in nomine Domini. Auspicatò igitur hodie à Petro, & Paulo principibus Apostolorum Dei incipiamus. Gelasij verba sunt apud Gratianum Distinct. LIV. *Magnis quippe studiis secundùm beatum Petrum Apostolum præcavendum est ne fides & disciplina Domini blasphemetur.* Ubi Petrus hoc dixerit ignoro. Sed Paulus priori ad Timotheum epistula cap. VI. id scripsit. Et vidi in veteribus libris prima littera hæc nomina conscribi. Ita *P. Apostolum* scriptum olim fuisse, postea *Petrum Apostolum* credo. Fons est Gelasij epist. I. cap. XVI. ut notat Democharcs. Ivo vocem *Petrum* omittit, licèt in margine habeat *Petri epist. II. cap. II. & Pauli ad Roman. cap. II.* Si Petrus id dixit, nihil mutandum erit. Si non dixit, aut *Paulus* scribendus erit, aut vox *Petrus* delenda. B. Selecti viri tollunt vocem *Petrus*, & in margine addunt I. *Tim.* VI. ubi pars verborum Gelasij invenitur. [1] A. Isidori locus sequitur apud Gratianum: *Nam sub Octaviano Cæsare suffecti Consules Papius & Pompeius legem tulerunt quæ à nominibus eorum appellatur Papia & Pompeia.*] *Poppæus* pro *Pompeius*, *Poppæa* pro *Pompeia* scibendum est ex fastis capitolinis & variis scriptoribus, ut in legibus scripsimus. Idem Contius notat. [2] Pompeio victo Renaldus vincendus est, cujus mentio fit in concilio Triburiensi,

Dist. 54. c. 12. Generalis.

Ivo par. 6. c. 100. decr.

Dist. 2. c. 7. quædam.

17. q. 4. c. 26. omnes.

apud Gratianum in Paleæ nomine additis. *Omnes*, inquit, *Presbyteri interfectores compositione Episcopi ad cujus parochiam pertinent solvantur, ita videlicet, ut medietatem Renaldus Episcopus ejus utilitati Ecclesiæ cui præfuerit tribuat.* B. Hic Renaldus Episcopus est, facilè à te vincetur. A. Quid si vobis vocem aliam Renaldo fortiorem substituam? B. Quænam ea est? A. Uvirigildi. C. Estne hoc Episcopi nomen? A. Non est, sed compositionis. Apud Burchardum lib. VI. cap. XI. ita est: *Presbyteri interfecti compositio Episcopo ad cujus parochiam pertinebat solvatur, ita videlicet ut medietatem Vvirigeldi ejus Episcopus utilitatibus Ecclesiæ cui præfuit tribuat.* Eisdem verbis utitur Ivo parte X. c. CXL. decret. & Bernar. Papien. cap. II. de pœnis in prima collectione decretalium. Sed Gregorius IX. eam vocem noluit repetere, compositionis voce contentus. Ex his & aliis, quæ in Capitularibus Caroli & Ludovici leguntur, pro illis verbis *Omnes Presbyteri interfectores compositione Episcopi &c.* scribo *Omnes Presbyteri interfecti compositiones Episcopo solvantur,*[3] De Sacratio Rege Arragonum sub Hormisda Papa, quod Renaldi fabulis simile videtur, aliquid dicamus. Apud Gratianum caussa XXXI. quæstione secunda post Hormisdæ caput legimus: *Item Sacratio Regi Arragonum. De neptis tuæ conjugio &c.* Apud Ivonem in Panorma eadem verba sunt, non tamen post Hormisdæ verba, sed post Urbani; quæ etiam Gratianus refert

c. 2. de pœnit. Capit lib. 4. c. 15.

31. q. 2. c. 2. & 3.

Ivo lib. 6. ti. 8. c. 8. pano. c. 1. d. q. 2.

ante

ante Hormisdæ epistulam. Apertiùs idem Ivo parte IIX. decret. *Vrbanus Satino Regi Arragonum.* In libro Cæsarauguſtano Cartusianorum, qui Hieronymi Zuritæ fuit, rectè est: *Vrbanus secundus Sanctio Regi Arragonum.* Errati occasio fuit quòd Palea Hormisdæ caput inseruit inter duo Urbani rescripta. C. Hoc idem Didacus Cobarrubias Segobiensis Episcopus divinaverat. A. Gaudeo nos idem dicere, quos veri inquirendi studium conjunxit & amicitia non vulgaris. [4] In Sisebuti vel Sisenandi Regis Hispaniæ nomine sæpe erratum invenio. Distinct. quadragesima quinta cap. v. ex concilio Toletano IV. cap. LVI. (Demochares etiam notat) temporibus religiosissimi Principis Zizebuti. Scribo *Sisebuti.* Quidam *Sisenandi* scribunt, ut Burchardus *a* & Ivo. *b* quæ varietas in Conciliorum libris est. Item de consecratione distin. IV. cap. XCIV. *c* quod dicitur esse ex Toletano Concilio quinto. sed ex Toletano quarto cap. LIIX. est Democharis. Illic ita scriptum est: *De quibus consulti piissimi ac religiosissimi domini nostri Sisemundi Regis hoc sanctum decrevit Concilium.* in margine Sigisimundi nomen est. Apud Burchardum *d consultu* pro *consulti* est aptius, & *Sisenandi* pro *Sisemundi.* item apud Ivonem in panormia. *e* sed in decretis *consultum* & *Sisemandi* habet non rectè. [5] C. Quinam hi Reges fuerunt Sisebutus & Sisenandus? A. Hæc alio die accipies. Hoc tantùm scire hodie potes, Sisebutum cœpisse anno secun-

Ivo par. 8. c. 24. decr. Cæsar. lib. 10. c. 14.

lib. 4. c. 11. var. resol.

Dist. 45. c. 5. De Judæis.

a *Burc. libro 4. c. 82.*
b *Ivo li. 1. tit. 2. c. 65. panor. & par 1. c. 276. decr.*
c *De consec. d. 4. c. 94.* Pleriq

d *Burc. libr. 4. c. 85.*

e *Ivo lib. 1. tit. 2. c. 68. panor. & par. 1. c. 279. decr.*

do Heraclij Imperatoris, & sub eo Hispalense concilium habitum anno Christi DCXIX. Sisenandum cœpisse an. DCXXXI. duobus Regibus interpositis Reccaredo minore. & Suinthila, qui a Concilio Toletano quarto, de quo agimus, damnatur. Id habitum est Concilium anno tertio Sisenandi. Ex quo fit ut cap. LVI. rectè *Sisebutus* scribatur, at cap. LIIX. *Sisenandus*. C. Eratigitur tunc vivus Sisenandus, mortuus Sisebutus. A. Ita est. De Gelasij verbis nunc agemus: *Ita nos Syllanorum cædes geminata Pontificum horrendi criminis atrocitate confudit.* Qui Syllani Pontifices fuerint non inveni. Apud Ivonem Carnotensem ita scriptum est: *Gelasius Majorico & Joanni* Episcopis: *Ita nos quidem Latinorum cædes geminata Pontificum horrendi sceleris atrocitate confudit.* Apud Anselmum Lucensem hæc leguntur: *Gelasius Papa: Ita nos Scillacinorum sedes geminata Pontificum horrendi sceleris atrocitate confundit.* In his verbis *sedes* pro *cædes* non rectè est. At de voce *Scyllacenorum* considerandum. Est enim urbis nomen Scyllacæum. Credo fuisse duos Episcopos ejus urbis occisos Gelasij temporibus. Theodori Mopsuesteni in quinta synodo damnati mentionem fecimus. In eadem synodo Theodoriti scripta contra Cyrillum Alexandrinum damnata sunt. Id Gregorius apud Gratianum distin. xv. cap. 11. refert. sed non Theodoriti nomen editum est, sed Theodori. Videndus Gregorius lib. 1. epist. XXIV.

25. q. 2. c. 25.

Ivo par. 10. *c.* 18. *decr.*

Anſ. lib. 6. *c.* 140.

Dist. 15. *c.* 2. *sicut sancti.*

regiſtri, & Gregorius VII. lib. IIX. epiſt. I. regiſtri, & Ivo, *f* & liber Cæſarauguſtanus *g* & Tarraconenſis *h* 7 Non omnium librorum erratum eſt, ſed paucorum, quod ex eccleſiaſtica hiſtoria Rufini lib. ult. cap. XIIX. ſumitur: *i Cùm apud Theſſaloniam ſeditio eſſet exorta &c.* Scribendum *Theſſalonivam.* Et apud Ivonem *k* ex Paulino in vita beati Ambroſij: *Cauſſa Theſſalonenſis civitatis non minima tribulatio ſucceſſit Ambroſio.* Scribe *Theſſalonicenſis.* Videndus idem Ivo *l* capite huic eidem proximo ex hiſtoria tripertita ſumpto. 8 Poſtremò *m* Gregorij verba ſunt lib. II. epiſt. XXXV. ut Antonius Demochares notat, vel ut aliis placet, Joannis Diaconi in vita beati Gregorij lib. III. cap. XIV. qui refert Gregorij epiſtulam ad Joannem Epiſcopum Veliternum: *Ideóque fraternitati tuæ curam gubernationemque Treverenſium Eccleſiæ prævidimus committendam.* Pro *Treverenſium* ſcribo *Trium tabernenſium.* quod rectè apud Joannem Diaconum editum inveni. Etenim non longè fuerunt Tres tabernæ à Velitris urbe. Et ſic Anſelmus habet lib. V. cap. XXIV. quamvis liber Cæſarauguſtanus Gratiani ſcripturam confirmet. 9 Hæc in adverſariis de Gratiani erratis ordine litterarum in propriis nominibus. B. Multò his plura colligere poſſes, ſi velles. & ut aliud ex alio, in Pontificum Romanorum nominibus maximè Gratianus aberrat. ut cùm Anicetus ab eo appellatur Anitius, Miltiades Melchiades, Xyſtus, Sixtus, Anteros

f *Ivo par.* 4. *c.* 117. *decret.*
g *Cæſar. lib.* 1. *c.* 36.
h *Tarr. lib.* 1. *c.* 140.
i 11. *q.* 3. *c.* 69.
k *Ivo par.* 10. *c.* 48. *decret.*
l *Ivo c.* 47. *e. par.*
m 16. *q.* 1. *c.* 49. *Poſtquam Cæſar. lib.* 7. *c.* 35.

Autherus, Calliſtus Calixtus, Cæleſtinus Celeſtinus, Hyginius Higinus, Zoſimus Sozimus aut Zozimus; Zephyrinus Zepherinus. Ita etiam in nominibus Conciliorum, cùm Nannetenſe concilium vocat Ananetenſe vel Manetenſe vel Navatenſe, Ancyranum vocat Anquiritanum vel Ancyritanum vel Anquirenſe, Arauſicanum Auraſicenſe, Cabilonenſe Bylonenſe, Epaunenſe Epanenſe, Hiſpalenſe Biſpalenſe vel Spalenſe, Matiſconenſe Maticenſe, Vormacienſe Vvarmatienſe. A. Hi non Gratiani errores ſunt; ſed illorum temporum. Sic in Conciliis edi ſolitum eſt. Sic habent Burchardus, Ivo, & Anſelmus, & ceteri collectores. [10] B. Habeo alia majora crimina, an errata dicam; quæ ſi pateris, in medium proferam. A. Hodie id fieri non ſinam; cras ad clepſydram Gratianum accuſare poteris.

ADDITIONES.

1 IN editione Gregoriana cap. 12. *Generalis.* diſtin. 54. hæc verba ſunt non longè à fine: *Magnis quippe ſtudiis ſecundùm beatum Apoſtolum præcavendum eſt ne fides & diſciplina Domini blaſphemetur.* Et in margine: 1. *ad Tim.* 6. *&* 2. *Pet.* 2.

2 Diſtin. 2. cap. 6. *Quædam.* in eadem editione his utitur verbis: *Nam & ſub Octaviano Cæſare ſuffecti Conſules Papius & Poppæus legem tulerunt, quæ à nominibus eorum appellatur Papia Poppæa.* Et in Notis hæc ſunt: *Antea legebatur* Papius & Pompejus, *& paulò poſt* Papia & Pompeja. *Emendatum eſt ex manuſcriptis exemplaribus Iſidori. Nam in impreſſis notaverat errorem Alciatus lib.* 3. *diſp. c.* 3. *In tabulis autem Capitolinis anno urbis* DCCLXI. *ex*

Kal. Iul. suffecti Consules numerantur M. Papius & Q. Poppæus. Varietas numeri capitum hujus distinctionis cum meis dialogis oritur ex capite primo, quod mihi est initium distinctionis, sumptum ex verbis Isidori, Ejus non habetur ratio in eo libro Romano.

3 In eodem libro caput 26. *Omnes.* 17. q. 4. ita scriptum est: *Item ex eodem* (hoc est, Triburiensi Concilio) *c. 5. Palea. Omnes Presbyteri interfectores compositione Episcopo, ad cujus parochiam pertinent, solvantur; ita videlicet ut medietatem Vutrigeldi ejus Episcopus utilitatibus Ecclesiæ, qui præfuit, tribuat &c.* Et in margine: *Al. Vuirgildi.* Et: *Capitul. l. 4. c. 15. ext. de pœnis c. presbyteri. Burc. l. 6. c. 11. Ivo p. 10. c. 140. Pann. l. 8. c. 6.* Et in Notis: *Hæc quoque Palea in uno tantùm Vaticano codice habetur. Est autem in Capitularibus* (*unde citatur in Pannormia*) *li. 4. c. 15. & in Decretalibus tit. de pœnis c. presbyteri. In Concilio etiam Triburiensi, quod extat, c. 4. habetur quiddam simili.* Et postea: *Interfectores*] *Sic etiam in Pannormia. Vaticanus codex habet* interfecti. *In Capitulari legitur*: Presbyteri interfecti Episcopo ad cujus parochiam pertinent solvantur secundum Capitulare glorioſi Karoli genitoris nostri; ita videlicet &c. *Verùm in Decretalibus & apud Burchardum & Ivonem* hoc modo: Presbyteri interfecti compositio Episcopo ad cujus parochiam pertinebat solvatur, ita videlicet &c. *Et similis locutio habetur in Concilio Triburiensi c. 4. Sed quoniam est initium capitis, nihil visum est hic mutandum. Reliqua autem sunt emendata ex locis indicatis.* Et postea: *Vuiregeldi*] *Antea legebatur* Renaldus. *Emendatum est ex ceteris locis indicatis, præterquam ex Decretalibus, unde abest utraque vox. Legitur tamen in prima collectione.* Caput 2. de pœnis in editione Romana ita scriptum est: *Ex Concilio Triburiensi.* Presbyteri interfecti compositio Episcopo ad cujus parochiam pertinet solvatur, ita ut medietatem &c.] *In margine: Est in Concilio Triburiensi sub Arnulpho Imperatore c. 4. Sed aliis verbis referunt Burchardus lib. 6. decret. c. 11. Ivo par. 10. c. 140. & Gratian. sive*

Palea 17. *q.* 4. *c.* Omnes Presbyteri.]

4 Capitis tertij *De Neptis.* 31. q. 2. in eodem libro inscriptio est : *Item Vrbanus secundus Sanctio Regi Aragonum.* Et in Notis : *Sanctio*] *Sic est emendatum ex vetustis exemplaribus, Pannormia, & historiis Regum Aragonum. Nam antea erat* Sacratio.] Et in margine : *Ivo p.* 8. *c.* 24. *Pann. l.* 6. 109. Capitis 1. *Tua.* ejusdem quæstionis hæc inscriptio. [*Econtra Hormisda Papa scribit Eusebio Episcopo.*] *Palea.* Et in Notis : *Palea hæc in Decretalibus est c.* 1. *tit. de despon. impu. Et in vulgatis quidem citatur ex Honorio ; sed in prima Decretalium collectione ex Hormisda, ut hic.* Ejusdem cap. 1. de desponſ. impu. in eadem editione inscriptio est : *Hormisda Eusebio Episcopo.* Et in margine : *cap.* 2. *eod. tit. in* 1. *compil.*

5 Distin. 45. cap. 5. *De Iudæis.* in eodem libro ita inscribitur : *Vnde in Concilio Toletano* 4. *c.* 56. *statutum est.* In eodem ita legitur : *Sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti.* Et in margine hæc sunt : *Burch. l.* 4. *c.* 82. *Ivo p.* 1. *c.* 276. *& par.* 13. *c.* 94. *Pann. l.* 1. *c.* 72. Capitis 94. *Plerique.* de consecr. dist. 4. inscriptio est : Item *ex Concilio Toletano* 4. *c.* 58. In eodem hæc verba sunt : *De quibus consultu piissimi ac religiosissimi Domini nostri Sisemundi Regis &c.* Et in margine : *Burch. l.* 4. *c.* 85. *Ivo p.* 1. *c.* 279. *Pann. l.* 1. *c.* 75. Scribi debuit *Sisenandi* pro *Sisemundi.*

6 Inscriptio cap. 25. *Ita nos.* 25. q. 2. in libro Romano hæc est : *Vnde Gelasius Papa scribit.* Et mox : *Ita nos Syllacanorum cædes geminata Pontificum &c.* Et in margine : *Al. Squillatinorum. al. Syllanorum.* Et : *Poly. l.* 3. *tit.* 30. *Ansel. l.* 6. *c.* 148. *Ivo p.* 10. *c.* 18.

7 Distin. 15. cap. 2. *Sicut sancti.* in eodem libro ita scriptum est : *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur, in quo Theodorus personam &c. & in quo scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur &c.* Malè in casu uterque Theodorus dicitur.

8 In Gregoriana editione cap. 69. cau. 11. q. 3. in-

scriptio & initium est : *Item ex libro undecimo ecclesiastica historiæ Rufini c. 18. Cùm apud Thessalonicam seditione exorta &c.*

9 Eodem in libro cap. 49. *Postquam hostilis.* 16. q. 1. inscriptio est : *Idem* (Gregorius) *Ioanni Episcopo Veliterno lib. 2. epist. 35,* Et post alia : *gubernationemque Trium tabernensium Ecclesiæ providimus committendam &c.* Et in margine : *Ioannes Diaconus l. 3. c. 15. & 7. q. 1. Temporis qualitas. Ansl. l. 5. c. 24. Poly. l. 1. ti. 9.* Et in Notis : *Trium tabernensium] In vulgatis legebatur Treverensium. Emendatum est ex aliquot vetustis & originali & Ioanne Diacono Nam , ut is testatur , hæc epistola scripta est Ioanni Episcopo Veliterno. Oppidum autem Trium tabernarum Velitris vicinum est.*

10 Nomina propria meliùs edita sunt in Gregoriana editione quàm in ceteris. Erratum tamen est in his. Zozimus pro Zosimo, Melchiades pro Miltiade, Hostiensis pro Ostiensi , Calixtus pro Calliſto, Iginus pro Hygino , Sixtus pro Xysto , Bracharensis pro Bracarensi , Zepherinus pro Zephyrino , Thelephorus pro Telesphoro.

DE GRATIANI MAJORIBUS erratis.

Dialogus sextus.

A. PERMITTITUR tibi B. in Gratianum dicere , sed ita ut singulis criminibus probationes adferas , nisi res probatione non indigeat. B. Conditionem accipio. Ea enim adferam quæ nemo negaverit. Et principio de Anastasio secundo videamus, quem ait ab Ecclesia Romana repudiatum & à Deo fuisse percussum. Hæc Gratianus di-

a *Dist.* 19. *c.* 8. Secundùm. *in fine.*
b 1. *q.* 1. *c.* 96. Dictum *p.* Quòd verò.
c *c.* 9. *e. distin.* Anastasius.
d *Ivo par.* 14. *c.* 40. *decret.*
e *Cæs. li.* 14. *c.* 43.
f *Tarrac. li.* 1. *cap.* 70.

stinct. XIX. extrema *a* & causſa prima cap. XCVI. *b* A Dixiſſe fateor Gratianum, ſed non ſolum. Idem enim adfert Pontificalis verba; *c* quæ etiam Ivo *d* & liber Cæſarauguſtanus *e* & tuus Tarraconenſis. *f* B. Majus crimen falſi intenditur cùm verba Pontificalis corrupit. Ea enim Ivo Carnotenſis & liber Cæſarauguſtanus referunt in hunc modum: *Et quia occultè voluit revocare Acacium, & non potuit, quia divino nutu percuſſus eſt Acacius.* Gratianus voce *Acacius* deleta, & alia voce *quia*, ita ſcripſit: *Et quia occultè voluit revocare Acacium, & non potuit, divino nutu percuſſus eſt.* A. Deletum id à Gratiano probare debes. B. Non refert ea verba. A. Ita fortaſſe in ſuis libris legerat. Unde quod ad Acacium erat referendum, ad Anaſtaſium retulit. Sed & non in omnibus libris ea vox *Acacius* legitur. B. Deceptum eſſe Gratianum fateris. Non perſequar hæc latiùs, cùm id ſatis acerbè Albertus Pighius & alij proſequantur. A. Modeſtiam in eis requiro, ſed cauſſæ ſuæ inſerviunt. Mihi hoc verum vìdetur, Acacium fuiſſe divino nutu percuſſum, Anaſtaſium ei nunquam communicaſſe. Quòd ſi ſuſpiciones ſuorum effugere non potuit, non id nocet aliis qui culpa carent. (1.) B. Aliud adferam crimen, quod adversùs Romanos Pontifices his verbis utitur diſtin. LVI. poſt cap. 1. *Exemplis & auctoritatibus non ſolùm ſacerdotes ſed etiam ſummi ſacerdotes fieri poſſunt.* Loquitur autem de filiis Preſbyterorum. Mox addit:

Dist. 56. *c.* 1. & 2.

Vnde Damasus Papa scribit Hieronymo Presbytero: Osius Papa fuit filius Stephani Subdiaconi, Bonifacius Papa Jucundi Presbyteri &c. Mox alios enumerat qui longè post Damasi & Hieronymi tempora fuerunt. Cur vero Osium ante alios numeraverit, & eum Subdiaconi filium dixerit, cùm de Presbyterorum filiis agatur quærendum. A. Si in eo crimen versatur quòd dixerit fuisse aliquos summos sacerdotes filios Presbyterorum dixit hoc Ivo in præfatione excerptionum his verbis: *Et ita genitos ex Presbyteris non solùm ad presbyteratum sed etiam ad summum sacerdotium promoveri permiserunt. Et ut de nostris temporibus taceamus, sicut legitur in gestis Romanorum Pontificum: Felix tertius &c.* Et in Panormia ex libro Pontificatus vel potiùs Pontificali, ut in veteri libro est, eadem referuntur: *Felix tertius &c.* Sed & in ipso libro Pontificali, qui exstat, post Damasi collectionem de vitis Pontificum sequuntur aliorum vitæ. In singulis nomina parentum adscribuntur. Unde credendum est aliquem confeciſſe verba ab Ivone & Gratiano relata. B. Cur ergo Damaso tribuit Gratianus quæ aliorum sunt? A. Id non Gratiani sed Paleæ erratum esse suspicor, cujus nomen edidit Democharcs. Aut si Gratianus id scripsit, ex titulo libri Pontificalis Damasi deceptus est. B. Cupio scire à te unde Paleæ verborum initium sumas. A. Aut ab illis verbis, *Vnde Damasus*; aut ab illis, *Osius Papa*. B. Finem verborum Paleæ quémnam

Ivo lib. 3. tit. 5. c. 11 panor.

facis? A. In illis verbis, *filius Jucundi Presbyteri*; ut ea quæ sequuntur, *Felix enim tertius*, sint Gratiani vel Pontificalis libri ab eo relati. C. Cur non totum illud caput *Osius &c.* Paleæ adscribis? A. Quia video eum proposuisse exemplis ostenturum aliquos summos sacerdotes fuisse. Huc accedit quòd Ivo de Felice tertio & aliis ex libro eodem Pontificali, sive ex gestis Romanorum Pontificum, idem affirmat comprobari. B. De Osio nihil dixisti. A. Fateor me nihil habere quod dicam. Tantùm scio multos Episcopos olim Papas fuisse dictos. Et Osij Cordubensis nomen celebre est tam in Concilio Nicæno quàm in Sardicensi. Subdiaconi filium fuisse ignoro. (2.) B. Quando te patronum habet Gratianus; tuas adferam reprehensiones. Apud Gratianum ex Theodosianis legibus verba referri scimus quæ sunt Pauli in libris sententiarum *g* & ejus interpretis Aniani. Gratianus caussa secunda quæstione VI. capite XXII. & aliis quinque capitibus *h* cùm ignoraret quæ Pauli essent, qúæque interpretis, omnia congessit. A. Sumpsit hæc Gratianus, non ex ipsis fontibus, sed ex Ivonis panormia, aut ex decretis sive excerptis ejusdem. In panormia ita scriptum est: *i Excepta de legibus Theodosianis, quas interpretatur Paulus: Propter superfluam &c. In Theodosianis legibus cap.* XXXVI. *Ab eo &c.* Sic etiam in decretis, paucis exceptis. B. Qui fieri potest ut Theodosianas leges interpretaretur Paulus, qui sub Alexandro & Gordia-

g Paul. *lib.* 5. *senten.* 35. 36. 37. 38. 39. *h* 2. *q.* 6. *c.* 22. Propter superfluam *& postea.*

i Ivo li. 4. *tit.* 12. *c.* 3. 4. 5. 6. 7. *panor. & par.* 5. *c.* 281. 282. 283. 284. 285. *decret.*

no vixit? A. Nulla ratione fieri potuit. Sed existimo Theodosianas leges dictas esse eum librum Alarici tempore conscriptum, quod etiam Contius notat, in quo ex Theodosiano Codice & Novellis & ex Caij institutionibus & Pauli sententiis excerpta sunt multa. Sic melius est Gratianus locutus quàm Ivo Carnotensis. (3.) B. Similis error est caussa XXXV. quæstione v. extrema. *k* Enumerantur gradus adgnatorum & cognatorum totidem verbis quot Paulus utitur lib. IV. sententiarum. Sed & interpretis Aniani verba referuntur mixta Pauli verbis. & inscriptio est: *Item Isidorus.* A. Si credis Demochari, Isidorus eadem scripsit lib. IX. cap. V. etymologiarum. Si vis antiquiorem scriptorem, Burchardus lib. VII. cap. XXVIII. ex Isidoro de septem gradibus consanguinitatis. Idem Ivo in panormia. At in excerptionibus sic ait: *Hæc capitula de septem gradibus consanguinitatis sanctus Isidorus diligenti inquisitione descripsit, & in figura apertius depicta ordinavit. cap. 1. de septem gradibus consangninitatis.* In margine Ivonis adscriptus est locus Isidori in etymologiis à Demochare notatus. B. Quid si Isidorus à Paulo, si fatetur, sumpsit; si negat, surripuit? A. Id minimè dubium est, non à Paulo solùm, sed ab ejus interprete sumpta omnia esse. B. Habeo quod volebam. (4.) Venio nunc ad Miltiadis verba, quem, ut heri diximus, Melchiadem appellat. Fuit autem is, ut nosti, Eusebij successor, Silvestro verò prior. Gra-

k 35. q. 5. c. 6. Primo gradu. *Vid. infra l. 2. dialogo 10.*

Ivo lib. 7. tit. 12. c. un. panorm. & par. 9. c. 64. decret.

12. q. 1. c. 15. *Futuram.*

tianus cauſſa XII. cap. XV. multa verba ei adſcripſit ex quibus eum poſteriorem Silveſtro facere videtur. *Romani*, inquit, *Principes, qui totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Chriſti & baptiſmi ſacramenta concurrerent. E quibus vir religioſiſſimus Conſtantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, dedit licentiam &c.* Nonne videtur hic longè ab illis temporibus abeſſe, tum dicendi in elegantia, tum his verbis quibus appareat alios fuiſſe Principes Chriſtianos qui tum monarchiam tenebant, è quibus Conſtantinus primus fuit. Quid? quòd de baptiſmo Conſtantini loquitur ante Silveſtri tempora? Sed & Nicæni Concilij facit mentionem, quod vigeſimo anno imperij habitum eſt ſub Silveſtro, ut omnes ſcribunt; paucis exceptis, qui ſub Julio habitum eſſe dixerunt. Nam veniſſe Romam Miltiadis temporibus Conſtantinum ex Auguſtino & Optato & Euſebio elici poteſt. Multi Silveſtri temporibus id actum ſcribunt. Sed hæc verba quis ferat? *Idem verò Imperator præſidens ſanctæ ſynodo quæ apud Nicænam congregata eſt &c.* Sic enim malo quàm *Nicenam* legere. A. Non primus Miltiadi Gratianus illa quæ dicis adſcripſit, ſed ante eum Burchardus libro tertio *l* & Ivo *m* & alij *n* ex decretis Melchiadis Papæ cap. IIX. X. & XII. In Conciliis ſine nomine ſcriptoris hæc leguntur ante donationem Conſtantini hoc titulo: *De primitiva Eccleſia & ſynodo Nicæna.* Miltiadis eſſe non credo. (5) B. De donatione Conſtantini

l *Burc. li.* 3. *c.* 2. 4. *&* 5.
m *Ivo li.* 2. *eit.* 1. *c.* 2. *&* 3. *Panor. & par.* 3. *c.* 4. 6. *&* 7. *dec.*
n *Cæſar. lib.* 7. *c.* 58.

Gratianum *o* non reprehendo. Habet enim Paleæ nomen adscriptum. & eam defendes Græcis verbis Balsamonis ad Photium tit. IIX. cap. 1. & Ivone *p* atque Anselmo *q* & aliis *r* collectoribus. (6) De Eusebij verbis videamus: *ſ Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ nuper nobis gubernacula ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tenentibus* v. *Nonas Maij inventa eſt, in prædicto Kalendarum die inventionis feſtum vobis ſolemniter celebrare mandamus.* Placèt ne tibi Kalendarum appellatione etiam diem v. Nonas venire? A. Mihi quidem non placet. B. Jam hoc quo pacto defendes, ante Miltiadem & Silvestrum crucem Domini inventam esse sub Eusebio Pontifice? A. Gratianum excusare possum, qui viderit aut videre potuerit Eusebij Papæ epistulam tertiam & Damasum in Eusebij vita & Ivonem parte. IV. c. III. excerptionum & librum Tarraconensem *t* tuum. B. At historici *u* post Concilium Nicænum iter Helenæ matris Constantini Hierosolymam conscribunt; & maxima hominum frequentia dedicatum esse templum, illic etiam convenisse Arianos Episcopos narrant. Si his credere nolis; in vita Silvestri Pontificis & Helenæ dicitur matrem post filij baptismum cum Judæis adversùs Silvestrum Romam venisse & non antè credidisse quàm Judæi à Silvestro victi fuissent. A. Video difficultatem; & quæ ita contraria sunt, non facilè in concordiam ducentur. Aut dicendum est mendum esse in illa Eusebij epistula & Damasi scriptis; aut si

o *Dist. 96. c. 13. & 14.* Constantinus.

p *Ivo li. 4. c. 1. panor. & par 5. c. 49. decr.*

q *Ansel. lib. 4. c. 33.*

r *Deus de c. 4. Cæsar. Aug. li. 2. c. 72. Tarrac. lib. 6. c. 33.*

ſ *De conſec. dist 3. c. 19.* Crucis.

t *Tarr. l. 4. c. 55.*

u *Vide Euſe. apud Ruſin. li. 10. c. 7. & c. 11.*

illa recipimus, cetera contemnamus oportet. (7) Sed tu alia Gratiani errata propone. B. Non ego solus sum, sed à tota veterum schola Gratianus reprehenditur quòd Gregorij tertij verba ad Bonifacium Legatum Germaniæ *x* ad Anglorum indulgentiam retulerit à beato Gregorio concessam. A. Legantur Gratiani verba. C. *Illud verò Gregorij ad Bonifacium Anglicis pro tempore permissum est, quibus B. Gregorius in quarta & quinta generatione conjugia contrahi permisit.* A. Ivonis *y* & Gratiani & libri Cæsaraugustani *z* inscriptio illorum verborum ad Bonifacium quænam est? C. *Gregorius junior Bonifacio Episcopo*, apud omnes. Additum tamen est à Democharе in margine *Gregorius III.* ut etiam ab eo qui Excerptiones Ivonis edidit. A. Ego eadem verba in Colonienſibus Conciliorum editionibus inveni beato Gregorio adscripta in epistola ad Augustinum, & Gregorio tertio ad Bonifacium. Sic facilè excusari posset Gratianus, nisi addidisset illa: *ad Bonifacium*. Nunc tantùm dicam, in voce *Anglicis* esse erratum. Fuit autem Bonifacius ex Anglicis, quorum origo ex Saxonia Germanorum regione fuit. Hi in Britanniam insulam migrarunt, ut Beda refert. (8) B. Jam verò illud propono, apocryphis scripturis & incertis illum uti. A. Sempérne incertis? B. Non hoc dico, sed aliquando incertis. A. Nonne idem Burchardus fecit, & Ivo, & Deusdedit, & qui se authenticis uti professus est, Anselmus? B. Ab his cavere

x 32. *q.* 7. *c.* Quod proposuisti. 18. & *c.* 24. Si quis. *p.* Illud.

y Ivo li. 6. tit. 10. *c.* 1. *panorm.* & *par.* 8. *c.* 78. *decr.*

z Cæs. li. 10. *c.* 94.

debuit in quibus illi lapsi sunt. A. Nomina indica apocryphorum & incertorum. B. Liber Pastoris apocryphus est *a* teste Gelasio & LXX. Episcopis in synodo. *b* Hoc idem referunt Burchardus, *c* & Ivo. *d* Hermes in libro Pastoris: *Ego dixi pastori: Domine, si quis mulierem &c.* Hæc posuit Palea caussa XXXIV. extrema. *e* Refert Ivo in panormia *f* & in exceptionibus *g* & ut ex Concilio Arelatensi Bernardus Papiensis *h* & Gregorius IX. *i* Hic Hermetis liber exstat, & verba relata posita sunt mandato quarto ejus libri. (9) Adduntur illic alia verba ab Junone quoque in excerptionibus relata, quæ Gratianus *k* & Ivo in panormia *l* Augustino adscribunt. Sic enim ait Gratianus caussa XXIIX. *Idem Augustinus de adulterinis conjugiis libro secundo. Non solùm mœchatio est &c.* A. Si libro Pastoris uti crimen est, id Paleæ objici debet & Ivoni. At qui verba Hermetis vel Augustino vel Arelatensi Concilio tribuerunt, neque id primi fecerunt, sed aliorum fidem secuti sunt, cur acerbè accusandi sint non video. Ante Gelasium autem hic liber in pretio fuit, ut ex Athanasio *m* & Tertulliano & Hieronymo cognovimus. Damasus quoque in Pij vita & ipse Pius Pontifex epist. 1. eum probare videntur. Ejus verba exstant apud Gratianum de consecratione distin. III. cap. XXI. *n* & Ivonem parte IV. cap. III. & CXLV. B. Nihil illic de libro Pastoris scriptum est; sed Hermes laudatur, eique apparuisse dicitur angelus in habitu

a *Vide Euseb. libr.* 3. *c.* 25.
b *Dist.* 15. *c.* 3. Sancta. *p.* In primis.
c *Burc. lib.* 3. *c.* 221.
d *Ivo li.* 2 *tit.* 11. *c.* 36. *panor. & par.* 4. *c.* 65 *decr.*
e 34. *q.* 1. *c.* 7.
f *Ivo li.* 7. *tit.* 5. *c.* 2. *panor.*
g *Ivo par* 8. *c.* 243. *decret.*
h *c.* 3. De adulte. *in* 1. *collect.*
i *c.* 30. *eo.*
k 28. *q.* 1. *c.* 6. Non solùm.
l *Ivo li.* 7. *tit.* 4. *c.* 7. *panor.*
m *Vid. Athan. in ep.* 32. *festiva.*
n *De conf. d.* 3. *c.* 21. Nosse.

pastoris, eique præcepisse ut Pascha Domini die dominico ab omnibus celebraretur. A. Ivo hæc refert in libro Pontificali scripta esse: *Sub Pij Papæ episcopatu Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur quod ei præcepit angelus Domini, cùm venit ad eum in habitu pastoris, & præcepit ei ut Pascha Domini die dominico celebraretur.*] *Hermen cujus Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit, Salutate Asyncritum, Phlegontem, Herman, Patrobam, Hermen, & qui cum eis fratres sunt*, inquit Hieronymus in ecclesiasticis scriptoribus, *asserunt auctorem esse libri qui appellatur Pastor, & apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publice legitur. Re vera utilis liber, multique de eo scriptorum veterum usurpaverunt testimonia. Sed apud Latinos pænè ignotus est.* B. Ut posteriores cogitationes Græco proverbio meliores esse dicuntur, sic etiam posterior ætas certiora de libro Pastoris statuit. (10) A. Habésne alios dicere aut incertos aut apocryphos libros à Gratiano relatos? B. Maximè. Canones Apostolorum & canones sextæ synodi repetitæ in Trullo. A. Magnas tu quidem turbas moves, si hos omnes canones reicis. Legistíne unquam Franciſci Turriani mei libros? B. Legi; & hominem ipsum, ut doctum & pium & tibi conjunctissimum, valdè diligo. A. Probátne is an improbat omnes illos canones? B. Apostolorum canones quinquaginta probat, ex ceteris aliquot reicit. Sextæ synodi improbat aliquos, alios non

non recipit; sed ut antiquorum patrum legi posse ait, licèt careant illa generali auctoritate qua Græci existimant excellere. A. Feliciores fuimus his temporibus nati quàm multi ex majoribus nostris. Clementis Romani octo libri constitutionum Apostolorum, sive doctrinæ apostolicæ, Græcè & Latinè editi sunt. qui fons est istorum canonum qui dicuntur Apostolorum. B. At Gelasius in illa synodo LXX. Episcoporum apocryphum esse ait librum canonum Apostolorum. *o* Et sextæ illius synodi repetitæ patres octo libros illos Clementis ab hæreticis corruptos esse affirmant, sed XXCV. canones Apostolorum recipiunt capite secundo, cujus pars posita est à Gratiano distinct. XVI. cap. IV. & VII. *p* ab Ivone in panormia & in excerptionibus *q* & refert liber Cæsaraugustanus. *r* (II) Isidorus quoque in ea præfatione Conciliorum quam Gratianus refert capite primo illius distinct. XVI. *s* sic ait: *Canones qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes apostolica recepit, nec sancti patres illis assensum præbuerunt, pro eo quòd ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dinoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate canonum atque apostolica eorum gesta constat esse remota atque inter apocrypha deputata.* Hæc verba in omnibus veteribus libris Hispaniæ Conciliorum inveniuntur, non illa quæ Isidorus Mercator in præfatione Conciliorum scripsit, quæ etiam Gratianus capite quarto ejusdem distinctionis posuit;

o *Dist.* 15. *c.* 3. *p.* In primis. *Burch. l.* 3. *c.* 221. *Ivo l.* 2. *tit.* 11. *c.* 36. *panor. & par.* 4. *c.* 65. *dec.*

p *Dist.* 16. *c.* 4. Placuit. *&* 7. Quoniam.

q *Ivo l.* 2. *tit.* 11. *c.* 29. *&* 38. *panor. & par.* 4. *c.* 106. *&* 123. *&* 134. *decr.*

r *Cæs. l.* 1. *c.* 40 *&* 42. *&* 53. *& li.* 2. *c.* 8.

s *Dist.* 16. *c.* 1.

c. 4. *p.* 1. *distin.* 16.

neque distinxit varietatem horum scriptorum, ut debuit, cùm contraria dicerent, (Hic enim Mercator hos canones probat, quos ille rejecerat) sed utrumque Isidorum vocat. Tantùm capite primo ait: *Hos non recipiendos, sed inter apocrypha deputatos Isidorus scribit dicens.* Democharesin margine addit: *Isidorus in principio Conciliorum.* de qua re Contius dubitat. At de Mercatore Gratianus cap. 1v. ita scribit: *Epistola Isidori in capite canonum. Jsidorus servus Christi lectori suo conservo. Propter eorum auctoritatem &c.* Apud Ivonem in veteri panormiæ libro dicitur Isidorus Mercator. Et in excerptionibus sic est: *Ex præfatione Isidori in opus canonum. Jsidorus Mercator servus Christi &c.* Idem nomen scio in quibusdam veteribus libris Conciliorum Romæ inveniri. In margine tamen Ivonis Peccator appellatur. Te quoque ipsum scio exemplum illius Hispanicæ præfationis Romam ad Michaëlem Thomasium & Petrum Ciaconem misisse & hanc varietatem notasse, illósque & ceteros selectos viros valde fuisse eo munere delectatos, propterea quòd fontes ignorarent illius capitis primi Isidori. (12.) A. Quid pluribus verbis opus est? Media via inter eos qui probent & eos qui improbent placet. Cujusmodi est Humberti Silvæ Candidæ Episcopi Cardinalis Leonis IX. Legati, t cujus esse existimo verba Leoni IX. adscripta quæ Gratianus refert capite tertio illius distinctionis u: *Clementis librum, id est, Pe-*

Ivo lib. 2. tit. 11. c. 39. panorm. & par. 4. c. 107. decr.

t *Humber. contra Nicetam.*

u *Dist. 16. c. 3.* Clementis,

tri Apostoli itinerarium, & Apostolorum canones numerant patres inter apocrypha; exceptis quinquaginta capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ fidei tractatores adjungenda. Hæc etiam Ivo refert *x*. Sed pro *orthodoxæ fidei tractatores* habet *orthodoxis regulis*, aptiùs. Sic in Corpore canonum ex Dionysij Exigui interpretatione & in Isidori Mercatoris collectione tantùm hos quinquaginta canones invenies. Hoc Gratianus & veteres collectores referunt, item Rabanus in libro Pœnitentium, & Ansegisus lib. 1. Capitularium Caroli. Si tu Gratianum alicubi pluribus usum scis, locum ostendito. B. Nullum nunc ostendere possum. (13) A. De sexta synodo cras pluribus agemus.

x *Ivo. d. tit. 11. c. 37. panor. & d. par. 4. c. 105.*

ADDITIONES.

(1) DIST. 19. cap. 8. *Secundùm Ecclesiæ.* extremo in libro Romano hæc verba sunt: *Ideo ab Ecclesia Romana repudiatur, & à Deo percussus legitur fuisse hoc modo.* Cap. 9. *Anastasius secundus natione Romanus &c. & quia voluit occultè revocare Acacium, & non potuit, nutu divino percussus est.* Et in margine: *Ex libro (ut in corpore Conciliorum citatur) Pontificali. Ivo p. 14. c. 40.* Et in Notis: *Caput hoc habetur quidem tomo secundo Conciliorum in vita Anastasij: sed esse omnino confictum, cùm ex multis aliis argumentis, tum ex hoc manifestè ostenditur, quòd Acacius (sicut Nicephorus lib. 16. c. 12. & Evagrius li. 3. c. 18. & sequentibus, & clarissimè Anastasius Bibliothecarius in chronologia testantur) tempore Felicis III. obiit, cui successit Gelasius, & Gelasio Anastasius, qui initio epistolæ suæ & cap. 1. ad Anastasium Imperatorem Acacium mortuum*

jam & ante judicem Christum unà cum Felice adstans scripsit, ut Gelasius quoque ante ipsum scripserat, & habetur infrà 24. q. 2. c. Nec quisquam. *Quomodo ergo potuit Anastasius de eo revocando tractare qui jam obierat?*] Qui casus scripsit, satisfacere videtur, ita scribens: *Occultè voluit revocare Acacium defunctum in hæresi, ut orationes pro eo in Ecclesia fierent. Et ideo multi Clerici recesserunt ab obedientia ejus, & lepra percussus est.* Gratiani etiam opinio improbatur in Notis cap. 7. *Ita dominus.* ejusdem distinctionis, par. *Hoc autem.* Verba Gratiani sunt: *Anastasius autem secundus favore Anastasij Imperatoris, quos Acacius post sententiam in se prolatam Sacerdotes vel Levitas ordinaverat, rite fungi acceptis officiis debere decrevit ita inquiens.* In Notis hæc sunt: *Minimè verum est sensisse Anastasium ordinatos ab Acacio post latam in ipsum sententiam rite fungi acceptis officiis potuisse. Hoc enim duntaxat inquit in capite sequenti, firmam esse sacramenti gratiam ab Acacio traditam, quod verissimum est; sicut & aliæ omnes sententiæ quæ in ea epistola ex B. Aug. Anastasius accepit, veræ sunt. Habetur autem hæc eadem Anastasij Papæ II. epistola in corpore canonum, quod Romana Ecclesia semper approbavit, ut infrà dist. 20. c.* De libellis. *est adnotatum. Itaque sine caussa reprehenditur hoc loco Anastasius à Gratiano.*] Capite quoque 96. *Dictum est.* 1. q. 1. verba Gratiani sunt: *Quòd verò per hæreticos sacramenta dignitatis ministrata dicuntur carere effectu, improbatur auctoritate Anastasij Papæ, qui ordinationem Acacij &c. Sed hoc eum illicitè & non canonicè immo contra decreta suorum prædecessorum fecisse probant Felix & Gelasius &c. Vnde etiam ab Ecclesia Romana repudiatur; & à Deo fuisse percussus legitur in gestis Romanorum Pontificum hoc modo.* [*Anastasius II. natione Romanus &c.*] *Require retro in tractatu decretalium epistolarum.*] In margine est: *Suprà distinct.* 19. In Notis hæc sunt: *Sed hoc eum*] *Suprà distinct.* 19. *c.* Anastasius. *ostensum est immeritò reprehensum esse Anastasium & verissima esse quæ ipse de Acacio scripsit & decrevit.* Pro c. *Anastasius,* videtur scribendum c. *Ita dominus.*

(2) Distin. 56. cap. 1. extremum in Romano libro ita editum est: *non solùm sacerdotes sed etiam summi sacerdotes fieri possunt.* [*Vnde Damasus Papa scribit.*] *Palea. Osius Papa fuit filius Stephani Subdiaconi, Bonifacius &c. Silverius Papa filius Silverij Episcopi Romæ, Deus dedit Papa filius Stephani Subdiaconi. Felix enim tertius natione Romanus &c.* Et in margine initio cap. 2. est: *In Pontificali.* Et prope vocem *Silverij* est: *Al. Hormisdæ.* Et: *Ivo in prologo. Pann. in prol. c. trigesimo & lib. 3. c. 52.* Et in Notis hæc sunt: *In nullo vetusto Gratiani codice adscribitur hic nomen Paleæ. In decimo Vaticano & aliis quibusdam habetur conjunctè cum verbis superioribus Gratiani à vers.* Felix enim tertius *usque ad finem. In alio autem satis etiam emendato ista eadem cohærent cum superioribus. Sed post illa verba,* ex patre Gordiano Presbytero originem duxit, *sequitur:* Unde Damasus Papa scribit: *Deus-dedit Papa &c. Bonifacius Papa & Felix Papa &c. Agapitus Papa &c. Theodorus Papa &c. Silverius Papa filius Hormisdæ Episcopi Romæ. Complures etiam &c. Nec verò magnopere mirandum est hæc omnia ex Damaso citari, qui vixit ante istos qui hic enumerantur. Liber enim qui Pontificalis dicitur, ubi hæc scripta suis locis leguntur, à Damaso cœptus est scribi. Ideóque licèt ab aliis multa deinde sint addita, retinuit tamen primi auctoris nomen. Ivo quidem eadem ferè ista refert ex Gestis Romanorum Pontificum. Omnino partem aliquam hujus capitis, saltem illam quæ in decimo Vaticano habetur, ab ipso Gratiano scriptam esse constat ex verbis Gratiani in extremo præcedente capite & capite penultimo hujus distinctionis. Auctor verò Paleæ, dum unum per se caput conficere voluit, ordinem perturbavit, præsertim in repetitione Felicis tertij, & illud de Osio temerè adjunxit, quod nulli Romanorum Pontificum nomen fuit.* In scholiis additum est: *Osius*] *Aliàs Orosius.* Ego scriberem: *Deus-dedit.* Idem enim de utroque dicitur. Illa verba *Felix enim &c.* usque ad finem erant aliis litteris scribenda, ut Gratiani verba scribi solent.

(3) Quod causa 2. q. 6. c. 22. *Propter superfluam.*

& aliis inscribitur ex Theodosianis legibus, in Romana editione ita scriptum est: *Vnde in Theodosiani legibus sic statutum invenitur.* Et in margine: *In sententiis Iulij Pauli cum interpret. Aniani li. 5. tit. 33. c. 1. Ivo p. 5. c. 281. Pann. l. 4. c. 127.* Et in Notis: *Hoc & quattuor sequentia capita, quæ citantur ex legibus Theodosianis, habentur lib. 5. sententiar. Iulij Pauli cum interpretatione. Ex quo apparet Gratiani etiam tempore has sententias conjunctas fuisse cum Codice Theodosiano seu breviario Alarici. Alaricus autem in præfatione profitetur se volumen illud non ex solo Theodosiano Codice sed ex variis libris collegisse & in legum collectione atque interpretatione Episcoporum præcipuè opera usum fuisse.* Capite 23. *Habita.* in margine est: *ff. Si quis cau. l. 1.* Et in Notis: *Caput hoc abest à vetustioribus Gratiani codicibus & ab originali & Ivone & Pannormia. In uno autem Gratiani valde emendato est in margine superioris capitis tanquam glossa quædam.* Inscriptio cap. 24. *Ab eo.* est: *Item ibidem tit. 34.* Et in margine: *Ivo p. 5. c. 282. Pann. l. 4. c. 128.* Et ver. *Ista jam.* est in margine: *Sunt verba interpretis.* Inscriptio cap. 25. *Quicunque.* est: *Item ibidem tit. 35. c. 2.* Et in margine: *Ex interpretatione. Ivo p. 1. (Scribe 5.) c. 283. Pann. l. 4. c. 129.* Inscriptio c. 26. *Quoties.* est: *Item ibidem tit. 36. c. 1.* Et in margine: *Ex interpretatione. Ivo p. 5. c. 284. Pann. l. 4. c. 130.* Et ver. *Si propter.* est in margine: *Ex Paulo ibidem.* Inscriptio c. 27. *Omnino.* est: *Item ibidem tit. 37. c. 1.* Et in margine: *Ivo p. 5. c. 285. Pann. l. 4. c. 131. Ex Paulo.* Et in Notis hæc sunt: *Omnino puniendus] In sententiis Pauli legitur:* Omnimodo probandum est &c. *Sed quia est initium capituli, & de hujusmodi punitione multa sunt à Doctoribus adnotata, non est mutatum. Tantummodo ductus orationis est emendatus, addita particula V T.*

(4) Capitis sexti *Primo gradu. 35. q. 5.* in libro Romano inscriptio est: *Item Isidorus.* Et in margine: *Isid. l. 9. c. 5. In sententiis Iulij Pauli li. 4. tit. 11. de gradibus. Hugo de S. Vict. par. 11. l. 2. c. 14. Bur. l. 7. c. 28. Ivo par. 9. c. 64. Pann. l. 7. c. 89.* Et ver.

Illa persona. in margine: *Anianus interpres Pauli.* Et postea in Notis est: *Caput hoc recitatum etiam ab Hugone & collectoribus extat in libro sententiarum Pauli, additis non uno in loco verbis Aniani interpretis. Pleraque tamen habentur etiam apud Isid. li. 9. c. 5.*

(5) Inscriptio cap. 15. *Futuram.* 12. q. 1. in eodem libro hæc est: *Item Melchiades Papa.* In margine hæc sunt: *Poly. li. 1. tit. 19. Burch. l. 3. c. 2. & 5. Ivo p. 3. c. 4. & 7. Pann. l. 2. c. 3.* Et in Notis: *Ceteri etiam collectores Melchiadem citant. quod constare non posse rectè animadvertit auctor glossæ. Fit enim in hoc capite mentio Nicænæ synodi. quo tempore (ut ex ipsa synodo, Eusebio, & ceteris historicis apparet) jam Melchiades obierat. Habetur autem integrum in scripto de primitiva Ecclesia & munificentia Constantini, quod in collectione Isidori Lutetiæ bis impressa sequitur statim post decreta Melchiadis, quemadmodum suprà dist. 88. ad c. Decrevit. adnotatum est.* In scholiis sive glossis. *Melchiades*] *Falsus est titulus. Quia Melchiades fuit proximus ante Silvestrum, & ejus tempore est Constantinus conversus. 96. dist. in illa Palea Constantinus.* In contextu hæc sunt: *ut non solùm gentes, sed etiam Romani Principes, qui panè totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi & baptismi sacramenta concurrerent. E quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit &c. Idem verò præsidens in sancta synodo quæ apud Nicæam congregata est &c.*

(6) Distin. 96. cap. 13. & 14. *Constantinus.* in eodem libro tantùm hoc nomen *Palea* inscriptum est. Et in margine cap 13. hæc sunt: *Ans. t. 4.* (pro *l. 4.*) *c. 32. Deus-dedit l. 4. c. 1.* Et in Notis: *Apud Anselmum libro quarto pro rubrica capitis 32. hæc habentur:* Quòd Constantinus Imperator Papæ concessit coronam & omnem regiam dignitatem in urbe Romana & Italia & in partibus occidentalibus. *In principio verò ejusdem capitis 32. hæc leguntur:* In gestis Silvestri &c. *usque ad finem hujus & seq. Palea, quemadmodum etiam in collectione Deus-dedit.* Et in margine capitis 14. hæc sunt: *In edicto Constantini, quod est post Con-*

cilium Neocæsarienſe. *Anſ. l. 4. c. 32. Deus-dedit ibid.* Et in ver. *Beato Silveſtro.* eſt in margine : *Ivo p. 5. c. 49. Pao* (pro *Panno.*) *l. 4. c. 1.* Et in Notis hæc ſunt: *Hæc Palea in multis habetur exemplaribus in quibus aliæ Paleæ eſſe non ſolent. Conſtantinus*] *Verba hæc uſque ad verſ.* In eo privilegio , *non ſolùm habentur apud Anſelmum & Deus-dedit , ſed etiam ingeſtis beati Silveſtri, in his quæ à Conſtantino per octo dies poſt baptiſmum acta referuntur. Vtile*] *Hinc uſque ad finem ſumpta ſunt ex geſtis ſeu actis ſancti Silveſtri , in quibus multa præcedunt , ac multa deinceps plenius narrantur. Sed hic ea tantùm videntur relata quæ in collectionibus Anſelmi & Deus-dedit habentur. Titulus eſt:* Privilegium S. R. E. &c. *De quo item privilegio Leo nonus in epiſtola prima ſive libello adversùs inauditas præſumptiones Michaëlis Conſtantinopolitani & Leonis Acridani Epiſcoporum c. 13.* Pauca ex privilegio &c. *De iiſdem geſtis ſive actis Gelaſius in Concilio* LXX. *Epiſcoporum (& refertur ſup. diſt. 15. c.* Sancta Romana) *ſic loquitur ut ea videatur approbare. Et in Martyrologio Romano & Vſuardi in feſto ſancti Silveſtri legitur :* cujus actus clari habentur. *Inveniuntur verò etiam hodie pervetuſtis litteris deſcripta in bibliotheca Vaticana & abbatia Nonantulæ : quorum interpres in proëmio hæc ait :* Hiſtoriographus noſter Euſebius Cæſariæ Palæſtinæ urbis Epiſcopus &c. Sanctum Silveſtrum me de Græco in Latinum transferre præcepiſti &c. *Quæ etiam in vetuſtiſſimis Pontificalibus & codicibus , in quibus ſanctorum vitæ ſunt deſcriptæ , in vita beati Silveſtri referuntur. Partem horum auctorum (quod ad baptiſmum Conſtantini & imagines ſanctorum Petri & Pauli ſpectat) refert Hadrianus Papa in epiſtola Conſtantino Imperatori & matri Irenæ ſcripta, quæ in ſecunda actione ſeptimæ univerſalis ſynodi habetur. Ipſum autem privilegium ferè integrum refert Leo nonus loco ſuperiùs indicato , & Theodorus Balſamon in Photij Nomocanonem tit. 9. c. 1. quamquam aliis in rebus (quod Græci plerunque ſolent) Romanæ Eccleſiæ non ſatis æquus. Hanc eandem donationem ante Gratianum recitarunt Anſelmus, Deus-dedit, Ivo locis notatis. Quò ea pertinent quæ Petrus Damianus in*

disceptatione synodali inter regium Advocatum & Romanæ Ecclesiæ Defensorem scripsit. Lege, *inquit*, Constantini Imperatoris edictum &c. *De hac eadem re scribit Ado Viennensis in commentario ætatis sextæ, & Gotfredus Viterbiensis in chronicis par. 6. c. 2.* Addi debuit. Nicol. 3. in c. 17. *Fundamenta.* De electio. li. 6.

(7) De consecrat. distin. 3. cap. 19. *Crucis Domini.* in eadem editione inscriptio est : *Item Eusebius Papæ epist. 3.* Et in margine : *Ivo par. 4. c. 5.*

(8) Capitis 18. *Quod proposuisti.* cau. 32. quæst. 7. in Romana editione inscriptio hæc est: *Item Gregorius tertius Bonifacio Episcopo epistolæ* 4. In margine est: *Ivo p. 8. c. 78. Pann. l. 6. c. 112.* Et in Notis : *Epistola ex qua capitulum hoc acceptum est impressa extat tomo 3. Conciliorum, & manu scripta in bibliotheca monasterij Dominicanorum. & quæ citantur infra 33. q. 1. c.* Quòd autem. *& c. sequenti, videntur esse hujus Gregorij tertij.* Et in scholiis : *Nubat*] *Hoc Anglicis concessum est, ut dicit Gregorius,* (Malo, *Gratianus*) *quia novi erant in fide, ut inf. ea. par.* Quamvis. *sed malè, quia iste non fuit Gregorius magnus, nec scribit Augustino Anglorum Episcopo, cui illa concessio facta est. 35. q. 3.* Quædam lex.] Verba cap. 24. *Si quis cum noverca.* d. q. 7. in fine : *Illud verò Gregorij &c.* ut in dialogo. In Notis est : *Anglicis*] *Verè hic auctor glossæ animadvertit Gratianum, quod Gregorius tertius scripsit ad Bonifacium Legatum Germaniæ pro causis Germanorum, retulisse ad ea quæ multò antè beatus Gregorius primus scripserat ad Augustinum Anglorum Episcopum, dispensando cum Anglis ad fidem nuper conversis super gradibus consanguinitatis & affinitatis. & habetur infra 35. q. 2. & 3. c.* Quædam lex. *& q. 5. c.* Ad sedem.] Et in scholiis : *Illud verò*] *Quandoque bonus dormitat Homerus. Vagatur Gratianus pro solutione illius cap. supra ead.* Quod proposuisti. *& cùm non inveniat, somniando attribuit sancto Gregorio minori quod egregius doctor sanctus Gregorius major scribit Augustino 35. q. 3.* Quædam lex. *Sed hic casus reprobatus est suprà.*

(9) Distin. 15. cap. 3. *Sancta.* in eodem libro par. *In primis.* hæc verba sunt : *Liber qui appellatur Pastoris*

apocryphus. Et in margine : *Burch. l. 3. c. 221. Ivo par. 4. c. 65. Pann. l. 2. c. 123.* Inscriptio cap. 7. Ego dixi. 34. q. 1. hęc est : [*Item Hermes in libro Pastoris, mandato quarto*] *Palea.* Et in margine : *Ivo par. 8. c. 241. Pan. l. 7. c. 38. Sent. 4. dist. 35. ext. de adult.* Si vir.] Et in Notis : *In hoc capite emendata & addita nonnulla sunt ex originali & ceteris collectoribus.* Inscriptio capitis 3. *Si vir.* De adulteriis. in Romana editione est : *Ex Concilio Arelaten.* Et in margine: *Aliàs Aurelian.* Vide c. 3. eo. tit. in 1. compil. & Notas hujus capitis.

(10) Inscriptio cap. 6. *Non solùm.* 28. q. 1. in eodem libro est : *Idem* (Augustinus) *de adulterinis conjugiis lib.* 2. Et in Notis additur : *In eo libro non extat, sed apud Hermetem in libro Pastoris, mandato quarto, ex quo citat Ivo hoc unà cum Palea,* Ego dixi, *inf.* 34. *q.* 1. *&* 2. *Et quoniam in eo mandato tam de viro quàm de muliere agitur, est aliqua verborum varietas, sed eadem sententia.* In margine hæc sunt: *Ivo p. 8. c. 243. Pann. l. 7. c. 34.*

(11) Capite tertio *Sancta.* distin. 15. par. *In primis.* hæc verba sunt in Gregoriana editione : *Item itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis lib. 8. apocryphum.* Et in margine: *decem, orig.* Et postea : *Liber qui appellatur Sortes Apostolorum, apocryphus. Liber Lusanæ apocryphus.* Et in margine : *qui appellatur Laus Apostolorum.*] *orig.* Et mox: *Liber canonum Apostolorum apocryphus.* Inscriptio cap. 4. *Placuit.* distin. 16. hæc est : *Item 6. synodus cap.* 2. Et in margine : *Ivo par. 4. c. 106 Pann. l. 2. c. 125.* Inscriptio capit. septimi *Quoniam.* hæc est: *Vnde sancti patres in eadem* (sexta) *synodo secundò congregati dixerunt.* Et in margine : *Ivo septimam vocat.* Et : *Ivo par. 4. c. 123. Et in oratione allocutoria patrum qui in Trullo convenerant ad Iustinianum Imperatorem.* Et in vers. *Placuit.*] *c. 2. ejus synodi. sup. ead. c.* Placuit. *Ivo par. 4. 106.*

(12) In eadem editione inscriptio cap. 1. distin. 16. hæc est : *Hos non recipiendos, sed inter apocrypha deputatos Isidorus scribit dicens :* Canones qui dicuntur Apostolorum &c.] Et in Notis : *Caput hoc est in*

præfatione Isidori ad collectionem Conciliorum quæ ex bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ descripta Romam missa est. Nam in illa quæ vulgatæ Isidori collectioni, de qua initio dictum est, præponitur, contrarium potiùs videtur dici, & refertur infra c. Placuit. *hac ead. dist. si modò idem est Isidorus.* Et in indice librorum ante verba Gratiani: *Isidori collectionis canonum præfatio alia à vulgata, missa ab Archiepiscopo Tarraconensi & Alvaro Gomez ex bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ.* Capite 4. *Placuit.* ejusd. dist. vers. *Isidorus.* hæc verba sunt, quæ meliùs capiti quinto adscribi deberent: *Epistola Isidori in capite canonum. Isidorus servus Christi lectori suo conservo. Propter eorum auctoritatem &c.* Et in margine: *Ivo p. 4. c. 107. Pann. l. 2. c. 125.* Et in Notis hæc sunt: *Hæc epistola ab Ivone vocatur Præfatio in opus canonum. & est ea quæ Isidori nomine est præposita tomis Conciliorum; licèt in vetustiore editione, in qua purior est Isidori collectio, nonnulla verba desiderentur. Est autem confectum hoc caput ex duobus locis illius præfationis. Nam verba illa* Propter eorum auctoritatem &c. *usq; ad ver.* constitutiones, *non longè absunt ab initio. Reliqua verò sunt in extremo. Isidorus servus*] *In Pannormia est eodem modo atque apud Gratianum. Apud Ivonem & in manu scriptis collectionis illius codicibus est:* Isidorus Mercator servus Christi conservo suo & parenti fidei (*al.* fideli) in Domino salutem. *In vulgatis autem Conciliorum editionibus:* Isidorus peccator, servus &c.] In indice librorum ante verba Gratiani hæc sunt: *Isidori collectio canonum ex Vaticana & Dominicana supra Minervam.* Et in admonitione ad lectorem: *Cæterùm inter privatos collectores, qui multò plura congerere studuerunt, per antiquus est Isidorus: cujus collectio protenditur à canonibus Apostolorum usque ad Concilium Hispalense secundum; habetúrque in duobus codicibus Vaticanæ bibliothecæ, & uno monasterij Dominicani sanctæ Mariæ supra Minervam. Extat autem impressa in editionibus Conciliorum, in antiquioribus quidem purior, in recentioribus autem multis aliis Conciliis scriptísque admixta. Isidorum hunc Igmarus Archiepiscopus Remensis in libro de sy-*

nodis celeberrimum illum Hispalensem fuisse affirmat, à quo testatur etiam Trittemius librum Decretorum esse conscriptum. ac certè multa verba quæ in præfatione hujus collectionis leguntur, sunt in libro quinto etymologiarum. In codice autem Dominicanæ bibliothecæ initio præfationis ita legitur: Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo &c. *nec multò secùs in Vaticanis. quo loco in impressis est:* Isidorus peccator servus Christi &c.]

(13) Capitis tertij distin. 16. in ead. editione verba sunt: *Item Leo Papa nonus contra epistolam Nicetæ Abbatis.* Clementis librum, id est, Petri Apostoli itinerarium, & Apostolorum canones numerant patres inter apocrypha ; exceptis quinquaginta capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda.] In margine hæc sunt: *Ivo p. 4. c. 105. Pann. l. 2. 124. Orthodoxæ*] *Al. regulis orthodoxis. al. regulis orthodoxiæ.* In Notis ita scriptum est: *Hoc caput sumptum est ex responsione Humberti Legati Leonis noni ad libellum Nicetæ Presbyteri & monachi contra Latinos editum ; quæ Romæ in monasterio sanctæ Mariæ novæ & in multis privatis bibliothecis extat manu scripta. Meritò autem potuit citari Leo IX. quòd ejus auctoritate & jussione Humbertus Legatus sedis apostolicæ ea scripserit.* Initio ejusdem distin. hæc sunt Gratiani verba: *Apostolorum verò canones, qui per Clementem Pontificem Romanum, sicut quidam asserunt, dicuntur esse translati, sunt quinquaginta.* Et in Notis: *Translati*] *In titulo qui præponitur canonibus Apostolorum in collectione Isidori & in Concilio Stephani Papæ IV. (cujus magnam partem Deus-dedit Cardinalis in sua canonum collectione refert) pro voce* translati *habetur* prolati. *Dionysius certè Exiguus nullam hujus versionis mentionem fecit, & aliqui scriptores solent epistolas Clementis hoc modo citare,* Ex dictis Petri Apostoli per Clementem prolatis, *ut auctor Polycarpi & alij.*

DE CAPITIBUS SUMPTIS à sexta synodo.

Dialogus septimus.

A. De sextæ synodi repetitæ in Trullo decretis sive regulis agendum est. Neque credo te dubitare de fide sextæ synodi, quæ contra Monothelitas habita est Constantinopoli in Trullo, quod palatij sive aulæ regiæ nomen est, sub Agathone Pontifice & Constantino IV. Imperatore. Hæc confirmata est, mortuo Agathone, à Leone minore. Hanc nullos canones feciſſe tam Græci quàm Latini confitentur. Sed & in his ipsis regulis de quorum auctoritate dubitamus hoc apertè dicitur. Recita ex Tilij libro, quem habes, Græca verba epistulæ sive adlocutionis hujus synodi. B. ἐπειδὴ αἱ ἁγίαι καὶ οἰκουμενικαὶ συνοδοι, αἱ κατὰ ταύτην τὴν βασιλίδα καὶ θεοφύλακτον πόλιν συναθροισθεῖσαι, ἡ μὲν ὑπὸ τῶν χρόνων Ἰουστινιανοῦ τοῦ θείας λήξεως ἡ δὲ ὑπὸ τοῦ ἐν εὐσεβεῖ τῇ μνήμῃ λεγομένου ἡμῶν βασιλέως Κωνσταντίνου πατρὸς τοῦ σοῦ ἡμερότητος, τὸ σεβὶ τῆς πίστεως πατρικῶς διατεθρυλλήσασαι μυστήριον, οὐδαμῶς ἱεροῖς κανόνας ἐπέγραψαν, καθάπερ αἱ λοιπαὶ ἅγιαι τέσσαρες οἰκουμενικαὶ συνόδοι. A. Satis est ad id quod volebam. Latinè recitet C. noster. C. Cum quo Imperatore loquitur hæc synodus? A. Cum Justiniano posteriore, ejus Constantini filio sub quo sexta synodus habita est. C. Quo pacto

Viden. Ivo par. 4. c. 120. & 124. & 125. decr.

probas eum esse Justinianum posteriorem? A. Quia prioris Justiniani, sub quo synodus quinta habita est, mentio hic fit, eúmque mortuum esse verba illa, τῆς θείας λήξεως, ostendunt. Inscriptio epistulæ ad Justinianum missæ recitetur. B. τῷ εὐσεβεστάτῳ καὶ φιλοχρίστῳ βασιλεῖ Ἰουστινιανῷ ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ συνόδος &c. A. Recitet C. Gratiani verba capitis VII. distinctionis XVI. C. *Vnde sancti patres in eadem synodo congregati dixerunt. Quoniam sanctæ universales synodi, quinta sub Iustiniano Augusto, sexta sub Constantino patre suo augusto*, (A. *Tuo* pro *suo* scribendum. idque Contio placet, qui non rectè hæc esse verba septimæ synodi scribit.) C. *de mysterio fidei plenissimè disputantes, canones non fecerunt, sicut cetera quattuor universales synodi, propterea nos convenientes in hanc imperialem urbem, sacros canones conscripsimus.* A. Gratiani verba cum Ivone conferantur. C. *Epistula septimæ synodi ad Iustinianum filium Constantini.* A. Placet inscriptio, si *sextæ* pro *septimæ* scribatur. C. In aliis verbis nulla varietas est, nisi quòd *tuo* pro *suo* scribit, tuam opinionem confirmans. A. Confer cum libro Cæsaraugustano. C. Inscriptio eadem est: sed *sextæ* pro *septimæ* habet. vox *tua*, non *sua*, confirmatur. cetera ut Gratianus & Ivo habet. (1) A. Hoc jacto fundamento, nullos canones feciſſe illam sextam universalem synodum, videamus nunc cur hi canones sextæ synodi appellentur. Et hoc ex Tarasij verbis in septima synodo dictis

Dist. 16. *c.* 7. Quoniam.

Ivo par. 4. *c.* 123. *decr.*

Cæs. lib. 1. *c.* 42.

elicietur. Recita quæ Gratianus capite v. & VI. illius distin. XVI. scripserit. C. *Sextam synodum sanctam cum omnibus canonibus suis recipio. Sed dubitatur de ea an canones conscripserit. quod ex quarta actione sextæ synodi facilè absolvitur.* A. *Septimæ* pro *sextæ* scribendum est. idque Contius probat, quamvis eandem octavam dicat vocari. quod falsum est. C. *Ait enim Episcopus Petrus Episcopo Nicomediæ.* A. Hoc etiam mutandum est: *Ait enim Petrus Episcopus Nicomediæ.* C. *Habeo librum continentem canones sanctæ synodi sextæ. Patriarcha dixit.* A. Hic est Tarasius, ut dixi. C. *Quidam scandalizantur per ignorantiam pro canonibus istis, dicentes: Numquid sexta synodus canones fecit? Sciant ergo quoniam sancta synodus sexta sub Constantino congregata est contra eos qui dicebant unam operationem & unam voluntatem esse in Christo;* (A. Hos Monothelitas appellabant.) C. *in qua sancti patres illos, utpote hæreticos, anathematizaverunt, & orthodoxam fidem explanaverunt. Soluta est hæc synodus Constantini* XIV. *anno. Post quattuor verò aut quinque annos iidem sancti patres congregati sunt sub Iustiniano filio Constantini, & prædictos canones promulgaverunt, de quibus nullus dubitet. Qui enim sub Constantino Imperatore in synodo fuerunt, iidem ipsi Episcopi sub Iustiniano istis canonibus suscripserunt. Oportebat enim ut synodus universalis canones ecclesiasticos promulgaret.* A. Videtis Tarasij rationes quales sint. Quòd iidem Episcopi in-

Dist. 16. c. 5. Sextam. & c. 6. Habeo.

terfuerint & ſubſcripſerint, quòd poſt breve tempus, hoc eſt, quattuor aut quinque annos, quòd oportuit ſynodum habere canones. B. Quid ſi hæc omnia falſa ſint? Nam neque iidem Epiſcopi interfuerunt, nec ſubſcripſerunt, neque poſt ſolos quinque annos. Poſtremò non eſt neceſſe canones ſynodum conſtituere. Id ex quinta & ſexta ſynodo manifeſtum eſt. A. Hoc poſtremum verum eſt, cetera poſtea dices. Volo enim ut priùs conferamus Gratiani verba recitata cum Ivone & Cæſarauguſtano libro. C. Eſt etiam nonnihil reliqui apud Gratianum. A. Recita. C. *Item ſancta ſynodus univerſalis ſexta, poſt promulgatam ab ea definitionem contra Monothelitas, Conſtantino Imperatore, qui eam congregaverat, non multò pòſt defuncto, Iuſtiniano ejus filio regnante pro eo. Eadem ſancta ſynodus.* A. Non rectè hæc edita ſunt. Lege conjunctim: *pro eo, eadem &c.* C. *filio ejus regnante pro eo, eadem ſancta ſynodus divinitus inſpirata, iterum Conſtantinopoli quarto aut quinto anno congregata eſt, & canones numero* CCII. (A. Lege CII.) C. *ad correctionem Eccleſiæ promulgavit.* A. Hæc ſunt ex actione ſexta ſeptimæ ſynodi. Confer nunc Ivonis verba parte IV. cap. CXXI. C. *Actio quarta ſextæ ſynodi.* A. *Septimæ* pro *ſextæ* ſcribendum, ut apud Gratianum. C. *Petrus Nicomediæ Epiſcopus dixit.* A. Hæc meliora ſunt quàm illic. C. *Habeo librum &c.* Omnia habet ut Gratianus. In fine poſt verbum *promulgaret: Actio ſexta tomo primo contra falſam*

Ivo par. 4. c. 121. Decr.

sam septimam synodum. Septima synodus quomodo dicitur quæ non concordat præcedentibus sex universalibus synodis ? A. Ex his apparet omnia suprà scripta esse ex septima synodo, quæ pseudosynodum dictam septimam evertit. Confer ultima verba Ivonis cum ultimis Gratiani verbis. C. *Item sancta sexta synodus &c.* Eadem verba. Sed meliùs ea scribuntur quæ tu admonuisti. *Et Iustiniano filio ejus regnante pro eo, eadem sancta synodus &c.* Sic etiam illa de numero canonum CII. A. Confer cum Cæsarauguſtano libro. C. Contuli. Initio hæc sunt : *Actio quarta* VI. *synodi. Georgius Patriarcha dixit. Quidam per ignorantiam &c.* A. Hæc mendosa sunt. C. & post verbum *subscripserunt* additur: *Actio sexta tomo primo. Sancta sexta &c.* Quædam videntur desiderari. De numero canonum ut Ivo. A. Quid nunc B. habes contra Tarasij argumenta ? B. Neque eosdem Episcopos interfuisse, neque post quattuor solos aut quinque annos habitam fuisse. Utrumque docent apertè Græci duo, Theophanes & Anastasius Bibliothecarius. Annorum enim subducta ratione quibus Constantinus superstes fuit post sextam synodum & annorum Justiniani ejus filij, antequam eiceretur à Leontio, & ejusdem Leontij & Abſimari tyrannorum, & ejusdem Justiniani iterum Imperatoris, fiunt anni XXVII. Quo medio tempore multi Episcopi, qui in ea synodo fuerant, mortui sunt, quos illi enumerant. Sed illud potissimum est,

Cæs. lib. 1. cap 38.

Viden. Humber. contra Nicetam.

quòd hæc pseudosynodus post solutam sextam habita est, ut apertè dicit idem Tarasius. At convocare generalem synodum, & in ea præsidere, & acta confirmare, solius est Romani Pontificis. In hac repetita synodo non interfuerunt Legati Romani antistitis, ut omnes Græci fatentur; nunquam ab eodem convocata est, nunquam confirmata. Sequitur generalem non fuisse, aut œcumenicam, ut ipsi vocant. Quòd si generalis fuisset, non sexta aut πενθέκτης diceretur, sed septima. A. Confirmationem ex verbis Hadriani à Gratiano & aliis relatam probare quidam nituntur. B. Nosti quid Turrianus tuus adversùs hanc confirmationem dicat.

Dist. 16. *c.* 5. A. Redige in memoriam. B. Principio verba illa *sextam synodum sanctam cum omnibus canonibus suis recipio* non esse Hadriani verba, sed Tarasij relata ab Hadriano. Id ex actione secunda septimæ synodi cognosci potest, in qua actione lecta est hæc Hadriani epistula ad Tarasium. A. Cur non contradixit Hadrianus verbis Tarasij, si falsa scribebat? B. Quia aliqua ratione rectè loquebatur. Sextam scilicet synodum veram recipio & ejus canones, si qui sunt. Sed & si quis Græca verba cum Latinis conferat, non inveniet de sextæ synodi tantùm regulis loqui, sed de sex Conciliorum regulis. A. Tarasius post illa verba retulit canonem hujus repetitæ synodi de agni pictura: pro quo canone tuendo, uti acerrimo telo contra hæreticos, omnem lapidem movet ut persuadeat omnibus

sextam esse & legitimam synodum eam in qua is canon conscriptus est, usque eò ut dixerit in synodo se habere suscriptionem omnium patrum sextæ synodi, qui etiam post hunc & ceteros canones subscripserint. B. Dici poterit Hadrianum hæc passum esse dici & scribi ut optato fine frueretur, quò hæresis illa effractorum imaginum tolleretur. Sed non sequitur omnes canones esse confirmatos, sed illum non esse improbatum. Alioqui sequeretur etiam canones contra cælibatum Clericorum & contra jejunia sabbati & de sanguine & suffocato confirmatos esse, quorum habuisse notitiam Hadrianum ignoramus. (2) A. Hadriani verba legantur, quæ Gratianus refert de consecratione distin. III. cap. XXIX. C. *Item Hadrianus Papa Tarasio Patriarchæ.* A. Non additur hic *universali*, ut in Græcis libris mendosè. C. *Sextam sanctam synodum recipio cum omnibus canonibus suis, in quibus dicitur: In quibus scripturis sanctarum imaginum* (A. *Scripturis* positum est pro *picturis*. est enim hoc caput XXCIII. Trullianum, in quo est: ἐν τισι τῶν ζωγραφικῶν εἰκόνων γεγραφῆς) C. *agnus Præcursoris digito ostensus depingitur.* A. Lege clausulam ejus capitis. C. *Verum igitur agnum Dominum nostrum Iesum Christum secundùm imaginem humanam amodo etiam in imaginibus pro veteri agro depingi jubemus.* A. *pro veteri agno* dicendum est. Confer cum Ivone *a* & Cæsaraugustano. *b* C. *Adrianus Papa Tarasio Patriarchæ. Actio secunda synodi septimæ. Sanctam sextam &c.*

De consec. d. 3. c. 29. Sextam.

a Ivo par. 4. c. 122. decret.
b Cæsar. lib. 1. c. 39.

In quibusdam picturis sanctarum imaginum &c. Verum igitur agnum, qui Dominum nostrum Jesum Christum secundùm humanam imaginem effigiat, amodo pro veteri agno in imaginibus depingi jubemus. B. Meliùs extremum caput Gratianus posuit. Neque enim illa, *qui effigiat*, Græca verba habent. C. In Cæsarauguſtano libro tantùm est: *Adrianus Papa Tharasio Patriarchæ. Sanctam sextam synodum recipio cum omnibus canonibus suis.* Sed apud Ivonem cap. CXXVI. partis quartæ sic est: *Responsiones Adriani Papæ contra objectiones quorundam ad Carolum cap.* XXXV. *Sancta sexta synodus fideliter per canones orthodoxè statuens, ita constituit dicens: In quibusdam venerabilium imaginum picturis agnus digito præcursoris monstratus designatur, qui in signum relictus est gratiæ. Et post pauca: Secundùm humanam figuram & in imaginibus & nunc pro veteri agno retitulari decernimus.* A. Hæc postrema obscuriùs dicta sunt. Prima verba hunc canonem satis confirmant, ceteros non item. de quibus alio die agemus. B. Omissa sunt alia ejusdem Hadriani verba, quæ sunt hæc aut his similia: *Idcirco testimonium de sancta sexta synodo pertulerunt ut clarificè ostenderent quòd jam quando sancta sexta synodus acta est, à priscis temporibus sacras imagines & historias pictas venerabantur. Unde ipsa sancta sexta synodus fideliter per canones orthodoxè statuens &c.* A. Ne his quidem verbis omnes canones confirmantur. B. Non est audiendus Antonius Contius

in hujus capitis editione, cùm de picturis veteris Ecclesiæ agit. A. Tacitis suffragiis ejus sententia improbetur. (3)

ADDITIONES.

(1) GRATIANI verba sunt in extremo cap. 6. *Habeo.* dist. 16. in editione Gregoriana: *Ex his ergo colligitur quòd sexta synodus bis congregata est, primò sub Constantino, & nullos canones constituit; secundò sub Iustiniano filio ejus, & prafatos canones promulgavit. Vnde sancti patres in eadem synodo secundò congregati dixerunt.* In margine est. *Ivo septimam vocat.* Et: *Ivo par. 4. c. 123.* Et: *In oratione allocutoria patrum qui in Trullo convenerant ad Iustinianum Imperatorem.* Verba capitis septimi sunt: *Quoniam sancta & universales synodi, quinta sub Iustiniano augusto, sexta sub Constantino patre suo* (scribe *tuo*, ut in erratis notatur) *augusto, de mysterio fidei plenissimè disputantes, canones non fecerunt &c.*

(2) Capitis quinti ejusd. distin. 16. in eodem libro inscriptio est: *Vnde scribit Hadrianus Papa Tharasio Patriarchæ. Sextam synodum sanctam recipio cum omnibus canonibus suis.* In margine est: *Ivo p. 4. c. 122.* In Notis hæc sunt: *Sextam*] *Hoc habetur in secunda actione septimæ synodi in epistola Hadriani ad Tharasium. Sed eo in loco Adrianus refert verba synodica epistolæ à Tharasio ad se missæ. Et hic Gratianus non refert propria ejus epistolæ verba. In versione enim Anastasij Bibliothecarij sic legitur:* Invenimus autem in prædicta synodica epistola sanctitatis vestræ, post plenitudinem fidei & confessionem sacri symboli & omnium sanctarum sex synodorum, & de sacris & venerabilibus characteribus miraculum laude ac veneratione dignissimum contineri. Quare & easdem sanctas sex synodos suscipio cum omnibus regulis quæ jure ac divinitus ab ipsis promulgatæ sunt. *Et hæc quidem postrema verba sunt etiam in illa ipsa Tharasij epistola. quod ex Concilio Græco, &* no-

va interpretatione clarè apparet. Sequuntur Gratiani verba: *Sed dubitatur de ea an canones conscripserit, quod ex quarta actione sextæ synodi facilè absoluitur.* In Notis est: *In secundo & XII. Vaticanis est* sextæ aliàs septimæ. *Et verè septima est. sed ob glossam nihil est mutatum.* In scholiis hæc sunt: *Sexta synodi*] *Falsa est littera, & debet ibi esse* septimæ synodi. *Qualiter enim dubitaret sexta synodus de eo quod ipsa fecerat?* Mox in margine sunt Joannis Fant. & Archidiaconi nugæ. Capitis sexti inscriptio est, post verbum *absolvitur* jam relatum: *Ait enim Petrus Episcopus Nicomediæ. Habeo librum continentem canones sanctæ sextæ synodi &c.* In margine est: *Ex actione quarta septimæ synodi.* Et: *Ivo p. 4. c. 121.* In Notis hæc sunt: *Habeo librum*] *Verba sunt Petri Episcopi Nicomediæ ac Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani actione quarta septimæ synodi. quod quidem ipsi de centum ac duobus canonibus dixerunt qui in Trullo tempore Iustiniani Rhinotmeti, secundo anno suæ revocationis ad Imperium, editi sunt. Verùm ex his ipsis verbis Tharasij apparet eos canones non esse proprios sextæ synodi: quia fatetur post annos quatuor aut quinque quàm ea synodus fuerat absoluta canones illos fuisse editos. quo tempore certissimum est neque eundem Romanum Pontificem neque eosdem Episcopos fuisse. Quamquam in hac ratione temporis potiùs credendum est diligentissimis chronologis Theophani (cujus etiam verba, quæ ad hunc locum pertinent, ex originali Græco Vaticano satis fideliter translata leguntur apud Franciscum Turrianum libro de 6. 7. & 8. synodo) & Anastasio & Georgio Cedreno quàm Tharasio. Illi enim non quattuor aut quinque ut Tharasius, sed viginti septem annos à fine sextæ synodi tempore Agathonis habita usque ad hanc hujusmodi Decretorum editionem asserunt intercessisse. Episcopos verò qui hos ediderunt noluisse ipsos edere tanquam canones sextæ synodi, sed voluisse supplere quod videbatur in quinta ac sexta synodo deesse, ipsamet illorum ad Imperatorem allocutio testatur. Itaque nova dicenda est hæc Episcoporum coïtio. Ideóque Græci illam, ut scribit Balsamon, πενθέκτην, id est, quintam-sex-*

tam synodum appellant. Ceterùm non fuisse omnes illos canones à Romana Ecclesia receptos duo viri rerum ecclesiasticarum peritissimi, Anastasius Bibliothecarius & Humbertus Leonis IX legatus apertè testantur. Humbertus quidem his verbis: Non autem miror si Agathoni Papæ & sanctis patribus sextæ synodi vestra imputetis deliramenta, & quæ aut corrupistis aut finxistis capitula &c. Capitula quæ nobis sub ejus auctoritate apponitis omnino refutamus, quia prima & apostolica sedes nec aliquando ea accepit nec observat hactenus. *Anastasius verò in præfatione in septimam synodum ad Ioannem VIII. Romanum Pontificem ita scripsit:* Ergo regulas quas Græci in sexta synodo perhibent editas, ita in hac septima synodo principalis sedes admittit ut nullatenus ex his illæ recipiantur quæ prioribus canonibus vel decretis sanctorum sedis hujus Pontificum aut certè bonis moribus inveniuntur adversæ: quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitæ, quia nec interpretatæ. Sed nec in ceterarum patriarchalium sedium &c. Quamquam eosdem patres illas Græci promulgasse perhibeant qui in sexta synodo sunt inventi: sed nullis certè probare possunt indicijs.] Ad vers. *Sancta sexta.* in margine additur: *Ex sexta actione septima synodi.* Verba ipsa non videntur sine mendo edita: *Et Iustiniano ejus filio regnante pro eo. Eadem sancta synodus &c.* Illud rectè est: *& canones numero* CII. *ad correctionem Ecclesiæ promulgavit.*

(3) De consecrat. dist. 3. cap. 29. *Sextam.* in editione Romana inscriptio est: *Item Hadrianus Papa Tharasio Patriarchæ in actione 2. ejusdem septimæ synodi.* In margine hæc sunt: *In epist. Hadr. ad Carolum c. 35. suprà dist. 16* Et: *In 6. syn. c. 82. Ivo p. 4. c. 122. & 126.* Verba capitis 29. sunt: *Sextam sanctam synodum recipio cum omnibus canonibus suis, in quibus dicitur: In quibus picturis sanctarum imaginum agnus præcursoris digito ostensus depingitur, qui in figuram gratiæ transit &c.* In margine est: *In quibus*] *In quibusdam. Vera lectio.* Et in scholiis post Casum: *In quibus scripturis, id est, pictoris.* [mendosè pro *picturis*] *& sunt verba canonum 6. synodi.*

In Notis hæc sunt: *De sexta synodo & canonibus ipsius notatum est suprà c.* Sexta Synodus. (Deest *dist.* 19.) *Gratia transit*] *Et in epistola Hadriani & apud Ivonem par.* 4. *c.* 122. *legitur* in typum gratiæ assumptus est. *Apud eundem Ivonem c.* 126. *ex Hadriano ad Carolum*, in signum relictus est gratiæ. *Græcè in canone sextæ synodi est* ὃς εἰς τύπον παρελήφθη τ῀ χάριτος, id est, qui in typum gratiæ assumptus est. *Sed ob glossam non est mutatum.* In extremo capite hæc verba sunt: *Verum igitur agnum Dominum nostrum Iesum Christum secundùm imaginem humanam amodo etiam in imaginibus pro veteri agno depingi jubemus.*

DE EADEM RE.

Dialogus octavus.

C. QUID est quòd contra canonem ab Hadriano confirmatum tam Romæ quàm in provinciis pictura Præcursoris Domini digito agnum ostendit? Idem etiam fit in globulis illis cereis quæ à multis agni Dei, ab aliis amuleta dicuntur? A. Consuetudinis vis magna est, in re præsertim quæ potuit non impia videri. Cùm enim pictura historiam doceat vel potiùs rem gestam, cùm Præcursor digito agnum ostendit, venit in mentem inspicientibus eundem tunc dixisse: *Ecce agnus Dei*, & quæ sequuntur. Sic cùm Petro aut claves dantur aut oves committuntur, si claves & oves pictæ sint, spectatores faciliùs rei gestæ recordantur quàm si simpliciter Christus loquens cum Petro pingatur. B. His imaginibus veteres usi sunt, tum

in hieroglyphicis, ut Ægyptij, tum rhetores in arte memoriæ, tum in nummis & signis omnes populi ac Reges & Imperatores. A. Ita est ut dicis. Sed nos de ceteris regulis agamus quæ ex illa repetita synodo Gratianus refert. B. Non est ferendus Gratianus cùm ex hac synodo partem refert in qua Cypriani synodum probare videtur de baptismo hæreticorum, cùm contra Cypriani synodum omnes veteres patres steterint. A. Græca verba lege capitis secundi extremi. B. ἔτι μὴν τῆς Κυπριανοῦ τῆς γνωμένης ἀρχιεπισκόπου τὸ ἄρρον χώρας ἐκ μάρτυρος, καὶ τὸ κατ' αὐτὸν συνόδου ἐκ τελέντα, κωμῳδία, ὡς τοῖς τῶν πατέρων τόποις, ἐκ μόνον κεῖ δὲ παραδοθὲν αὐτοῖς ἐθος ἐκράτησεν. A. Nunc C. Gratiani verba legat. C. *Opuscula Theophili &c. Cyrilli Alexandrini Episcopi, Cypriani Carthaginensis Episcopi & synodum suam* A. Ivonis verba *a* quæ sunt? C. Eadem ferè quæ antea diximus, nisi quòd *ejus* pro *suam* scripsit in excerptionibus. Sed in Panormia *suam*, non *suum*, ut editum est. Sic etiam habet liber Cæsaraugustanus. *b* A. Mihi neque Græca verba neque Latina placent; sed ut potiùs tota illa synodus repudietur. (1) B. Caput quartum ejus synodi refert Gratianus causſa XXVII. cap. VI. *c* ut deponatur Clericus, laicus excommunicetur, qui Deo consecratam corruperit. A. Reici non debet. Sed ubi dicitur *Item ex sexta synodo*, adde *repetita cap.* IV. (2) B. Caput sextum latiùs Græci quàm Gratianus *d* & Ivo *e* habent: *Ante Subdiaconi ordinem uxorem Clerico ducere*

Dist. 16. *c.* 7. Quoniam.

a *Ivo par.* 4. *c.* 134. *decret. & lib.* 2. *tit.* 11. *c.* 29. *pan.*

b *Cæsar. lib.* 2. *c.* 8.

c 27. *q.* 1. *c.* 6. Si quis.

d *Dist.* 32. *c.* 7. Si quis.

e *Ivo li.* 3 *tit.* 8. *c.* 19. *panor.*

licere, non postea. A. Hujus capitis ut ex sexta synodo Innocentius tertius mentionem fecit. *f* B. Errorem Gratiani est secutus. (3) Caput etiam septimum pleniùs habent Græci quàm Gratianus *g* & Ivo *h* qui quasi ex septima synodo cap. VII. id refert non rectè: *Ne Diaconus ante Presbyterum sedeat, nisi locum tenuerit Patriarchæ vel Metropolitani.* [4] Capitis octavi mentio fit in septima synodo cap. VI. (cujus verba refert Gratianus distin. XIIX. *i* & Ivo *k* in excerptionibus) de synodo semel habenda quotannis. A. Cupio scire quibus verbis referunt vel renovant septimi Concilij patres hunc canonem. B. ὥρισαν οἱ ἁγίας συνόδου ὅσοι πατέρες. & postea. τοῦτον οὖν τὸν καινὸν καὶ ἡμεῖς ἀναιρεῖ μῦθον. C. Apud Gratianum & Ivonem est: *Definierunt sextæ synodi sancti patres. Hunc ergo canonem & nos renovamus.* A. De hoc capite dubitari non potest. Sed & videmus illos sanctos patres dici & illam sextam synodum. B. Omnes Græci ita appellant, & aliqui ex Latinis. (5) Caput nonum Gratianus refert dist. XLIV. cap. III. his verbis: *Nulli Clerico licet tabernam aut ergasterium habere.* Græcè est: Μηδενὶ ἐξεῖναι κληρικῷ καπηλικὸν ἐργαστήριον ἔχειν. Non rectè pro caupona vel vinario ergasterio sive taberna scriptum est taberna vel ergasterio. C. Quid interest? B. Quia non aliæ officinæ prohibentur. Id enim ergasterium significat. (6) A. Dic de aliis. B. Caput undecimum solent Græci contra Latinos obicere de azymis Judæorum & aliis prohibi-

f c. 6. de tempo. ord. in 3. collect. & c. 9. de æt. & qual. Gregor. 3.

g Dist. 93. c. vlt.

h Ivo par. 6. c. 123. decret.

i Dist. 18. c. 7. Quoniam.

k Ivo par. 5. c. 375. decret.

Distin. 44. c. 3. Nulli.

tis. Gratianus *l* non rectè ex septima synodo esse ait. C. Ab Ivone *m* sumptum id est. Sed melius est in libro Cæsarauguſtano *n* & apud Contium. B. *eorum* pro *Iudæorum* scribit Gratianus apud Democharem. A. Lege initium hujus capitis: Μηδεὶς τῶν ἐν ἑσπερίοις κατακεχωρισμένων τάγματι ἢ λαϊκὸς τὰ ᾠδὰ τῶν Ἰουδαίων ἄζυμα ἐσθιέτω. A. Memini apud Humbertum Silvæ-Candidæ Episcopum me legere hunc canonem nullas vires obtinere, cùm sexta synodus nullos fecisset. sed & hic non prohiberi generaliter Christianis azyma, sed ea quæ Judæorum fuerint. C. Quid? Græci semper abstinent azymis? A. In sacrificio Missæ abstinent. *o* C. An non Christus azymis usus est in institutione ejus sacrificij? A. Non poterant agnum comedere Judæi nisi cum azymis, quibus octo diebus utebantur. Si quis alio pane uteretur, occidebatur. *p* (7) B. Caput XIII. (quod Gratianus refert distinct. XXXI. *q*) nullo pacto recipi potest. Est enim contra cælibatum Latinorum sacerdotum conscriptum, & apertè contra Romanam Ecclesiam. A. Quid ais, contra Romanam Ecclesiam? Quo pacto id probas? B. Apertissimis verbis: Ἐπειδὴ ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος παραδεδόσθαι διέγνωμεν, &c. A. Quid Gratianus & Ivo scribunt? C. Gratianus sic ait: *Item synodus sexta. Quoniam in Romani ordine canonis esse cognovimus traditum eos qui ordinati sunt Diaconi vel Presbyteri confiteri quòd non suis jam copulentur uxoribus.* Ivo ita scribit: *Sexta synodus capi-*

l 28. *q.* 1. *c.* 13. Nullus.

m *Ivo par.* 13 *c.* 116. *decret.*

n *Cæs. libr.* 8. *c.* 102.

o *Vid. Leo* 9. *in epis. ad Michae. CP. incipiens* Scripta tuæ.

p *Exod.* 12. & 13.

q *Dist.* 31. *c.* 13. Quoniam. *Ivo lib.* 3. *tit.* 8. *c.* 3. *panor.*

tulo XIII. *Quoniam in Rom. &c.* Non sunt eadem verba Græca & Latina, sed sententia eadem est. Quod Græcè est καθομολογεῖν, & *promittere* significat, *confiteri* versum est non rectè. Nescio autem cur de Hypodiaconis nihil dictum sit, cùm meliùs de eis diceretur, tum tacitis verbis polliceri ut abstineant ab uxoribus, si quas habent, & ut ipsi & cælibes nullas ducant. B. Quod sequitur, quis ferre potest? ἡμεῖς τῷ ἀρχαίῳ ἀκολουθοῦντες κανόνι τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας καὶ τάξεως *&c. Antiquum sequentes canonem apostolicæ diligentiæ & constitutiones sacrorum virorum, legales nuptias amodo valere volumus nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes, aut privantes eos familiaritate adinvicem in tempore oportuno.* Hæc Gratianus. Ivo meliùs: *Nos antiquum sequentes canonem apostolicæ diligentiæ & constitutionis sacrorum virorum &c.* A. Nunquam hoc Apostoli, nunquam hoc priores Græci sancti viri statuerunt. quod apertè Epiphanius scribit. Quam verò familiaritatem Latinus interpres, καὶ πρὸς ἀλλήλους ὁμιλίας Græci. (8)

Dist. 31. *c.* 13. Quoniam.

Apud Humbertum Græci objiciunt Apostolorum canonem quintum Græcis, sextum Latinis, cujus etiam verba hic repetunt: Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τὴν ἑαυτῆς γαμετὴν μὴ ἐκβαλέτω πρόφασει εὐλαβείας *&c.* Quem canonem aliis verbis Gratianus, *r* aliis Burchardus *s* & Ivo *t* referunt. Gratianus in hunc modum: *Item opponitur illud quod legitur in canone Apostolorum: Si quis docuerit*

r Dist. 28. *c.* 14. Si quis.
s Burch. lib. 1. *c.* 78.
t Ivo li. 3. *tit.* 8. *c.* 30. *panorm. & par.* 5. *c.* 184. *decr.*

sacerdotem sub obtentu religionis propriam uxorem contemnere, anathema sit. Alij hæc verba scribunt: *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiciat. Si vero rejecerit, excommunicetur. sed si perseveraverit, dejiciatur.* Hæc cum Græcis conveniunt. Optimè autem alibi Gratianus Apostolorum canonem interpretatur: *Si quis docet sacerdotem uxorem suam contemnere, non quam in sacerdotio accepit, sed quam ante sacerdotium, dum adhuc esset laicus vel in minoribus ordinibus constitutus, sibi copulavit, cum qua continentiam professus est cùm ad sacros ordines conscenderet, quam nullus debet contemnere, hoc est, ab animo & cura sua abicere quin ei necessaria provideat, anathema sit.* Hoc etiam Humbertus, ni fallor, scripsit: cujus verba Leoni IX. ascribunt Gratianus *u* & Ivo. *x* (9) B. Non rectè idem Gratianus de sexta pseudosynodo loquitur his verbis: *Hoc autem ex loco intelligendum est. Orientalis enim Ecclesia, cui sexta synodus regulam vivendi præscripsit, votum castitatis in ministris altaris non suscepit.* Immo apertè Afris cap. XII. & Romanis cap. XIII. legem statuere & regulam vivendi hæc synodus profitetur. Quæ verò sequuntur Stephani Papæ verba, *y* quæ etiam Ivonis sunt in Panormia, *z* duriuscula sunt, nisi interpretatione molliantur: *Aliter se orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, aut Subdiaconi matri-*

Dist. 31. *c.* 9. Quicumque. *p.* 1.

u *Dist.* 31. *c.* 13 Quoniam.
x *Ivo lib.* 3. *tit* 8. *c.* 32. *panor.*

y *Dist.* 31. *c. ult.*
z *Ivo lib.* 3. *tit* 8. *c.* 1. *panorm.*

monio copulantur. Istius autem Ecclesiæ vel occidentalium nullus Sacerdotum à Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi. Si veritatem amamus, tam Orientis quàm Occidentis canones eodem modo vetant Hypodiaconis & his majoribus nuptias contrahere, ut in hac eadem Trullia-

Dist. 32. *c.* 7. Si quis.

na synodo cap. VI. A. *matrimonio copulantur*, hoc est, matrimonij copula utuntur impune, interpretantur nostri. B. Cetera non cohærent : *nullus licentiam habet conjugium sortiendi*, id est, neque uxores ducere, neque conjugio uti possunt. (10) Sunt alia in Græco illo canone XIII. quæ neque Ivo neque Gratianus *a* habent, reprehendenda. In quibus excellit interpretatio mala cap. XXV. Carthaginiensis Concilij Græcis, & in corpore canonum aliis est cap. III. Concilij Carthaginiensis quinti. Videndum cap. III. & IV. Græcis, aliis Carthag. II. cap. II. & Rabanus cap. XXIX. pœnitentium, & Ivo, *b* & Anselmus *c*. (11) A. De aliis capitibus Trullianis à Gratiano relatis videamus. B. Caput XV. refert Gratianus distinct. LXXVII. capite IV. *d Ne Subdiaconus minor* XX. *annis ordinetur &c.* Caput XVII. refert Gratianus ut ex septima synodo, causa XXI. quæst. II. *e Ne derelictis suis Ecclesiis Clerici in aliis recipiantur.* (12) Caput XXIII. refert Gratianus causa prima capit. c. *f Ne sacra eucharistia pecunia accepta distribuatur.* Apud Ivonem cum hac inscriptione legitur : *g Ex sexta synodo Constantinopolitana tertia c.*

a Dist. 32. *c.* 13 Placuit. & *dist.* 84. *c.* 4. Cùm de quorundam. *c. dist* 84. *c.* 3. Cùm in præterito.

b Ivo lib. 3. *tit.* 8. *c.* 22. *panor.*

c Ansel. lib. 8. *c.* 7.

d Dist. 77. *c.* 4 Subdiaconus.

e 21. *q.* 2. *c.* 1.

f 1. *q.* 1 *c.* 100. Nullus.

g Ivo par. 2. *c.* 92 *dec.*

XXIII. C. Quo pacto eadem est sexta & tertia? A Fortasse neque sexta dicenda est neque tertia. Sed sexta vocatur repetita post sextam generalem; tertia autem ob locum, Constantinopolim. C. Dic apertiùs. A. Prima generalis Nicæna fuit, secunda Constantinopolitana, tertia Ephesina, quarta Chalcedonensis, quinta Constantinopolitana secunda, sexta Constantinopolitana tertia. C. Nunc intelligo. Sic igitur dicemus septimam Nicænam secundam, octavam Constantinopolitanam quartam. Sed quo pacto dicemus neque sextam neque tertiam? A. Quia nobis videtur non esse generalis. Sic non est sexta, nisi usurpatione nominis. Eadem ratione non est tertia Constantinopolitana, quia aliæ tres generales Constantinopolitanæ fuerunt. (13) Dic B. cetera. B Caput XXVI. Gratianus refert dist. XXIIX. *h* de Presbytero non legalibus nuptiis irretito, quem ἄθεσμον γάμον Græci vocant, & addunt κατ' ἄγνοιαν, hoc est, per ignorantiam. Gratianus alibi de bigamo interpretatur, *i* & Innocentius III. idem significare videtur. *k* A. Mihi de quibuscunque nuptiis à Presbytero contractis post ordinem sacrum, aut perseverat in illegitimis antea contractis, idem esse videtur. Illegitimæ autem nuptiæ sunt jure prohibitæ, ut consanguineorum, ut etiam cum virgine sacra, aut cum filia spiritali quam tenuit in baptismo. (14) Cetera dices. Video enim interpellatores adesse.

h *Dist.* 28. *c.* 16. Presbyterum.

i *Dist.* 31. *c. ultim. p.* Quòd autem.

k *Inn.* III. *lib.* 2. *epist.* 62 *regist. & c.* 1. *de bigam. in* 3. *collect. & c.* 4. *e. tit. Greg.* 9.

ADDITIONES.

(1) DISTIN. 16. cap 7. *Quoniam.* extremo hæc verba sunt in Romana editione: *Cyrilli Alexandrini Episcopi, Cypriani Carthaginensis Episcopi, & synodum suam.* In Notis hæc sunt: *In isto canonis loco est error; quia illa synodus Cypriani probatur in qua ipse cum multis aliis Africæ Episcopis putavit baptizatos ab hæreticis verum baptisma non recepisse; cùm tamen B. Augustinus asserat aliam extitisse traditionem Apostolorum, & ipsam Cypriani sententiam plenario totius orbis Concilio exclusam fuisse testetur.*

(2) Inscriptio capitis sexti *Si quis Episcopus.* 17. *q.* 1. in eadem editione hæc est: *Item ex sexta synodo in Trullo, c.* 4.

(3) Capitis septimi *Si quis eorum.* dist. 32. in eodem libro inscriptio est: *Item ex sexta synodo c.* 6. Et in margine: *Extrà de ætate & qual. A multis. Pann. l.* 3. *c.* 102.] Caput 9. *A multis. De æta. & qual.* in Romana editione inscribitur Innocentio tertio. Et in vers. *Nemo ad sacrum.* hæc verba sunt: *sicut ei in sexta synodo constitutum ut si quis eorum &c.* Et in margine: *Ca.* 6. *& Pann. ibid. c.* 102. hoc est, lib. 3. tit. de continen. Clericor. Et in scholiis: *Sexta synodo*] 32. *dist.* Si quis eorum.

(4) Distin. 93. cap. ult. hæc inscriptio est in eadem editione: *Vnde in sexta synodo cap.* 7. *legitur.* Et in margine: *Ivo p.* 6. *c.* 123.

(5) In eodem libro Romano inscriptio cap. 7. *Quoniam quidem.* distin. 18. hæc est: *Item ex septima synodo c.* 6. Additur in margine: *Ex versione Anastasij.* Et postea scriptum est: *definierunt sexta synodi sancti patres &c. Hunc ergo canonem & nos renovamus &c.* In margine est: *cap.* 9.

(6) Capitis tertij distin. 44. in eodem libro inscriptio est: *Item ex sexta synodo c.* 9. *Nulli clerico licet tabernam aut ergasterium habere.* In Notis hæc sunt: *Græcè est* καπηλικὸν ἐργαστήριον, *id est, cauponariam tabernam.*

(7)

(7) Ejusdem libri inscriptio est cap. 13. *Nullus eorum.* 28. q. 13. *Item ex sexta synodo c.* 11. Et in margine: *Apostolor. can.* 69. *Ivo p.* 13. *c.* 116.

(8) Distin. 31. cap. 13. in eodem libro verba sunt: *Item synodus sexta c.* 13. *lib.* 8. *c.* 19. [Hæc mendosa sunt. Fortasse illa lib. 8. c. 19. ad Nicephorum pertinebant, de quo in Nota cap. 12.) *Quoniam in Romani ordine canonis esse cognovimus traditum eos qui ordinati sunt Diaconi vel Presbyteri debere confiteri quòd jam suis non copulentur uxoribus, nos antiquum sequentes canonem apostolicæ diligentiæ & constitutiones sacrorum virorum legales nuptias amodo valere volumus.* In margine hæc sunt: *Pann. l.* 3. *c.* 86.] *Ordinati*] *Ordinandi. Sed ob glossam non est mutatum.* In Notis est: *Quoniam*] *Græcè sic habetur:* ἐπειδὴ ἐν τῇ ῥωμαϊκῇ ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος παραδίδοσθαι δίγαμον. *id est.* Quoniam in Romana Ecclesia loco canonis traditum esse cognovimus &c. *Hanc verò Ecclesiæ Romanæ traditionem non solùm B. Hyeronymus contra Iovinianum, Humbertus suprà citatus, & alij Latini scriptores defendunt, sed etiam Balsamon in explanatione hujus canonis satis apertè probat. Verùm de omnibus hujusmodi canonibus, qui sextæ synodo adscribuntur, quid sit sentiendum, ad caput* Habeo lib. *dist.* 16. *satis explicatum fuit.*

(9) Inscriptio ca. 14. *Si quis docuerit.* dist. 28. in eadem editione est: *Item opponitur illud quod legitur in canone Apost. c.* 6. *al.* 5. Et in margine: *Burc. l.* 1. *c.* 78. *Ivo par.* 5. *c.* 184. *Pann. l.* 3. *c.* 113. In Notis additur: *Gratianus refert sensum canonis, cæteri collectores ipsa etiam ferè verba.* Gratiani verba dist. 31. cap. 9. *Quicumque* par. 1. hæc sunt. *ut iste sit sensus capituli.* [*Si quis docet sacerdotem uxorem suam contemnere,*] *non quam uxorem in sacerdotio accepit, sed quam, dum adhuc esset laicus vel in minoribus ordinibus constitutus, sibi copulavit, cum qua continentiam professus est, & cùm ad sacros ordines ascenderet, quam nullus debet contemnere, hoc est, ab animo & cura sua abjicere, quin ei necessaria provideat.* Inscriptio cap. 11. dist. 31. incip. *Omnino.* est: *Item Leo IX. contra epistolam Nicetæ Abbatis.* In margine

est: *Pann. l. 3. c. 115.* Et in Notis est: *Leo*] *Habetur in responsione Humberti ad libellum Nicetæ Presbyteri & monachi adversùs Latinos editum: quam responsionem, cùm nomine Leonis IX. (cujus erat Legatus) scripserit, potest rectè nomine ipsius citari, sicut multa ex Ennodij libro nomine Symmachi dist. 12.* (scribe, 17.) *c.* Concilia. *&* 40. *dist.* Non nos. *&* 81. *dist.* Nemo rectè. 8. *q.* 3. Nonne. 9. *q.* 3. Aliorum. *& suprà dist.* 22. *c.* Omnes. *nomine Nicolai II. quod habetur in oratione Petri Damiani.*

(10) Ante caput extremum distin. 31. hæc in eodem libro verba sunt: *Hoc autem ex loco intelligendum est. Orientalis enim Ecclesia (cui sexta synodus regulam vivendi præscripsit) votum castitatis in ministris altaris non suscepit. Vnde Stephanus Papa ait in prima actione synodi ab ipso in basilica Lateranensi congregata: Aliter se orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur &c.* In margine est: *Pann. l. 3. c.* 84. Et in Notis: *Matrimonio*) *Id est, possunt simul esse in sacris ordinibus & matrimonio juncti. Nam neque illis, postquam ad sacros ordines ascendissent, licebat contrahere matrimonium.* Et in scholiis: *Copulantur*] *id est, copulato utuntur.* Et in margine: *id est, carnaliter commiscentur.*

(11) Capitis 13. distin. 32. in eod. libro inscriptio est: *Item in Concilio Carthaginensi 5. c. 3. Placuit Episcopos, Presbyteros, Diaconos secundùm priora statuta etiam ab uxoribus abstinere &c.* Et in margine: *Pan. l. 3. c. 105.* Et in Notis: *Diaconos*] *Sequebatur* Subdiaconos. *quæ vox sublata est, quoniam abest ab originali & ab Africano c. 37. & à Carthagin. Græca c. 71. & infrà dist. 84.* Cùm de quorundam. *quamvis habeatur in Carthaginensi codicis canonum c. 5.* * *Secundùm priora statuta*] *Græcè est* κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους. *& Balsamon interpretatur*, tempore vicis sue. *quod ab originalis sententia alienum est.* Capitis quarti distin. 84. verba sunt in eadem editione: *Item ex Concilio Carthaginen. 5. c. 3. Cùm de quorundam Clericorum quamvis erga uxores proprias incontinen-*

* c. 25. f.

tia referretur, placuit Episcopos & Presbyteros & Diaconos secundùm priora statuta etiam ab uxoribus continere &c. Et in margine: *In cod. can. c. 25. In Africa. c. 37. dist. 32. c.* Placuit. *Priora*] *Al. propria.* In Notis post verbum *debere*: *In codicibus impressis hæc sequebantur:* Contrà Martinus Papa, [Si lector viduam duxerit] ut suprà legitur. Sed illud, ubi necessitas; hoc, ubi nulla necessitas urget. *Quæ sunt expuncta, quia in vetustis codicibus aut non habentur aut sunt adscripta in margine.* In scholiis hæc sunt: *Et Diaconos & Subdiaconos. 32. dist.* Placuit. *ubi sunt eadem verba.* Capitis tertij *Cùm in præterito.* ejusdem distin. 84. inscriptio est: *Vnde in Carthaginensi Concilio 2. c. 2. Aurelius Episcopus dixisse legitur.* Et in margine: *In Carthag. codicis can. c. 3. & 4.*

(12) Inscriptio cap. 4. *Subdiaconus.* distin. 77. in Romano libro est: *Item ex sexta synodo c. 15.* At inscriptio cap. 1. causa 21. q. 2. in eodem libro est: *Vnde in sexta synodo c. 17. legitur.* Et in margine est: *Et in 7. c. 10.* In Notis varietas notatur Græcorum verborum; cujusmodi est hæc: *ubi contingit eos sine sui examinatione permanere*] *Græcè legitur,* ἐκ τούτου πεσωέδη αὐυποτάκτους αὐτοὺς καταςῶσι. *id est, atque hinc evenit ut ipsi reddantur non subjecti.* Et in margine est: *1. Tim. 1. & Heb. 2.*

(13) Capitis 100. *Nullus Episcopus.* 1. q. 1. inscriptio in eodem libro est: *Item ex sexta synodo c. 23.* Et in margine est: *Ivo p. 2. c. 92.* Et in Notis, ad id quod dicitur, *à percipiente gratiam communionis*, hæc notantur: *Sic etiam Ivo. In uno vetusto Gratiani codice* est gratia communionis. *quod Græca lectioni magis convenit &c.*

(14) Verba cap. 16. distin. 28. in libro Romano hæc sunt: *Item ex sexta synodo in Trullo c. 26. Presbyterum per ignorantiam non legalibus nuptiis detentum &c.* In margine additur: *Simile etiam in 3. canone ejusdem synodi, & apud Basilium in epist. ad Amphilochium c. 27.* In scholiis est: *Non legalibus*] *Potest intelligi de eo qui contraxit secundas nuptias per ignorantiam juris.* Et in margine: *Sic intelligit Gratianus 31. dist. par. ult.* Gratiani verba sunt dist. 31.

c. ult. *Quòd autem in cap. 6. synodi Presbyter non legitimis nuptiis detentus punitur, non legales nuptias secundæ intelligendæ sunt &c.* Et in margine: *sup. 28. dist. c.* Presbyterum. Sed in scholiis mendosè est 25. *dist.* Innocentij verba sunt cap. 4. *Nuper.* De bigamis. in Romana editione: *sicut in canone legitur de Presbytero qui non legalibus nuptiis detinetur &c.*

DE EADEM RE.

Dialogus nonus.

A. DICENDUM adhuc est de Trullianis regulis à Gratiano relatis, quæ negare non possumus fucosa quadam imagine Concilij generalis surrepere nobis posse, nisi caveamus. B. Caput XXVII. ejus Concilij videre licet apud Gratianum causa XXI. quasi ex octava synodo. De vestibus prohibitis Clericis. In fine dicitur, ὅτι ἑβδομάδα μίαν ἀφορίζεσθαι. Apud Gratianum, *per unam hebdomadam suspendatur* pro *excommunicetur.* (1) Caput XXIII. habet Gratianus de consecrat. distin. II. cap. VI. *a Ne uvas addant oblationibus, neque eas populo distribuant cum sacra oblatione.* Caput XXXI. refert Gratianus de consecrat. dist. I. cap. XXXIII. *b* Sed Græca meliora sunt. Vetat canon ne sacra mysteria in oratoriis sive domibus sine Episcopi licentia fiant. λειτουργοῦντας κληρικοὺς interpres vertit *Clericos qui ministrant.* In veteri Græco libro additur: βαπτίζοντας. quod placet. (2) Caput XXXII. est contra Armenios, qui vinum offerunt sine

21. q. 4. c. 2.

a *De consec. d. 2. c. 6.* Didicimus.

b *De consecr. d. 1. c. 33.* Clericos.

aqua, & contra hydroparastatas, qui aquam offerunt sine vino. Utitur contra hos testimonio Jacobi fratris Christi & Basilij Cæsarienſis, qui in Missæ traditione his ututur verbis ut appareat vinum aqua mixtum Christum obtulisse. Hanc partem hujus capitis Gratianus refert de consecratione cap. XLVI. *c* in quo scribi debuit *tradiderunt* pro *addiderunt*. (3) Caput XXXV. refert Gratianus causſa XII. *d Ne Metropolitanus res Ecclesiæ carentis Episcopo auferat.* (4) Caput XXXVI. ambitionis plenum est; sed speciem habet recti, cùm renovet quod in Concilio CP. & Chalcedonensi datum est Patriarchæ CP. ut habeat privilegia Ecclesiæ Romanæ, sed secundus sit tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus, quintus Hierosolymitanus. Sic in veteri Græco libro. In Tiliano desideratur, quartus Antiochenus. Apud Gratianum distin. XXII. cap. VI. mendosè scriptum est *petimus* pro *definimus*, & *inferior Roma* pro *senior Roma*. & Chalcedonensis synodi nulla fit mentio. & illa in contrariam sententiam mutanda sunt: *non tamen in ecclesiasticis rebus magnificetur ut illa.* ὥσε τὴν κωνσταντινουπόλεως θρόνον τῶν ἴσων ἀπολαβεῖν πρεσβείων τῷ τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης θρόνῳ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι κρίνεσθαι. *Et* igitur pro *non tamen* scribendum. A. Ex Leonis, Gelasij, & Nicolai epistulis constat Romanos Pontifices huic ambitioni restitisse. (5) In octava synodo contra Photium id permissum esse videtur cap. XXI. *e* cujus verba referunt. Deus dedit *f* & Ansel-

c *De conse. d.* 1. *c.* 46. Jacobus.

d 12. *q.* 2. *c.* 48. Non liceat.

Dist. 22. *c.* 6. Renovantes: *Vide c.* 3. *e.d.*

e *Dist.* 22. *c. ult.*

f *Deus de. c.* 3.

mus g & Gratianus h. (6) B. Quod distin. XXIII. Gratianus scribit: h *Item ex sexta synodo. Vnde Nicolaus Papa. In nomine Domini &c.* cur ea verba posita fuerint, me ignorare fateor. Credendum est errasse scriptores, & hæc esse repetita ex inscriptione capitis sexti distin. XXII. atque delenda esse.(7) De capite XXCIII. alio die dictum est i. Nihil amplius apud Gratianum invenio ex hac synodo sumptum. Tantùm de subscriptionibus dicam. Post Imperatoris Justiniani subscriptionem hæc verba invenio: ἁγιωτάτου Πάπα Ρώμης. Credo locum esse relictum vacuum ejus subscriptioni. Sequitur Pauli Episcopi CP. novæ Romæ, Petri Episcopi Alexandriæ magnæ urbis, & Anastasij Episcopi Hierosolymorum. Item subscriptiones Episcoporum CCXXVII. Conferatur hic numerus & nomina cum sexta synodo generali. C. Bedæ verba refert Ivo k, ex quibus apparet C L. Episcopos in sexta synodo interfuisse. Idem numerus est in libro pontificali in vita Leonis minoris. A. De anno & Indictione quid in Græco libro est? B. Capite tertio & XVII. mentio fit quartæ præteritæ Indictionis, & eodem cap. IV. anni mundi $\overline{VI}$ CXCIX. A. Si detrahis annos ante Christum $\overline{V}$ D. erunt anni DCXCIX. B. Non conveniet Indictio. A. Si octo annos detrahes, conveniet. Sic, ni fallor, Theodorus cognomento Gaza jubet esse detrahendos $\overline{V}$ DVIII. In quibusdam Leonis minoris epistulis non editis dicitur Indictione nona habitam esse synodum sex-

g *Anselm. lib. 2. c. 72.*
h *Dist. 23. c. 1.*
i *Dial. 7.*
k *Ivo par. 4. c. 125. dec.*

tam. & in actis ejusdem apparet eadem nona habitam, & decima peractam. & in subscriptione inveniuntur nomina Episcoporum CLVII. in quibus Patriarcha Constantinopolitanus est Georgius, non Paulus, & Antiochenus, sive Theopoleos, Theophanes, Alexandrinus Petrus Presbyter vicarius, Georgius Presbyter vicarius Hierosolym. Episcopi. Ab indictione nona ad quintam sunt anni XI. quibus adde XV. & fient XXVI. de quibus ex Anastasio & Theophane dictum est. B. Vides falsa esse quæ Tarasius dicebat, post quattuor annos eosdem Episcopos convenisse in hac repetita synodo. A. Ita est ut dicis. Quia verò inter Trulliana capita aliquot enumerasti quæ falsò septimæ aut octavæ synodo apud Gratianum adscripta sunt, velim scire an sit aliquod septimæ synodi caput quod alij Concilio vel scriptori sit falsò adscriptum? B. Caput XII. septimæ synodi à Gratiano relatum caussa XII. quæst. II. hanc inscriptionem habet: *Item ex historia Eusebij Episcopi Cæsariensis capite duodecimo.* C. Magna metamorphosis. Fuítne Eusebius posterior hac synodo? A. Fuit multis sæculis prior Eusebius, qui interfuit Nicæno Concilio Constantini tempore. Sed quid Ivo & Anselmus & liber Cæsaraugustanus scripserunt? C. Ivo rectè *l*: *Ex septima synodo cap.* XII. Anselmus *m* ut Gratianus, Cæsaraugustanus *n* ut Ivo. B. Ex his apparet non ex Conciliis sed ex collectoribus Gratianum singula sumpsisse. (8) Sed age, videsis cap. XVI. hujus

12 *q.* 2. *c.* 19. Quisquis.

l *Ivo par.* 5. *c.* 375. *decret.*
m *Ans. lib.* 6. *c.* 184.
n *Cæs. libr.* 7. *c.* 72.

Concilij, quàm bellè referatur à Gratiano
o 21. q. 4. c. 1. cauſſa XXI. quaeſt. IV. *o Omnis jactura & ornatura corporalis à ſacrato ordine aliena eſt.* Obſecro te, quænam hæc portenta verborum ſunt, *jactura & ornatura?* Græcè eſt: Πᾶσα βλακεία ἢ κόσμησις σώματος ἀμότεια εἶπε ἱερατικῆς τάξεως. A. Quid Ivo & Anſelmus & Cæſarauguſtanus liber? C. *Omnis jactantia & ornatura corporalis aliena eſt à ſacro ordine.*
p Ivo par. 5. c. 377. decret. q Anſel. lib. 6. c. 185. r Cæſ. lib. 4. c. 59. Ivo *p ſacrato* pro *ſacro.* Anſelmus *q* & Cæſarauguſtanus *r* cetera ut Ivo. B. Quid illud, *non ſolùm imaginarias ſcripturas abominati ſunt*, quis intelliget? C. Sic Ivo, alij hæc omittunt. B. At Græcè eſt, ὃ μόνοντὰς εἰκονικὰς ἀναζωγραφήσεις ἐξελύξαντο. A. Imaginum picturas Anaſtaſius Bibliothecarius, ut exiſtimo, appellavit imaginarias ſcripturas. Græca cum Latinis conferre optimum eſt.

Vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna. (9)

C. Quid eſt apud Gratianum diſtin. LXIII. cap. VII. *ſ Item ex ſecunda actione* VI. *ſynodi* CCCL. *Epiſcoporum?* B. Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum. A Scribendum eſt: *caput tertium ſeptimæ ſynodi.* Videndus Ivo *t* & Anſelmus *u* & Deus-dedit *x* & liber Cæſarauguſtanus *y* & Tarraconenſis. *z* (10) Sed de his hactenus. Cras de Martino Bracarenſi agemus.
f Diſt. 63. c. 7. Omnis. t Ivo par. 5. c. 120. decret. u Anſ. lib. 6. cap. 5. x Deus-ded. c. 1. & 4. y Cæſ. libr. 3. c. 64. z Tarr. lib. 1. c. 46.

ADDITIONES.

(1) INSCRIPTIO capitis secundi *Nullus eorum.* 21. q. 4. in editione Romana hæc est: *Item ex synodo sexta c.* 27. In extremo capite ad illa verba *per unam hebdomadam suspendatur* est in margine: ἀφοριζέσθω, *id est, segregetur.*

(2) De consecrat. distin. 2. cap. 6. *Didicimus.* in eadem editione inscriptio est: *Item ex sexta synodo c.* 28. In Notis hæc sunt: *Est quasi summa quædam canonis citati. Nam in eo plura aliquanto verba sunt, sed eodem ferè sensu. In extremo capite ad illa verba* & fructuum gratias agat *adduntur hæc: Græcè est,* οἱ τὰ δωτῆρος τῶν καρπῶν εὐχαριστίαν. *id est,* ad reddendas gratias fructuum datori.] Inscriptio capitis 33. nobis 34. Romanis, incipiens *Clericos qui ministrant vel baptizant &c.* de consecr. dist. 1. hæc est: *Item ex sexta synodo c.* 31.

(3) Capitis 46. nobis, 47. Romanis, cujus initium *Iacobus.* de consecr. dist 1. inscriptio est: *Item ex sexta synodo c.* 32. Ad verba extremi capitis, *in scripturis addiderunt nobis Missæ celebrationem,* in Notis hæc sunt: *Græcè est,* ἐκλεκτῶς τὰ μυστικὰ τῶν ἱερουργίαν παραδιδόντες, ὃ πῶς τελειοῦται τῇ θείᾳ λειτουργίᾳ ἐξ ὕδατος καὶ οἴνου τὸ ἱερὸν ποτήριον παραδιδόασιν. *id est,* qui in scriptis tradiderunt nobis mysticum sacrificium, hoc modo in divina liturgia sacrum poculum ex aqua & vino conficiendum ediderunt. *Sed nihil mutatum est, tum ob glossam, tum quoniam collector de industria videtur summatim retulisse. Abest autem hoc caput ab aliquot vetustis exemplaribus.*

(4) Ante caput 48. *Non liceat.* 12. q. 2. in eodem libro hæc sunt: *Sicut in sexta synodo c.* 35. *legitur.*

(5) Verba capitis sexti distin 22. in Romano libro hæc sunt: *Item ex 6. synodo sub Iustiniano congregata c.* 36. *Renovantes sancti Constantinopolitani decreta Concilij petimus ut Constantinopolitana sedes similia privilegia quæ superior Roma habet accipiat, necnon in ecclesiasticis rebus magnificetur ut illa &c.* In margine est. *Petimus*] ὁρίζομεν, *id est, statuimus.*

In Notis: *Renovantes*] *Hic agitur de quinto illo canone primæ synodi Constantinopolitanæ de quo suprà ead. c.* Constantinopolitanæ. *dictum fuit. Et quod attinet ad omnes hos canones qui sextæ synodo tribuuntur, videnda est notatio ad c.* Sextam. *supra* 16. *distin.*] *Superior Roma*] *Ita habetur in aliquot vetustis exemplaribus. Nam in vulgatis erat inferior. Græcè est,* τὴν πρεσβυτέρας Ῥώμης, *id est, antiquioris vel senioris Romæ, ut infrà cap. proximo. Omnino autem caput hoc longè brevius est in hac versione quàm in Græco exemplari; uno tantùm loco copiosius, quòd Antiochenam numerat sedem, cujus in Græco vulgato nulla mentio.*] *Nec non*] *Sic emendatum est ex aliquot manuscriptis & Græco. Antea enim legebatur,* non tamen.] Capitis tertij ejusdem distin. verba sunt: *Vnde in eadem synodo, id est, Constantinop. c. cap. 5. ita constitutum est. Constantinopolitanæ civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum propterea quòd sit nova Roma.* Et in margine: *Ex prisca versione. Poly. lib. 2. tit. 11.* Et in Notis: *Canon hic ex iis est quos apostolica Romana sedes à principio & longo pòst tempore non recepit. quod ex epistola quinquagesima prima, aliàs quinquagesima tertia Leonis Papæ primi ad Anatolium CP. & aliis ejusdem epistolis facile est cujus cognoscere, itémque ex duabus epistolis Leonis noni, una adversùs præsumptiones Michaëlis & Leonis c. 28. altera ad eundem Michaëlem. Sed multò clariùs ex B. Gregorij epistola 31. lib. 6. ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum, atque ex epistola Nicolai primi ad Michaëlem Imperatorem, quæ incipit* Proposuerat-mus. *Quamquam Episcopi Constantinopolitani Imperatorum potentia freti secundum locum patriarchalium sedium sibi usurparunt; idque tandem pacis & tranquillitatis causa fuit ipsis concessum, sicut in c.* Antiqua. *de privileg. Innocentius Papa III. declaravit.*

(6) Inscriptio cap. ult. distin. 22. in eodem libro est: *Vnde in* IIX. *synodo habita sub Hadriano Papa II. can. 21. Diffinimus neminem &c.* In margine est: *Deus-dedit p. 3. Ansel. l. 2 c. 72.*

(7) Capitis primi distin. 23. inscriptio est in Ro-

mana editione: *Vnde Nicolaus Papa II. in Concilio Lateranensi. In nomine Domini &c.* Et in margine: *Pann. l. 3. c. 1.* Et in Notis: *Hujus decreti integrum exemplum est in vetustissimo libro abbatiæ monasterij Farfensis litteris Longobardicis ante annos panè quingentos scripto, & alibi.* Vid. lib. 2. dial. 19. add. 12.

(8) In eodem libro inscriptio cap. 19. *Quisquis Episcopus.* 12. q. 2. hæc est: *Item ex septima synodo c.* 12. Et in Notis hæc sunt: *Apud Gratianum, quemadmodum & apud Anselmum, citabatur ex historia Eusebij Episcopi Cæsarienſis. Ivo verum auctorem citavit. Versio autem est Anastasij Bibliothecarij, ex cujus codicibus manuscriptis nonnulla sunt emendata.* In margine est: *Poly. libro sexto titulo decimo quinto. Ans. lib. 6. c. 184. Ivo par. 5. c. 375. Can. Apost. 39.* In aliis Notis de varietate Græcorum verborum & Latinorum agitur. *Salariis*] *Græcè est* ἐκ τῶν αὐτουργῶν. *pro qua voce in Parisiensi Græcorum canonum editione legitur in rubrica* ἐκ τῶν προαστείων, *id est*, ex suburbanis, *quasi suburbana vocentur auturgia, quòd ipsius possessoris manibus colantur. Balsamon tamen eos agros interpretatur qui per se ipsi sine magna cultura fructum ferre possunt, ut silvæ & alia hujusmodi. Fraudare*] σφετερίζεσθαι, *id est, sibi vindicare & suum facere.* (Malo *alienare*) *Episcopus quidem ab episcopio, Abbas autem à monasterio*] *Hæc ad sententiæ integritatem addita sunt ex ipso canone.*

(9) Gratiani verba sunt initio quæst. 4. cau. 21. in Gregoriana editione: *Quòd verò fulgidis & claris vestibus eis ornari non liceat, in septima synodo jubetur, in qua sic statutum est c. 16. Omnis jactantia & ornatura corporalis à sacrato ordine aliena est &c.* Et postea: *Christianos calumniantium hæresis, & hi qui hanc receperunt, non solùm imaginarias picturas abominati sunt &c.* In margine est: *Imaginarias*] *Al. imaginum.* Et in Notis: *Hæresis*] *Cùm antea legeretur* hæreticorum. *Sic est emendatum ex Anastasio & Ivone, & respondet Græca voci* αἱρέσεις. *atque ex iisdem nonnulla alia sunt restituta.* Initio capitis additur in margine: *Ans. l. 6. c. 195. Ivo p. 5. c. 377.*

(10) Inscriptio capitis septimi *Omnis electio.* dist.

63. in eodem libro est : *Item ex septima synodo, quæ est secunda Nicæna 350. Episcopor. c. 3.* In Notis hæc sunt : *Citabatur antea ex secunda actione sextæ synodi. Restitutus est locus ex Ivone.* Et ad verba extremi capitis, *Et segregentur*, additur : *In aliquot vetustis Gratiani exemplaribus est* segregetur. *Sed plerisque cum vulgata lectione convenit. In canone 31. Apostolorum Græcè sic legitur:* Καθαιρεῖσθω καὶ ἀφοριζέσθω, καὶ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες. *Et infrà 16. q. 7. c.* Si quis Episcopus. *ubi hic idem canon ex alia refertur versione, legitur:* & segregetur, omnésque qui illi communicant. *eodémque modo est apud Anselmum. Verùm in versione Anastasij Bibliothecarij legitur quemadmodum apud Gratianum, & convenit cum versione prisca ac Dionysiana.* In margine hæc sunt : *Can. Apost. 31. infrà 16. q. 7. c.* Si quis. *Ivo par. 5. c. 110. Ansel. l. 6. c. 8. Burc. l. 3. c. 109. Deus-dedit ibidem.* hoc est, parte 1. & 4.] Inscriptio cap. 14. *Si quis Episcopus. 16. q. 7.* est : *Item ex canone Apostolorum 31.* Et in Notis scriptum est : *De hoc canone notatum est suprà dist. 63. c.* Omnis electio. *in ver.* segregetur.] Et in margine : *Dist. 63.* Omnis electio. *Deus-dedit p. 1. Bur. l. 3. c. 109. Ivo p. 3. c. 85. & par. 5. c. 119.*

DE MARTINO BRACARENSI, & de Martini Papæ Concilio.

Dialogus decimus.

A. CREDO vos non ignorare, si Gratiani librum ab Antonio Demochare vel ab Antonio Contio editum legistis, in omnibus ferè capitibus quæ habent hanc inscriptionem *Ex Concilio Martini Papæ* additum esse in margine Martini Bracarensis nomen ex capitulis Græcarum synodorum.

Quod à Democharе factum eſt, ſumitur ex libris Conciliorum; in quibus, poſt ſecundum Bracarenſe Concilium, illa capita ſunt Martini Epiſcopi, qui ſe ex Orientis Conciliis ea ſumere dicit, offenſus varia interpretatione eorum. Unde autem ſingula capita ſumantur non adſcripſit, quod ſciam. Sed ego ea conferens cum Græcis, inveni, paucis exceptis, quæ non in Græcis ſed in Latinis Conciliis reperta ſunt. Concilium Martini Papæ inſigne fuit contra Monothelitas habitum ante ſextam ſynodum; in quo non hi canones editi fuerunt, neque confirmati. Tamen neſcio quomodo à collectoribus referri ſolent ut Martini Papæ in ſynodo. Sic fit ut à Gratiano Martini Papæ appellentur, & cum Græcis conjungantur quaſi diverſi. Exemplum ſumamus à Concilio Nicæno. Nam canones Apoſtolorum præteritos ab eo eſſe video. Caput primum (quod in Martini collectione eſt XXI.) refert Gratianus diſtin. LV. cap. IX. *a* cùm verba Nicæni Concilij interprete Dionyſio poſuiſſet cap. VII. Martini refert Ivo *b* in panormia cum hac inſcriptione: *Ex Concilio Martini Papæ* XXI. Idem in excerptionibus: *Ex decretis Martini Papæ cap.* XXI. Hoc aliqua ratione defendi poteſt. Epiſcopos enim Papas eſſe aliquando dictos conſtat, ut de Oſio alio die dicebamus. B. Hanc ego erroris originem credo, ut cùm aliquis hæc capita Martini Papæ, hoc eſt, Epiſcopi, inſcripſiſſet, alius Papæ Romani interpretaretur. A. Si

a *Diſ.* 55. *c.* 7. Si quis à medicis, *& cap.* 9. Si quis præ agritud.

b *Ivo lib.* 3. *tit.* 5. *c.* 15. *panorm. & par.* 6. *c.* 374. *decr.* *Vid. infrà dial.* 2. *addit.* 2.

præfationem legiſſent, ab errore diſceſſiſſent facilè. Ivo in excerptionibus veriùs Martini verba refert quàm Gratianus : *Si quis præ ægritudine naturalia à medicis habuerit ſecta, ſimiliter & qui à barbaris aut dominis ſtultis fuerint caſtrati.* Stulta appellat quæ priùs naturalia. τὰ μωρία. De ſuo verò addit *exiſtimans poſſe à ſe carnales concupiſcentias amputari.* Sententiam Concilij refert Tribuerienſe Concilium cap. XXXIII. verba Anſelmus *c* & liber Cæſarauguſtanus. *d* In Tilij libro deſiderantur hæc verba poſt vocem προσήκει. ὃ ἐκ τοῦ δεῦρο μηδένα τῶν τοιούτων χειροτονεῖσθαι προσήκειν. quæ illis Latinis reſpondent: *Et deinceps nullum debere talium promoveri.* C. Quod ex Arabicis referunt caput primum Concilij Nicæni, alia de re conſcriptum eſt. A. Ita eſt ut dicis. Sed ego Græcis & Latinis ſcriptoribus magis credendum cenſeo quàm Arabibus vel Armeniis. (1) Caput quartum Nicænum ex Dionyſij interpretatione refert Gratianus diſtin. LXIV. cap. 1. & Martini caput II. refert capite VII. ejuſdem diſtinctionis. *e* Tertia interpretatio eſt quam referunt Ivo *f* & Anſelmus *g* & liber Cæſarauguſtanus, *h* qua utitur Iſidorus Mercator in Conciliis. ὃ δὲ κύρος, *poteſtas ſanè vel confirmatio* eſt Dionyſio & Iſidoro, *poteſtas* Martino tantùm. (2) Caput nonum ex interpretatione qua utitur Mercator Iſidorus refert Gratianus diſtin. XXCI. C. IV. *i* Martini caput XXIV. invenies diſtin. XXIV. extrema. *k* Ex Dionyſij interpretatione apud Raba-

c *Anſel. lib. 7. c. 31.*
d *Cæſ. lib. 4. c. 110.*

e *Diſt. 64. c. 1. & 7* Epiſcopum.
f *Ivo par. 5. c. 117. decret.*
g *Anſ. libr. 6. c. 48.*
h *Cæſ. lib. 3. c. 26.*

i *Diſt. 81. c. 4.* Si qui.
k *Diſt. 24. c. ult.*

banum ca. I. pœnitentium, & apud Burchardum *l*, Ivonem *m*, & Anſelmum *n*. Martinus de ſuo addidit mentionem Diaconorum, item illa, *aut poſt ordinationem ab aliis ſunt detecti*. & poſtea: *Similiter verò & de univerſo ordine Clericorum ſervetur*. Apud Gratianum *defendit* pro *defendat* ſcribendum eſt. (3) Caput XVII. (quod aliis eſt XIIX.) contra uſuras accipientes, ex Dionyſij interpretatione Gratianus refert diſtin. XLVII. cap. II. *o* ex Iſidori Conciliis cauſſa XIV. quæſt. IV. cap. IIX. ex Martini cap. LXII. refert capite IV. ejuſd. quæſtionis *p*. Dionyſium ſequuntur Rabanus cap. XXXII. pœniten. & Burchardus *q* & Ivo *r* & Anſelmus *ſ* & liber Cæſarauguſtanus *t*. Addit Martinus *oblitus timorem Domini & per diverſas ſpecies vini vel frugis vel cujuſlibet rei, emendo, vel vendendo, aliqua incrementa ſuſceperit*. Omiſit ἡμιολίας, quas Dionyſius ſeſcupla dixit. Apud Iſidorum eſt: *vel etiam ſpecies frumentorum ad ſeſcuplum dare*. Apud Gratianum dicto cap. IV. ſcribe *turpe lucrum quæſierit*, ut eſt in Conciliis, pro *turpis lucri quæſierit*. (4) Caput X. Concilij Ancyrani videtur Gratianus ex Iſidori interpretatione retuliſſe diſtin. XXIIX. cap. IIX. Martini verò caput XXXIX. retulit diſt. XXVII. capite primo *u*. Et quantum Martinus à Græcis verbis diſceſſit, tantum Gratianus ab utriuſque capitis interpretatione. C. Magnam varietatem narras. B. Ego in mea ſententia perſevero, nihil eſſe hac Gratiani collectione opus, ſed ut alia

l *Burch. lib.* 2. *c.* 13.
m *Ivo par.* 6. *c.* 33. *dec.*
n *Anſ. lib.* 8. *c.* 13.

o *Diſt.* 47. *c.* 2. Quoniam.

p 14. *q.* 4. *c.* 8. Quoniam. *&c.* 4. Si qui.
q *Burch. lib.* 2. *c.* 120.
r *Ivo par.* 6. *c.* 196. *& par.* 13. *c.* 8. *decr.*
ſ *Anſ. libr.* 7. *c.* 153. *in addit.*
t *Cæſ. lib.* 8. *c.* 77.

u *Diſt.* 28. *c.* 8. Diaconi. *& diſt.* 27. *c.* 1.

collectio ex ipsis fontibus hauriatur. A. De his posteriùs agemus. Nunc vobis proponam illius canonis Ancyrani sententiam, quam rectè Gratianus refert dicto capite IIX. & Ivo in panormia *x* ex interpretatione Dionysij: *Diaconi si, cùm ordinabantur, contestati sunt se velle uxores ducere & duxerint, maneant in suo ministerio. si tacuerint, & duxerint, deponantur.* C. Quid Martinus ait? A. Lege Gratiani verba, & Martini & Gratiani varietatem cognoscet. C. *Quòd autem unius uxoris vir Episcopus jubetur eligi, quæritur an de tempore ordinationis hoc sit accipiendum; an tempore suæ administrationis, ejus possit copulâ fungi quam unicam & virginem sibi desponsavit. Hoc Martinus Papa prohibet dicens: Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit se in castitate non posse manere, hic non ordinetur.* A. Illud Concilium dixit, potuisse uxorem ducere post ordinationem. Martinus ait: *hic non ordinetur.* C. *Quòd si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desideraverit, sit alienus à ministerio, & vacet à clero.* A. Martini verba refert Ivo in panormia ut Martini Papæ, & in excerptionibus ex decretis Martini Papæ cap. XLI. Recita nunc Gratiani verba. C. *Hac auctoritate datur intelligi quòd illi qui uxores habent vel accipere volunt, nec Diaconi nec Sacerdotes fieri possunt, nisi continentiam profiteantur. Si verò Diaconus à ministerio cessare voluerit, contracto matrimonio licitè potest uti. Nam eis in*

x Ivo lib. 3. tit. 8 c. 4. panor.

Ivo d. tit. 8. c. 14. panor. & par. 6. c. 376. decr.

in ordinatione suâ castitatis votum obtulerit, tamen tanta est vis in sacramento conjugij quòd nec ex violatione voti potest dissolvi ipsum conjugium. B. O interpretem optimum, qui sententiam Martini pervertit! C. Cur Martinus ab archetypo discessit? A. Cùm in Occidente esset, noluit Orientis licentiam imitari. C. Cur de Diacono, & non de Hypodiacono, canon conceptus est? Nam si Hypodiaconus sine contestatione ordinatus est, non debet audiri si in Diaconi ordinatione contestetur. Æquè enim ducere uxores prohibitum est utrisque. A. Non dubito quin ea contestatio ante Hypodiaconi ordinationem sit necessaria, ac licèt durum videatur, canon ita intelligi debeat ut in utraque ordinatione contestetur. Aut dicendum est, illis temporibus Hypodiaconis, non Diaconis, licuisse nuptias contrahere. Quòd verò Gratianus ait de copula & usu matrimonij jam contracti agi, contra Græca & Latina verba est. De Subdiaconis ita scribit *y*: *Porrò in sequenti videtur permitti auctoritate Subdiaconis, cùm de Diaconis specialiter præcipitur ut sine probatione castitatis non ordinentur. Hoc idem in Ancyritana synodo videtur esse permissum, in qua sic statutum est: Diaconi &c.* B. Vox *probatione* non placet. A. Scribe *professione*. (5) Caput XV. ejusdem Concilij Ancyrani ex interpretatione quæ exstat apud Isidorum Mercatorem refert Gratianus causa XII. quæst. II. cap. XLII. *z* & Martini caput XVII. refert dist. I. cap. XXII. *a* Sed ut

y Dist. 28. c. 7. Præterea p. I.

z 12. q. 2. c. 42. Si qua.

a 50. dist. c. 22. Si quis,

verum fatear, non videtur Martinus ad id caput respexisse. ita inter se diversa sunt. Isidorum sequuntur Anselmus *b* & liber Cæsaraugustanus *c*. Ivo Martini verba refert parte III. cap. CLXXIII. cum hac inscriptione: *Ex Concilio Martini Papæ cap.* XVIII. At ex Concilio Bracarensi liber Cæsaraugustanus *d*, & paucis immutatis Burchardus *e* & Ivo capit. CCXL. dictæ partis tertiæ. Apud Gratianum dicto cap. XLII. in illis verbis (*Si qua de rebus Ecclesiæ, cùm Episcopus non adest &c.*) *non est* scribendum. nam οὐκ οὐ μὴ οὕτω Græcè est. (6) Caput XXIII. (quod Latinis XXII. est) ejusdem Concilij Ancyrani, quasi ex Concilio Neocæsariensi refert Gratianus dist. L. cap. XLII. ex Isidori collectione. Martini verò cap. LXXIX. refert capite XLIV. ejusdem distinctionis *f*. Illud refert Concilium Triburiense cap. LII. & Rabanus cap. XV. pœnitentium, & Burchardus *g* & Ivo *h* & Anselmus *i*, sed ex alia interpretatione Dionysij Exigui, ut existimo. Martini verba refert Ivo parte X. cap. XXXII. cum hac inscriptione: *Ex Concilio Martini Episcopi*. B. Si *Ex collectione* pro *Ex Concilio* scripsisset, rectè dixisse crederetur. (7) Caput. XXIV. Græcis, XXXIII. Latinis, Gratianus refert causa XXVI. quæstione V. cap. II. ex Dionysij interpretatione, & Martini cap. LXXI. capite tertio ejusdem quæstionis *k*. Mendosè apud Gratianum legitur *Ex Concilio Ancyrano cap.* XXXIIII. Refert illud caput Leo IV. in epistula ad Episcopos

b *Anſ. lib. 6. c. 161.*
c *Cæſ. lib. 7. c. 71.*
d *Cæſ. lib. 7. c. 79.*
e *Burch. lib. 3. c. 179.*
f *Diſt. 50. c. 42. Eos. & c. 44. Si quis.*
g *Burch. lib. 6. cap. 15.*
h *Ivo par 10. c. 25. & 144. decr.*
i *Anſ. lib. 11. c. 47.*
k *26. q. 5. c. 2. & 3. p. Si quis.*

Britanniæ, & Concilium Trosleianum cap. xv. & Rabanus *l* & Capitulare Caroli & aliorum *m* & Burchardus *n* & Ivo *o* & Pœnitentiale Romanum *p*. Martini verba referunt Burchardus *q* & Ivo *r* quasi ex Concilio Bracarensi. In Tiliano libro sic est: οἱ καλαμαντευόμενοι ἢ τὴν σωματείως τῶν χρόνων ἐξακολουθοῦντες. In veteri libro, τῶν ἐθνῶν καταλουθοῦντες. *Qui divinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur*, Gratianus & ceteri. *Si quis autem paganorum consuetudinem sequens, divinos aut sortilegos in domum suam introduxerit*, Martinus. *Qui auguria vel auspicia sive somnia vel divinationes quaslibet secundùm morem gentilium observant*, Isidorus in Conciliis. Sortilegos Martinus addidit, plura Isidorianus interpres. ὅπὶ ἀνευρέσι φαρμακειῶν ἢ καθάρσι. *exquirendi aliquid arte magica aut expiandi caussa*, Gratianus. *arte malefica*, Burchardus pro *magica*. & alij, *quasi ut malum foras mittant, aut maleficia inveniant, vel lustrationes paganorum faciant*. Martinus *in exquirendis aliquibus arte malefica, aut domos lustrant*. Isidorus. Illa omissa sunt à Latinis: τρία ἔτη ὑποπτώσεως, ἢ δύω ἔτη εὐχῆς χωρὶς προσφορᾶς. *Vt annos tres jaceant, duos communicent in oratione sine oblatione*. C. *sub regula quinquennij jaceant* habet Gratianus. Id Martinus interpretatur, *pœnitentiam agant*. A. Itidem Isidorus non malè. Illud enim jacere duplex est, alterum generale omnium pœnitentium, alterum speciem notat gradus pœnitentiæ. Alij enim ante fores e-

l *Raban. c. 23. pœniten.*
m *Cap. lib. 7. c. 21. in addit. 1.*
n *Burch. lib. 10. c. 5.*
o *Ivo lib. 8. tit. 5. c. 2. panorm. & par. 11. c. 2. decr.*
p *Pan. tit. 6. c. 1.*
q *Burc. lib. 10. c. 6.*
r *Ivo d. par. 11. c. 34.*

rant, alij intra fores, sed cum catechumenis exibant. Alij manebant jacentes, alij erecti, sed neque offerebant, neque communionis sacræ erant participes. Sed de his hactenus. (8.)

ADDITIONES.

(1) DISTIN. 55. capitis 7. *Si quis à medicis* inscriptio est in Romano libro: *Vnde in Nicæno Concilio cap. 1. legitur.* In margine hæc sunt: *In Tribur. ibid.* (hoc est, c. 33.) *Ansel. l. 7. c. 36. Poly. ibid.* (hoc est, l. 2. ti. 31.) In Notis est: *Et deinceps*] *His verbis nihil respondet in Græco vulgato codice: sed optimè apud Balsamonem, quemadmodum & in Carthaginensi 6. in capitulis Nicænæ synodi à Teïlone & Theariſto versis.* Capitis noni inscriptio est: *Item ex Martino Bracharensi Episcopo in capitulis synod. Græc. c. 21. Si quis pro ægrituaine naturalia à medicis secta habuerit, similiter & qui à barbaris aut dominis suis fuerint castrati &c. existimans posse à se carnales concupiscentias amputare &c.* In margine hæc sunt: *Ivo p. 6. c. 374. Pann. l. 3. c. 51.*

(2) Antè caput 1. distin. 64. in eodem libro hæc verba sunt: *A quibus ordinentur Episcopi, in Nicæno primo Concilio definitum est, in quo sic legitur cap. 4. Episcopi ab omnibus &c.* Et in margine: *In Concilio Nicæno 2. c. 3. Ansel. l. 6. c. 4. & 54. Ivo p. 5. c. 117. Burc. l. 1. c. 27. concordat.* Inscriptio cap. 7. c. distinct. hæc est: *Item ex Concilio Martini Papæ. Episcopum oportet &c.* Et in margine: *In capitulis Martini Bracarensis. c. 4. ex Conc. Nic. c. 4.*

(3) Inscriptio capitis quarti distin. 81. in Romana editione est: *Item ex Concilio Nicæno c. 9. Si quis sine examinatione &c.* In margine hæc sunt: *Rab. lib. poen. c. 1. Burc. l. 2. c. 13. Ivo par. 6. c. 33. Ans. l. 8. c. 15. suprà dist. 24. c. ult.* In fine est: *Sancta defendit Ecclesia.* & in margine: *Sancta*] *Al. catholica. sic*

epi. 1. Cali. 1. Inscriptio cap. ult. dist. 24. est: *De his ita legitur in Concilio Martini Papæ. Si quis Presbyter aut Diaconus &c.* Et in margine: *Apud Martinum Bracaren. c. 24. Facit ad hoc c. epist. 5. Zachariæ ad Bonifacium Episcopum. & 15. q. 8. Si quis Presbyter.*] *Ans. l. 8. c. 13.* Et in Notis: *Confessi sunt*] *In originali est*: confessi non sunt, & post ordinationem &c. *Verùm in Concilio Nicæno c. 9. (unde hoc caput videtur sumptum) habetur sine negatione, quemadmodum hic: & infrà dist. 81. c. Si quis sine.* Scribe, *si qui sine.* In extremo hoc capite est: *Sancta catholica defendit Ecclesia.* Capitis 4. *Si quis Presbyter.* 15. q. 8. inscriptio est: *Item ex Concilio Martini Papæ c. 35.* Et in margine: *In capitul. Martini Brachar.* (adde, *cap. 25.*) *ex Concil. Neocæsar. c. 9. & 10. Burc. l. 2. c. 48. Ivo p. 6. c. 149. Pann. l. 3. c. 150.*

(4) Capitis secundi distin. 47. in eodem libro inscriptio hæc est: *Item ex Concilio Nicæno c. 17. Quoniam multi &c.* Et in margine: *Infrà 14. q. 4. c. 8. ex alia versione. Poly. l. 4. ti. 31. Rab. l. pœn. c. 32. Burc. l. 2. c. 129. Ans. l. 7. c. 153. Ivo p. 6. c. 196. & par. 13. c. 8.* Ad illa verba, *aut ex adinventione*, additur: *Redundat ista particula* aut. & pro *sescupla* est in margine: *Al. sesquipla.* Et in Notis hæc sunt: *Sescupla*] *Hoc sesquialterarum usurarum genus, quamvis gravissimum, in frugibus humidis vel arentibus Constantinus lege permiserat, quæ nunc extat in Codice Theodosiano l. 2. tit. ult. de usur. l. 1. Eodem pertinet quod scribit B. Hieronymus in commentariis in Ezechielem l. 6. c. 18. his verbis:* Solent in agris &c. ut hyemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est, ampliùs partem mediam &c. *Postea verò in aliis Conciliis & à Romanis Pontificibus genus omne usurarum, tanquam juri naturali ac divino contrarium, tam Clericis quàm laicis fuit interdictum; quemadmodum apparet in Decretalibus, titulo de usuris.* Inscriptio cap. 4. cau. 14. q. 4. hæc est: *Item ex Concilio Martini Papæ c. 62. Si quis oblitus timorem Domini &c.* Et in margine: *In capitulis Martini Brachar.* Et in Notis: *Magni Concilij*] *Sic loquitur Martinus Bracharensis, quoniam hanc sen-*

tentiam accipit ex capite 17. Concilij Nicæni, quod ci-tatur infra ead. c. Quoniam. *Et in duobus vetustis Gratiani exemplaribus, post hoc continuò illud subjungitur.*] Editum quoque est: *turpe lucrum quæsierit.* Inscriptio cap. 8. *Quoniam multi.* ead. quæst. hæc est. *Item ex Nicæno Concilio c.* 17. Et in margine: *Et in Aquisgran. c.* 40. *dist.* 47. Quoniam multi. *Burc. l. 2. c.* 12. *Ivo p.* 13. *c.* 8. Et in Notis: *Suprà dist.* 47 *hic idem canon affertur ex versione Dionysij, qui nunc ex prisca, quæ est in collectione Isidori.*

(5) Gratiani verba sunt in eodem libro ante cap. 8. *Diaconi.* distin. 28. *Videtur permitti Subdiaconis, cùm de Diaconis specialiter præcipitur ut sine probatione castitatis non ordinentur. Hoc idem in Ancyrana synodo videtur esse permissum, in qua c.* 10. (*al.* 9. *sic statutum est. Diaconi quicunque cùm ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt &c.* In margine est. *Pann. l.* 3. *c.* 87. *Poly. l.* 4. *tit.* 31. Distin. 27. in prin. hæc verba sunt: *Quòd autem unius uxoris vir Episcopus esse jubetur, quæritur an de tempore ordinationis hoc sit accipiendum, ut tempore suæ administrationis ejus possit copula fungi quam unicam & virginem sibi desponsavit. Hoc Martinus Papa prohibet dicens: Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur &c.* Et in margine: *Apud Martinum Bracarensem c.* 39. *Distin.* 28. Diaconi. *Ivo p. 6. c.* 376. *Pann. l.* 3. *c.* 97. Et postea: *Hac auctoritate datur intelligi quòd illi qui uxores habent vel accipere volunt, nec Diaconi nec Sacerdotes fieri possunt, nisi continentiam profiteantur. Si verò Diaconus à ministerio cessare voluerit, & contracto matrimonio licitè potest uti. Nam etsi in ordinatione sua castitatis votum obtulerit, tamen tanta est vis in sacramento conjugij quòd nec ex violatione voti potest dissolvi ipsum conjugium.* His miror nihil addidisse selectos viros.

(6) Inscriptio cap. 42. cau. 12. q. 2. in Romano libro est: *Item ex synodo Ancyrana c.* 15. *Si qua de rebus Ecclesiæ, cùm Episcopus non est &c.* In margine: *Ans. l.* 6. *c.* 162. Et in Notis: *Reddi*] *Sic in quibusdam exemplaribus priscæ versionis. In aliis ver-*

est, reddidisse. Græcè legitur, διὰ ὁ πολλάκις τὴν εἴσοδον τῶν προσαγομένων ἀποδεδοκέναι αὐτοῖς τοῖς πλείονα τῆς τιμῆς. id est, propterea quòd sæpe rerum venditarum reditus majus pretium his ipsis reddiderit. *Sed ob glossam non est mutatum.* Inscriptio cap. 22. dist. 50. est hæc: *Item ex Concilio Martini Papæ c. 17. Si quis Presbyter aut Diaconus inventus fuerit &c.* In margine est: *Apud Martinum Bracarensem. Burc. l. 3. c. 179. ex Bracarensi. Ivo par. 3. c. 173. ex Martino, & 240. ex Bracarensi.* In Notis: *Diaconus*] *Sequebatur*, aut Subdiaconus. *quæ duæ dictiones expunctæ sunt, quia neque apud Martinum aut Burchardum aut Ivonem neque in antiquis Gratiani codicibus habentur.*

(7) Dist. 50. capitis 42. *Eos verò.* in eodem libro inscriptio est: *Item ex Concilio Ancyrano c. 22. par. Eos verò.* Et in margine hæc sunt: *Ex prisca versione. & Tribur. c. 52. Polyc. l. 6. tit. 10. Burc. l. 6. c. 15. Ivo p. 10. c. 25. & 144.* Et in Notis: *Hæc verò*] *Græcè est:* ὁ δὲ δεύτερος τῶν πεντεκαιδεκαετηρίδων πληρώσει. *id est.* Secunda verò quinquennij tempus explebit. *Atque ita ferè Burchardus & Ivo ex Dionysij versione, & infrà ead. c.* Si quis volontate. (scribe, *voluntariè*) Cap. 44. inscriptio est: *Item ex capitulis Martini Bracarensis Episcopi c. 78. Si quis voluntariè homicidium fecerit &c.* Et in margine: *Ivo p. 10. c. 39.*

(8) In eodem libro inscriptio cap. 2. cau. 26. q. 5. hæc est: *Item ex Concilio Ancyrano c. 23. al. 24. Qui divinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur &c.* In margine hæc sunt: *Raban. in pœnit. c. 23. & in Conc. Paris. li. 3. c. 1. Poly. ibid.* (hoc est, l. 6. tit. 12.) *Burc. l. 10. c. 5. Ivo p. 11. c. 2. Pan. l. 8. c. 62.* Et in Notis: *Gentilium*] *In Græco impresso est* χρήσιον. *Sed in vetusto Vaticano & apud Balsamonem* ἐφιῶν. *Exquirendi*] *Græcè est,* ὅτι ἀνευρέσεως φαρμακειῶν. *id est, ad invenienda medicamenta.* Capitis tertij *Non liceat.* inscriptio est: *Item ex Concilio Martini Papæ* [*Id est, ex capi. Martini Bracharensis cap. 72.* (Desideratur hæc nota.) Et in margine: *Burch. lib. 10. cap. 3. Ivo p. 11. cap. 40.* Et vers. *Nec ex*

collectionibus est in margine: *Ibid. cap. 74. Burc. l. 10. c. 20. Ivo p. 11. c. 47.* Et vers. *Si quis autem*, est in margine: *Ibid. c. 71. Burc. l. 10. c. 6. Ivo p. 11. c. 34.* Et vers. *Mulieribus* est in margine: *Ibid. c. 75. Burc. l. 10. c. 19. Ivo p. 8 c. 330. & p. 11. c. 46.*

DE EADEM RE.

Dialogus undecimus.

C. ANTEQUAM aggrediare quæ reliqua sunt, scire cupio cur Græca Latinis præferenda sint, cùm Græcos constet hæreticos fuisse permultos & hostes Latinorum, multáque finxisse & mutasse. A. Omniáne Græca tibi videntur esse rejicienda? Ergo neque sacros libros cum LXX. editione conferamus, aut cum aliis interpretibus veteris aut novi testamenti, neque aliquem sanctorum patrum Orientis librum legamus. Frustra nobis Dionysius Areopagita, Athanasius, Gregorij tres, Basilius, Joannes Chrysostomus, & tam multi alij scripserunt. Frustra tot philosophi, medici, historici, si omnia tibi suspecta sunt. C. Non omnia dico reicienda Græcè scripta. Sed quæro cur Latinis præferri oporteat? A. Si non omnes uno ordine habes Achivos, invenies in eorum scriptis qui ista detestentur hæreticorum facinora, qui detegant eorum flagitia. Itaque licet tibi cetera sincera esse credere. Quòd si non omnia Græci notant, at Latini habent quædam suspecta. Ab his abstine.

Ceteri, ut fontes ex quibus oriuntur rivi & flumina, habendi sunt Græcorum libri. Hi præsertim Græci canones in Græcia ita scripti, cur non tibi Latinis antiquiores & potiores sint, causſam nullam dices. Latinos interpretes vides varios esſe & obscuros. Quis meliùs sententiæ vim explicare potest quàm is qui conscripsit? Si cum Afris aut Indis aut Persis cum interprete negotia geras, quàm multa interpres obscurè dicet aut de suo addet à nobis aut ab illis non dicta, aut dictorum non recordabitur? C. Sunt igitur Græca Latinis potiora, quasi fons Latinorum. id mihi ad rem de qua agimus satis est. A. Post Ancyranos canones sequuntur Neocæsarienses. Hujus Concilij caput octavum ex interpretatione Isidoriana Gratianus refert distin. XXXIV. cap. XI. & capite XII. Martini caput XXIIIX. *a* Quod dicitur, *dato repudio dimittere eam debet*, Græcè est, ὀφείλει ἀπολῦσαι αὐτὴν. *dato repudio* non habet Martinus. (1)

a *Dist.* 34. *c.* 11. Si cujus. *&* *c.* 12. Si laïci.

Caput IX. Gratianus refert ex Isidori interpretatione causſa XV. quæst. III X. capite I. Martini verò caput XXV. capite IV. ejusdem quæstionis. *b* Ex Dionysij interpretatione Rabanus cap. I. pœnitentium, & Burchardus *c* & Ivo *d*. Martini verba refert Ivo in panormia *e* ut ex Concilio Martini Papæ cap. XXVI. Sed Burchardus *f* & idem Ivo in excerptionibus *g* quasi ex Concilio Cabilonensi. τὰ δὲ λοιπὰ ἁμαρτήματα ἔφασαν οἱ νόμοι ἐν τῇ χειροθεσίᾳ ἀφιέναι. Hæc omittit Martinus &

b 15. *q.* 8. *c.* 1. *&* *c.* 4. Si quis
c *Burch. li.* 2. *c.* 49.
d *Ivo li.* 3 *tit.* 11. *c.* 9. *panor.* *&* *part.* 6. *c.* 150. *decr.*
e *d. tit.* 11. *c.* 18
f *Burch. lib.* 2. *c.* 48.
g *Ivo par.* 6. *c.* 149. *dec.*

Dionysius. *Nam cetera peccata censuerunt plurimi etiam ordinatione privari :* Isidorus. *Cetera verò peccata &c.* Gratianus. *Remitti* malim quàm *privari.* (2)

Caput XI. ex interpretatione Isidoriana refert Gratianus distin. LXXIIX. cap. IV. Martini verba non facilè adgnoscuntur capite primo ejusdem distinctionis *h* Bonifacio Papæ inscripta, quod Democharis non vidit, qui alia animadvertit. Est autem Martini caput XX. Fabiano Papæ adscribunt Burchardus *i* & Ivo *k* & liber Tarraconensis *l.* (3)

h *Dist.* 78 *c.* 1. & 4. Presbyter.

i *Burch. lib.* 2. *c.* 10.
k *Ivo li.* 3. *tit.* 3. *c.* 2 *panorm.* & *par.* 6. *c.* 30. *decr.*
l *Tarr. lib.* 6. *c.* 122.

Caput tertium Concilij Gangrensis ex interpretatione Isidori refert Gratianus caussa XVII. quæst. IV. cap. XXXVII. & mox capite XXXIIX. refert Martini caput XLVII. *m* in quo pro *anathema sit* scriptum est *durissimè in omnibus arguatur.* Martini verba ut ex Concilio Bracarensi referunt Burchardus *n* & Ivo *o*, qui alibi *p* referunt verba Concilij Gangrensis ex alia interpretatione. (4)

m 17. *q.* 4. *ca.* 37. Si quis. & 38. Si quis.
n *Burc. lib.* 8. *c.* 25.
o *Ivo par.* 7. *c.* 45. *decr.*
p *Burc. lib.* 11. *c.* 62. *Ivo par.* 13. *c.* 48. & *par.* 16. *c.* 102. *decr.*

Caput quartum Concilij Antiocheni ex interpretatione Dionysij refert Gratianus caussa XI. quæst. III. cap. VI. & capite VII. Martini caput XXXVII. *q* Dionysium sequuntur Burchardus *r* & Ivo *s* & Anselmus *t* & ante hos Nicolaus Papa in epist. II. ad Michaëlem Imperatorem : εἴ τις ἐπίσκοπος ἐκ συνόδου καθαιρεθείς. *Si quis Episcopus damnatur à synodo*, Gratianus. *damnatus* Burchardus & alij. sic etiam Capitulare Caroli lib. I. cap. VII. *Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit.* Martinus : *Si quis Epis-*

q 11. *q.* 3. *c.* 6. Si quis. & *ca.* 7. Si quis.
r *Burc. lib.* 1. *c.* 199.
s *Ivo par.* 5. *c.* 362. *decret.*
t *Ans. lib.* 12. *c.* 26.

copus à synodo fuerit depositus. Isidorus ut Græci. *vel matutinum vel vespertinum sacrificium* addidit Martinus. *Si autem permanserit turbans &c.* hæc etiam sunt addita à Martino, sumpta ex capite quinto extremo ejusdem synodi. (5)

Caput nonum ex interpretatione Isidoriana Gratianus refert caussa IX. quæst. III. capite II. & capite primo refert Martini caput IV. *u* quod brevius est multò superiore. Videtur autem confirmari canon XXXIV. Græcis, XXXV. Latinis Apostolorum; de quo videndus Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum cap. LXXII. Apud Anselmum *x* refertur Dionysij interpretatio capitis IX. Antiocheni. (6)

u 9. q. 3. c. 1. & 2. Per singulas.

x *Ans. lib.* 5. *c.* 73. *in addit*

Caput XII. refert Gratianus caussa XXI. quæst. V. cap. II. ex Isidori interpretatione. Martini caput XXXV. cap. V. ejusdem quæstionis *y*. Hoc esse caput arbitror contra beatum Athanasium scriptum, quod reprehendit Julius in epistula ad hos eosdem Episcopos Antiochiæ congregatos. Idem contra Joannem Chrysostomum dum obiceretur, ab eo responsum est hæreticorum canonem fuisse. B. Cur igitur canones Antiocheni recepti sunt, cùm Arianos illos Episcopos auctores habeant? A. Non possum caussam dicere. sed receptos esse constat & in corpore canonum positos ante Concilium Chalcedonense; ut in ejus Concilij actione XII. Græcis, Latinis XI. apparet. Ex libro etiam Latino, quem eodem nomine Corpus canonum

y 21. q. 5. c. 2. & c. 5. Si quis.

dicimus, quem apertè Leo IV. in epistola ad Episcopos Britanniæ approbat, id constat, & ex aliis multorum testimoniis, præsertim Paschalis II. in Concilio Romano. Fortasse propter decretorum utilitatem. Sed ad caput XII. revertamur; quod referunt Concilium Aquisgranense cap. LXXIV. & Burchardus z & Ivo a & Anselmus b ex Dionysij interpretatione. Illa verba variè conversa sunt: εἴ τις ὑπὸ τῆ ἰδίᾳ ἐπισκόπῃ καθαιρεθείς. Apud Isidorum rectè est: *Si quis à proprio Episcopo depositus.* Apud Martinum est: *Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit.* Apud Dionysium: *Si quis à proprio Episcopo Presbyter aut Diaconus aut à synodo fuerit Episcopus damnatus.* (7)

z *Burc. lib. 2. c. 180.*
a *Ivo par. 6. c. 225. decr.*
b *Ans. lib. 5. c. 74. in addit.*

Caput XIV. habet Gratianus caussa VI. quæst. IV. cap. I quasi ex Laodicensi Concilio ante Democharis editionem, ex Isidori magna ex parte interpretatione; & cap. II. Martini cap. XIII. c Ex Dionysij interpretatione referunt Burchardus d, Ivo e, & Anselmus f. Prima verba Gratiani alij omnes aliter referunt. Græca hæc sunt: εἴ τις ἐπισκόπων ὑπό τισιν ἐγκλήμασι κείνοιτο. *Si quis Episcopus criminaliter in judicio Episcoporum fuerit accusatus*, Gratianus. *Si quis de aliquibus causis criminalibus in judicio Episcoporum fuerit accusatus*, Isidorus. *Si quis Episcopus in aliquibus causationibus judicatur*, Martinus. Vox *causationibus* omissa est à Gratiano. *Si quis Episcopus de certis criminibus judicatur*, Dionysius & Græci. In Metropolitani alte-

c 6. q. 4. c. 1. & 2. Si quis.
d *Burch. lib. 1. c. 150.*
e *Ivo par. 5. c. 263. decret.*
f *Ans. lib. 5. c. 77. in addit.*

rius vocatione varietas est. Neque enim Græcè dicitur illum esse vocandum, sed vicinos Episcopos à Metropolitano. At Gratianus habet: *Metropolitanum Episcopum alterius provinciæ vicinæ advocari & aliquantos cum eo Episcopos alios.* Sic etiam Isidorus, *ut de provincia vicina alter Metropolitanus convocetur Episcopus, ut per eum confirmetur &c.* Martinus. *Metropolitanus Episcopus à vicina provincia judices alios convocet*, Dionysius & Græci. (8)

Caput XIIX. Gratianus refert distin. XCII. cap. v. ex Dionysij interpretatione; & capite IV. Martini cap. x. *g* quod à Burchardo *h* & Ivone *i* dicitur ex Concilio Aurelianensi sine nomine, & in libro Tarraconensi *k*. Ab eisdem referuntur verba Dionysij, & ab Anselmo *l*. Varietas est in extremo canone. Græcè est: ὃ αὖ ἡ τῆ ἐπαρχίας τελεία σύνοδος καὶ κείνασα διαγνόντα ὅρισῃ. *Expectare eum oportet provinciæ plenariam synodum, donec de eo quod competit statuatur*, Isidorus. *Sustineat autem quod de eo sanctum Concilium judicare voluerit*, Martinus. *quid* pro *quod* Gratianus. *quidquid* Burchardus & alij. *quem etiam observare convenit quidquid synodus provinciæ perfectè judicando decreverit*, Dionysius apud Gratianum. *synodus perfecta provinciæ* apud Burchardum & Græcos. (9)

g *Dist. 92. c. 4. Si quis. & c. 5. Si quis.*
h *Burc. l. 1. c. 40. & 41.*
i *Ivo par. 5. c. 151. & 152. decr.*
k *Tarrac. lib. 6. c. 68. & 69.*
l. *Ans. lib. 6. cap. 41.*

Cap. XIX. ex Isidori ferè interpretatione refert Gratianus distin. LXV. cap. III. & Martini cap. III. cap. II. *m* Initij varietas est, ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι. *Episcopum non or-*

m *Dist. 65. c. 2. Non debet. & c. 3. Episcopus.*

dinandum, Isidorus. *Episcopus non est ordinandus*, Gratianus. *Non debet ordinari Episcopus*, Martinus. (10)

De synodo bis quotannis habenda cap. xx. refert ex Isidoriana interpretatione Gratianus distin. xiix. cap. iv. & Martini cap. xiix. cap. xv. ejusdem distinctionis *n*. Item Burchardus *o* & Ivo *p* cap. xx. referunt ex Dionysij interpretatione. Tempora synodorum omisit Martinus. In aliis varietas est de posteriori synodo, quam omnes Idibus Octobris habendam dicunt. sed Græci & Isidorus decima Hyperberetæi mensis; Dionysius & ceteri xv. quamvis non apertè, quia solum dicunt Octobrem esse Hyperberetæum mensem. B. Non idem Theodorus & Lilius dicent, qui Romanorum cum Græcis nomina mensium non posse convenire scribunt propter intercalationes. A. Posterioribus temporibus fortasse omiserunt intercalandi consuetudinem & ordinem mensium Latinorum servarunt. In canonibus Apostolorum sine mentione mensis Octobris dicitur Hyperberetæi duodecima, capite xxxvii. Græcis, Latinis xxxiix. Sed in Isidori libro dicitur, juxta Romanos, quarto Idus Octobris. (11)

Venio nunc ad caput xxiii. quod refert Gratianus caussa iii. cap. iii. *q* ex Dionysij interpretatione, item Burchardus *r*, Ivo *s*, Anselmus *t*, & liber Cæsaraugustanus *u*. Et Martini caput refert Gratian. cap. iv. ejusdem quæstionis *x*. Item Burchardus *y* & Ivo *z* ut ex Concilio Hispalensi. Quod apud Gratianum

n *Dist.* 18. *c.* 4. Propter. *&c* 15. Proter
o *Burch. lib.* 1. *c.* 44.
p *Ivo lib.* 4. *tit.* 2. *cap.* 3. *panor & par.* 5. *c.* 154. *decret.*
q 8. *q.* 1. *cap.* 3. Episcopo.
r *Bur. lib.* 1. *c.* 185.
s *Ivo par.* 5. *cap.* 301. *decret.*
t *Ans. lib.* 6. *c.* 57.
u *Cæs lib.* 3. *c* 37.
x *c.* 4. Episcopo. *e. q.*
y *Burc. d. lib.* 1. *c.* 187.
z *Ivo dict. part.* 5. *c.* 303

est, *& electione Clericorum*, neque Græci neque Latini libri habent. (12)

Caput XXV. ex interpretatione Dionysij refert Gratianus caussa XII. cap. XXIII. & Martini cap. XVI. caussa X. quæst. II. cap. IIX. *a* Dionysium sequuntur Anselmus *b* & Capitulare Caroli *c* & aliorum. Varietatem omitto, ut veniam ad Laodicenos. (13)

Caput XIII. refert Gratianus dist. LXIII. cap. VI. *d* ex Dionysij interpretatione, & Burchardus *e* & Ivo *f* & Anselmus *g* & Deus-dedit *h* & Capitulare *i* de quo dixi. Martini caput primum refert Gratianus cap. IIX. ejusdem distinctionis *k*; & ut Bracarensis Concilij cap. I. referunt Burchardus *l*, Ivo *m*, & Anselmus *n*; ut verba Cælestini liber Cæsarauguſtanus *o*. Addit autem Martinus quædam: *Vt Episcopi eos probent &c.* (14)

Caput XXXII. est apud Gratianum caussa prima cap. LXVI. ex Isidoriana interpretatione, & caput LXVII. ex Martino cap. LXX. *p, ne eulogiæ sive benedictiones ab hæreticis accipiantur.* Laodicenum canonem referunt Burchardus *q* & Ivo *r* & Deus-dedit *s*, sed ex Dionysij interpretatione. At ex Isidori liber Tarraconensis *t*. (15)

Caput XLVI. habet Gratianus de consecratione distin. IV. cap. LIIX. *u* ex Isidori interpretatione, ut est etiam in Capitularibus Imperatorum *x*. At in eadem distinct. cap. LIX. Martini verba refert capit. XLIX. *y* Ex Dionysio referunt Burchardus *z* & Ivo *a*. (16)

a 12. *q.* 1. *c.* 23 Episcopus. *&* 10. *q.* 2. *cap.* 8. Episcopus

b *Ans. lib.* 6. *c.* 163.

c *Capit. lib.* 7. *c.* 76.

d *Dist.* 63. *c.* 6. Non est.

e *Bur. li.* 2. *c.* 8.

f *Ivo par.* 6. *c.* 28 *decret.*

g *Ans. lib.* 6. *c.* 38.

h *Deus d. l. c.* 1. *&* 4.

i *Capit. lib.* 7. *c.* 79.

k *c.* 8. *dist.* 63. *non licet.*

l *Bur. lib.* 1. *c.* 10.

m *Ivo par.* 5. *c.* 64 *decret.*

n *Ansel. lib.* 6. *c.* 8.

o *Cæsaraug. lib.* 3. *cap.* 18.

p 1. *q.* 1. *c.* 66. Non oportet. *&* 67. Non liceat.

q *Burc. lib.* 3. *c.* 209.

r *Ivo par.* 3. *c.* 260. *dec.*

s *Deus-ded. c.* 2. *&* 4.

t *Tarr. lib.* 6. *c.* 20.

u *De cons. di.* 4. *c.* 58. Baptizandor.

x *Capit. lib.* 7. *cap.* 404.

y *e. d. c.* 57. Non liceat.

z *Burc. lib. 4. cap. 9.*
a *Ivo par. 1. c. 204. dec.*
b *De consecr. d. 3. c. 7.* Non liceat. *& cap. 8.* Non oportet.

Sic etiam distin. tertia cap. LIX. refert caput L. Concilij Laodiceni ex Isidori interpretatione, & capite VII. ex Martini capite I. *b* & quod Græcè est νηστεύειν ξηροφαγοῦντας, Martinus *sincerè abstinentes* dixit. *escis abstinentiæ convenientibus, id est, aridioribus*; uti Isidorianus interpres. B. Sic etiam xerophagia dicitur apud Cassianum *c*, & omophagia, cùm crudis cibis utuntur. A. *districto veneranti jejunio* Dionysius in Corpore canonum scripsit. Aridis hodieque cibis Græcos in quadragesima uti scio. (17)

c *Cassian l. 4. c. 21. & 22. de instit. cœnob.*

Caput LV. (quod aliis LIV. est) refert Gratianus distin. XLIV. cap. X. ex Isidori interpretatione, & cap. XII. Martini caput LXI. vel LXII. *d* Ex Dionysij interpretatione refert Rabanus cap. XXVII. pœnitentium. Quod Græcè est ἐκ συμβολῆς συμπόσια θοινᾶσθαι, *ex collatis vel commessationibus convivia celebrare* vertit Dionysius. *ex symbolis, quæ vulgus commissalia appellat, convivia celebrare*, Isidorianus. *convivia facere de conferetis*, Martinus. (18)

d *Dist. 44. c. 10.* Non oportet. *& c. seq.*

Caput huic proximum LVI. vel LV. erit hujus Concilij & diei extremum. Refert Gratianus distinct. XCV. capite IIX. ex Isidori interpretatione *e*. & de consecrat. dist. IV. cap. CXXIV. extremo refert caput Martini LIII. *f* Varietas est nonnulla. Namque Martinus de baptisterio ait: *Non liceat Presbytero priùs Episcopo introire in baptisterium.* Græci: εἰσιέναι δὲ καθέζεσθαι ἐν τῷ βήματι. *ante processionem Episcopi introire in sacrarium & sedere;*

e *Dist. 95 c 8.* Non oportet.

f *De cons. d. 4. c. 124.* Omni tempore.

dere; sed cum Episcopo debent ingredi, vel in subselliis sedere, Dionysius. *ante ingressum Episcopi ingredi Ecclesiam, & sedere in tribunalibus*, Isidorianus. Quod verò Martinus ait *nisi fortè aut absens fuerit aut ægrotus*, Isidorianus habet: *nisi fortè aut ægrotet Episcopus, aut in peregrinationis commodo eum abesse constiterit.* Apud Democharem est *commodo esse eum constiterit.* & in margine: *in peregrinatione modo, eum esse &c.* Apertiùs Dionysius: *nisi forsitan infirmitate detineatur aut proficiscatur Episcopus.* Græcè verò est: πλὴν εἰ μὴ ἀσθενείᾳ ἢ ἀποδημεῖ ὁ ἐπίσκοπος. (19)

Cetera alio die, ut veteres augures dicebant, persequemur.

ADDITIONES.

(1) CAPITIS undecimi *Si cujus uxorem.* dist. 34. in Gregoriano libro inscriptio est: *Item in Neocæsariensi Concilio c.* 8. Et in margine: *Ans. l.* 7. *c.* 19. Capitis 12. inscriptio est: *Item ex Concilio Martini Papæ. Si laici uxor &c.* Et in margine: *Alicujus laici*] *orig.* Et: *Apud Martinum Bracarensem c.* 28.

(2) Initio quæstionis 8. causæ 15. in eodem libro hæc verba sunt: *De ultima verò quæstione sic statutum est in Concilio Neocæsariensi c.* 9. *&* 10. *Qui admisit corporale peccatum &c.* Et in margine: *Raban. lib. pœnit. c.* 1. *Poly. l.* 4. *ti.* 39. *Burc. l.* 2. *c.* 49. *Ivo p.* 6. *c.* 150. *Pann. l.* 3. *c.* 151. Et in Notis: *Propter ejus studij utilitatem*] *Græcè est*, διὰ τὴν ἄλλην σπουδήν, *id est, propter studium ac diligentiam, quam cetero-quin adhibet. Privari*] *Græcè legitur:* τὴν χειροθεσίαν ἀφιέναι. *id est*, per manus impositionem dimitti, *quemadmodum ferè vertit Dionysius, cujus versionem ceteri collectores attulerunt, hac tamen clausula omissa. Nam hæc versio quam Gratianus affert, est prisca,*

quæ in collectione Isidori (deest *extat.*) *Ita ex his verbis longè alia elicitur sententia atque auctor glossæ putarit.* Capitis quarti inscriptio est : *Item ex Concilio Martini Papæ c. 35. Si quis Presbyter &c.* Et in margine : *In capitulis Martini Bracharensis ex Conc. Neocæsarien. cap. 9. & 10. Burc. l. 2. c. 48. Ivo p. 6. c. 149. Pann. l. 3. c. 150.* In fine, pro voce *accipiant*, est in margine : *Al. retineant.*

(3) Gratiani verba sunt in eodem libro initio distin. 78. *Qua verò ætate Sacerdotes ordinari debeant, Bonifacius Papa diffinivit dicens : Si quis triginta &c.* Et in Notis est : *Bonifacius*] *Ceteri collectores citant ex decretis Fabiani. Extat apud Martinum Bracarensem Episcopum in capit. Græc. synod. c. 20.* Et in margine : *Poly. l. 2. tit. 20. Burch. l. 2. c. 10. Ivo par. 6. cap. 30. Pann. l. 3. c. 29.* Capitis 4. hæc inscriptio est : *Item ex Concilio Neocæsariensi c. 11. Presbyter ante* xxx. *&c.* In margine hæc sunt : *Polyc. l. 2. tit. 27. Ans. l. 7. c. 95. Pann. l. 3. c. 29.*

(4) Inscriptio capitis 37. *Si quis servum alienum occasione religionis &c.* c. 17. q. 4. in Gregoriana editione est : *Vnde in Gangrensi Concilio c. 3. legitur.* In margine est : *Ivo p. 16. c. 102. & p. 13. c. 48.* Capitis 38. inscriptio hæc est : *Item ex Concilio Martini Papæ c. 47. Si quis servum alienum causa religionis doceat &c.* Et in margine est : *In cap. Græcarum synod. Martini Brachar. Burc. l. 8. c. 25. Ivo par. 7. cap. 43.*

(5) Capitis sexti causæ 11. quæst. 3. in eodem libro inscriptio est : *Item ex Concilio Antiocheno c. 4. Si quis Episcopus damnatus à synodo.* In Notis est : *Damnatus*] *Græcè est* καθαιρεθεὶς, *id est, depositus.* Et in margine : *Et Aquisgran. c. 47. extr. de Cler. exc. depo. c. 1. & 2. Nic. Papa epi. 8. Poly. ibid.* (hoc est, l. 7. tit. 1.) *Burc. l. 1. c. 199. Ivo p. 5. c. 361. Ans. l. 12. c. 26.* Capitis 7. inscriptio est : *Item ex Concilio Martini Papæ c. 37. Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit &c.* In margine est : *In capitulis Martini Bracharensis.* In Notis hæc sunt : *Forinsecam*] *In aliquot Gratiani & Concilij codicibus est*, forasticam. *In canone quinto Concilij Antiocheni*

unde hoc sumptum est, legitur, διὰ τὴν ἐξουσίας. *quæ Dionysius vertit,* per potestates exteras.] Capitis primi de Clerico excom. inscriptio est: *Ex canone Apostolorum: Si quis Episcopus, Presbyter, &c.* Et in margine est: *Addi potest c.* 18. *ex Theodoro Balsamone. refertur c.* 1. *eod. tit. in* 1. *compila.* Capitis secundi inscriptio est: *Ex Concilio Antiocheno: Si quis Presbyter &c.* Et in margine est: *cap.* 2. *eod. tit. in* 1. *compil.*

(6) Capitis primi 9. q. 3. in eodem libro inscriptio est: *sicut in Concilio Martini Papæ legitur c.* 4. *Per singulas provincias oportet &c.* In margine est: *In capitulis Martini Bracharen. c.* 4. Pro voce *Metropolitanum* est in margine: *Al.* Primatum Metropolitani sui. Et pro voce *assumat: Al.* sibi assumat.] Capitis 2. inscriptio est hæc: *Item ex Concilio Antiocheno c.* 9. *Per singulas provincias Episcopos singulos &c.* Et in margine, ad illa verba, *secundùm antiquum patrum nostrorum canonem*, additur: *Apost. can.* 34. In Notis, ad illa verba, *citra Metropolitani Episcopi conscientiam*, additur: *Græcè est,* διχα τῦ μητροπόλεως ἐπισκόπου, μὴ ὄν αὐτὸν αὐευ τῆς τῦ λοιπῶν γνώμης. *Itaque eadem voce* γνώμης *utitur canon tam in consensu Metropolitani quàm suffraganeorum. Sed ob multas varietates placuit apponi verba Græca cum versione nova.* τῶν κατ' ἐκάστην *&c. Episcopos qui in unaquaque &c.*

(7) Inscriptio capitis secundi 21. q. 5. in eodem libro est: *Item ex Concilio Antiocheno c.* 12. *Si quis à proprio Episcopo depositus Presbyter &c.* Et in margine hæc sunt: *Et in Aquisgran. c.* 74. *Burc. l.* 2. *c.* 180. *Ivo p.* 6. *c.* 225. Capitis 5. inscriptio est: *Item ex Concilio Martini Papæ c.* 35. *Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus excommunicatus &c.* In margine hæc sunt: *In capitulis synod. Græc. Mar. Brachar. c.* 35. *Concor. sup. ea. c. Si quis à proprio.* Ad illa verba, *& importans se palatio*, est in margine: *Al. importunans. al. importunus palatio.* In Notis est: *ad majorem Episcoporum synodum*] *Antea legebatur,* majorum Episcoporum Concilium. *Emendatum est ex codice Lucensi regio: quoniam concordat cum ea-*

none Antiocheno sup. ead. Si quis à proprio. *unde videtur sumptum.*

(8) Causa 6. quæst. 4. cap. 1. in eodem libro Romano ita scriptum est: *In Concilio Antiocheno c. 14. sic invenitur diffinitum. Si quis Episcopus criminalium in judicio Episcoporum fuerit accusatus &c.* Et in margine: *Al. de aliquibus causis criminalibus.* Et: Burc. *l. 1. c. 150. Ivo p. 5. c. 263.* In Notis hæc sunt: *Caput hoc in multis etiam vetustis Gratiani exemplaribus citatur ex Concilio Laodiceno. In uno tamen pervetusto est ex Concilio Antiocheno, in quo etiam extat: & est antiqua versio. Metropolitanum*] *Græcum exemplar hic valde dissentit ab hac versione. Namque his verbis colligitur Concilium unius provinciæ, in qua necesse est adesse proprium Metropolitanum, posse advocare vicinæ provinciæ Metropolitanum cum aliquot Episcopis. Quod Martinus etiam Bracharensis in sequenti capite, quod ex Concilio Antiocheno accepit, confirmat. Græcè verò locus ita habet.* ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ *&c. Quod Dionysius, quemadmodum etiam est in codice canonum, sic vertit. Sancta synodo placuit &c. Ac sanè, quòd Metropolitanus ad alterius Metropolitani vocationem deberet venire, atque in eodem Concilio duo Metropolitani futuri essent, vix videtur convenire.* Capitis secundi inscriptio est: *Item ex Concilio Martini Papæ* [*id est, Episcopi Bracharensis, c. 13.*] *Si quis Episcopus in aliquibus causationibus judicatur &c.*

(9) Distin. 92. cap. 4. inscriptio est in eadem editione: *De his in Concilio Martini Papæ sic statutum est: Si quis ordinatus Episcopus, pro contentione populi &c.* In margine hæc sunt: *Capit. Martini Bracharensis cap. 10. Vide Pelag. II. in epist. ad Benignum. Poly. l. 2. tit. 3. Burc. l. 1. c. 40. Ivo p. 5. c. 151.* Et in Notis: *Episcopus*] *In vulgatis sequebatur*, ad parochiam cujus est electus. *quæ inducta sunt auctoritate manuscriptorum & originalis ac ceterorum collectorum. Contentione*] *In duobus vetustis exemplaribus Gratiani & uno Conciliorum Regis Catholici legitur*, contemptione.] Ad illa verba, *in quam venit*, est in margine: *Al. convenit.* Capitis 5. hæc inscriptio est:

Item ex Concilio Antiocheno cap. 18. Si quis Episcopus ordinatus, ad parochiam cujus est electus &c. In margine sunt hæc: *In epistol. Pelag. 2. Poly. ibid. Burch. lib. 1. cap. 141. Ivo p. 5. c. 152.* Ad vocem *cujus* additur in margine: *Al. cui.* Ad vocem *vetet: Al. vitet.* Et in Notis: *Vetet*] δηλῶ τὸ μὴ θέλειν τὸν λαὸν ποιεῖν, id quòd populus recusset. *Observare*] ἐκδέχεσθαι, *id est, expectare, & suscipere. Perfecta*] *Antea legebatur* perfectæ. *Restituta est vera lectio ex orig. & Burchardo & Ivone. Quid autem sit synodus quæ hic perfecta, & in paulò pòst sequentibus capitibus integra dicitur, exponitur infrà ead. c.* Si quis Episcopus, *tertio.* Est id caput 8. cujus inscriptio est: *Item ex eodem* (Antiocheno) *c. 16.* Et in margine est: *Apud Martinum Bracar. c. 9. Burch. l. 1. c. 39. Ivo p. 5. c. 150.* Et in Notis: *Hæc versio, quam & Gratianus & Burchardus & Ivo sequuntur, eadem ferè est atque illa Martini Bracarensis. Dionysiana verò longè magis accedit ad verba Græca.*

(10) Inscriptio capitis secundi distin. 65. in eodem libro hæc est: *Item ex Concilio Martini Papæ. Non debet ordinari Episcopus absque consilio & præsentia Metropolitani Episcopi &c.* In margine: *Al. conscientia. In capitul. Martini Brac. cap. 3. ex Concil. Antioch. cap. 19.* Capitis 3. inscriptio est: *Item ex Concilio Antiocheno cap. 19. Episcopus non est ordinandus sine consilio & præsentia Metropolitani Episcopi &c.* Et in margine: *cap. 18.* Et in Notis: *Verbis Græcis multò melius respondet altera versio, quæ Dionysij est; ideóque illa consulenda.*

(11) Cap. 4. distin. 18. in eadem editione inscriptio est: *Item ex Antiocheno Concilio c. 20. Propter ecclesiasticas causas &c.* Et in margine: *Burch. l. 1. c. 44. Ivo p. 5. c. 154. Pann. l. 4. c. 15. Polyc. l. 3. ti. 19.* In Notis hæc sunt: *Id est, media Pentecoste*] *Antea legebatur*, & in medio temporis inter Pascha & Pentecosten. *nec multò aliter apud Ivonem*, id est, medio temporis &c. *Sed reposita est hæc lectio ex plerisque Gratiani exemplaribus & collectione Isidori, in quæ est hæc eadem versio. Nam ceteri collectores sensui potiùs videntur versionem Dionysij, quæ est in*

codice canonum: quamvis & Burchardus & Panormia hoc loco habeant, id est, medio Pentecostes, vel, in medio Pentecoste. *ubi in versione Dionysij est*, itaut quarta septimana Pentecostes, *verbum plane è verbo. Græcè enim est:* ὥστε τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς πεντηκοστῆς. *Compleatur*] *vocem* συμπεπλεῖσθαι *Dionysius vertit* conveniat. *Decimus*] *Prorsùs ex Græco. Dionysium autem, quem Burchardus & Ivo sequuntur*, habet, Idibus Octobris, id est, quintodecimo die mensis Octobris, quem Hyperberetæum Græci cognominant. *In canone autem Apostolorum 37. legitur secundam anni synodum celebrandam esse* ἐν τῇ ἑξεκαιδεκάτῃ δωδεκάτῃ, *id est, duodecimo die Hyperberetæi. Non convenire autem omnino Latinorum menses cum Græcorum satis constat. Suidas quidem scribit, apud Macedonas Hyperberetæum eundem esse qui October, Galenus autem Pergami eundem qui September.* Capitis 15. ejusdem distinctionis hæc inscriptio est: *Item ex Concilio Martini Papæ. Propter ecclesiasticas causas &c.* Et in margine est: *Apud Martinum Bracarensem Episcopum in cap. synod. Græc. cap.* 18. *Poly. l. 2. tit.* 17. Et ad verbum *veniant* additur: *procedant, orig.* Et in Notis: *Gratianus hoc primùm citat nomine Martini Papæ, deinceps eodem nomine multa citaturus. quæ omnia sumpta sunt ex libro capitularum Græcarum synodorum Martini Episcopi Bracarensis. (antiquitus enim Episcopi Papæ dicebantur.) Hic enim, cùm esset Græcus, ad utilitatem Ecclesiarum Hispaniæ, ubi episcopatum obtinebat, ea capitula Latina fecit; & in nonnullis quædam addidit, in aliis verò reliqua detraxit; quemadmodum in hoc capite, quod sumpsit ex Concilio Antiocheno c. 20. sup. ead. c.* Propter. *Aliqua etiam ex Toletanis Conciliis in eum libellum retulit. Vel hi*] *In aliquot Conciliorum editionibus legitur*, ut eorum qui se læsos existimant, in Concilio causæ &c.

(12) Gratiani verba sunt in Romano libro ante caput 3. *Episcopo non licere.* 8. q. 1. *Sed in Antiocheno Concilio hoc omnino fieri prohibetur: in quo c 23. sic statutum legitur.* Et in margine hæc sunt: *Poly. l. 2. tit.* 17. *Ans. l. 6. c. 57. Burc. l. 1. c. 185. Ivo p. 5.*

*c.*301. Et in Notis: *Iudicio Episcoporum*] *In codicibus Gratiani, etiam manuscriptis, sequebatur,* & electione Clericorum. *quæ sunt expuncta, quia neque in originali neque apud ceteros collectores leguntur.* Capitis 4. inscriptio est: *Item ex Concilio Martini Papæ c.* 8. *Episcopo non liceat &c.* Et in margine est: *Id est, in capitulis Martini Bracharen. c.* 8. *Burc. l.* 1. *c.*187. *Ivo p.* 5. *c.* 303. *utrique ex Concilio Spalensi.*

(13) Inscriptio capitis 23. *Episcopus ecclesiasticar.* 12. q. 1. in eodem libro hæc est: *Item ex Concilio Antiocheno c.* 25. Et in margine est: *Et in Parisiensi Conci. l.* 1. *c.* 15. *Ans. l.* 6. *c.* 163. In Notis est: *Occultè res*] *In versione Dionysij legitur*, ut per hujusmodi personas occultè ceteri lædantur fratres Ecclesiæ: (*& in margine: Al.* ceteræ lædantur Ecclesiæ) *& concordat cum alia antiqua versione, quæ & ipsa est in tomis Conciliorum*, ut per eorum secretam diligentiam ecclesiastici lædi videantur. *Græcè in codicibus qui lecti sunt habetur:* ἵς ὃ ἡμᾶς τισὶ τοι λελανθότως βλάπτεσθαι τὺς λόγους τ ἐκκλησίας. *id est, ut ex his rationes Ecclesiæ latenter lædantur.* Capitis 7. *Episcopus habeat.* 10. q. 2. (quod nobis est 8.) inscriptio est: *Item ex Concilio Martini Papæ c.* 16. In margine hæc sunt: *In capitul. Martini Bracharensis ex Conc. Antioch. c.* 25. Et: 12. *q.* 1. *Episcopus ecclesiasticarum.* Et ad verbum *contaminaverit* est additum: ita minaverit] *codex regius.* Et in Notis: *Sin autem*] *In capitulis habetur*, similiter. *Sed melior videtur lectio duorum vetustorum Gratiani codicum*, sin aliter. *Propiùs enim accedit ad Græcam Concilij Antiocheni c.*25. *unde hoc sumptum est:* εἰ δ' ἢ ἄλλως, *id est*, si autem & aliter, *ut inf.* 12. *q.* 1. *c. Episcopus. Actu*] *Hæc vox in simili re habetur inf.* 12. *q.* 2. *Vulteranæ:* Vulteranæ Ecclesiæ actus vel patrimonium. Græcè est, ἢ ἐξ ἑτέρας ἀφορμῆς ἐκκλησιαστικῆς. *id est*, vel etiam ex qualibet alia causa & occasione ecclesiastica.] Varietas numeri capitum hujus quæstionis oritur ex cap. *Hoc jus porrectum.* quod nobis est tertium, in libro Romano pars capitis secundi.

(14) Capitis sexti distin. 63. in eodem libro inscriptio est: *Item ex Concilio Laodiensi c.* 13. *Non est*

permittendum turbis &c. Et in margine : *Burc. l. 1. c. 8. Ivo p. 6. c. 28. Ansel. l. 6. c. 38. al. 43. Deus de. p. 1. & 4.* Capitis octavi hæc inscriptio est : *Item ex Concilio Martini Papæ c. 1. Non licet populo &c.* Et in margine : *Apud Martinum Bracharensem c. 1. Sup. dist. 24. c.* Episcopi. *& dist. 51.* Episcopum. *Burch. l. 1. c. 10. Ivo p. 5. c. 64. Ans. l. 6. c. 8. al. 12.*

(15) Causa 1. quæst. 1. caput 66. in eodem libro ita inscribitur : *Item ex Concilio Laodicensi c. 32. Non oportet hæreticorum benedictiones &c.* In margine hæc sunt : *Deus-dedit p. 2. & 4. Burc. l. 3. c. 259. Ivo p. 3. c. 260.* Inscriptio capitis 67. est hæc : *Item ex Concilio Martini Papæ c. 70. Non liceat Clericis &c.* Et in margine : *In capitulis Martini Bracarensis.*

(16) De consecrat. distin. 4. cap. 58. in eodem libro inscriptio est : *Item ex Concilio Laodicensi c. 46. Baptizandos oportet fidei symbolum &c.* Et in margine : *Burch. l. 4. c. 9. Ivo p. 1. c. 205.* In Notis hæc sunt : *Fidei symb.*] *Est prisca versio, & sententiam sat bene reddit. Hoc autem loco Græcè ἐξ πλὴ πίστιν.* Capitis 59. inscriptio est : *Item ex Concilio Martini Bracharensis c. 49. Non liceat ante duas &c.* Et in margine : *In capit. synod. Gracarum.*

(17) Distin. 3. de consecrat. cap. 7. inscriptio in eodem libro est : *Item ex Concilio Martini Papæ Bracharensis c. 50. Non liceat quinta feria &c.* Et in margine : *In capitul. Græ. synod.* Inscriptio capitis octavi est : *Item ex Concilio Laodicensi c. 50. Non oportet in Quadragesima &c.* Et in margine : *Et in 6. syn. c. 29. Burch. l. 13. c. 8. Ivo par. 4. c. 41.*

(18) In eodem libro Gregoriano inscriptio cap. 10. dist. 44. est hæc : *Item ex Concilio Laodicensi c. 55. Non oportet ministros altaris &c. ex symbolis, (quæ vulgus commessalia appellat) convivia celebrare.* Et in margine : *Conc. Aquisgr. c. 83. Rab. in pœn. c. 27.* Et ad illa verba *quæ vulgus &c.* additur : *Ista sunt addita loco cujusdam glossæ.* Inscriptio capitis 12. est : *Item ex Concilio Martini Papæ c. 61. & 66. Non liceat sacerdotes &c.* In margine est : *Apud Martin. Brachar. Burch. l. 2. c. 165. Ivo p. 6. c. 256.*

(19) Capitis octavi distin. 95. in eodem libro ins-

criptio est: *Item ex Concilio Laodicenſi cap. 56. Non oportet Preſbyteros ante ingreſſum Epiſcopi ingredi & ſedere in tribunalibus &c.* In Notis: *in peregrinationis commodo eum abeſſe conſtiterit*] *Sic priſca verſio. Sed Dionyſius longè propiùs ad verba Græca:* niſi forſitan infirmitate detineatur aut proficiſcatur Epiſcopus. πλὴ εἰ μὴ ἀνωμαλίᾳ, ἢ ἀποδημεῖ ὁ ἐπίσκοπος. Inſcriptio cap. 124. *Omni tempore.* de conſecr. diſt. 4. hæc eſt: *Item ex Concilio Martini Bracharenſis c. 51. & ſequentibus.* Et in margine: *Vide Melden. cap. 46.* Et verſ. *Presbyter: Suprà diſt 95. Presbyter.* Et verſ. *Non liceat: Diſt. 95. Non oportet.* Item in margine: *Cap. 52.* & *Cap. 53.* Quæ referuntur ad Martini capita.

DE ALIIS MARTINI BRACARENSIS capitibus, & de Gratiani erratis.

Dialogus duodecimus.

C. SUNT ne alia quæ Gratianus ex Martini collectione referat quaſi ex Concilio Martini Papæ? A. Sunt quidem non pauca, quæ tu facilè in Antonianis libris invenies notata. Ego de illis ſum locutus quæ bis poſita ſunt, tam ut ex Græco canone, quàm ut Martini Papæ verba. C. At in quibuſdam nihil notatum eſt, ut in hoc capite octavo cauſæ XXVII. *a Item ex Concilio Martini Papæ. Viduas autem velare &c.* A. Sumptum id caput non eſt ex Martini collectione, ſed ex Concilio Triburienſi capite XXV. Idem error eſt in panormia Ivonis *b. Ex Concilio Maguntino* Burchardus *c* & Ivo in excerptionibus *d.* Ex Aurelianenſi Bernardus

a 27. q. 1. c. 8. *viduas.*

b *Ivo lib. 3. tit. 17. c. 10. panor.*

c *Burch. lib. 8. c. 36.*

d *Ivo par. 7. c. 55. dec.*

Papienſis *e* & veteres Gregoriani libri
Alij ex Arelatenſi. Anſelmus *g* ex Gelaſio.

C. Quid illud de conſecr. diſtin. quam
cap. XXII. *h Ex decreto Martini Papæ III*
Quicunque Preſbyter &c. unde ſumptum eſt
dicemus? A. *Ex decretis Martini Papæ capi-*
te III. habent Burchardus *i* & Ivo *k* & An-
ſelmus *l* & liber Tarraconenſis *m* & alter ve-
tus Veronenſis. Sed mihi incertum adhuc e
cujus verba ſint. (2) B. Quod Martinu
Bracarenſis in præfatione collectionis ait,
canones orientis reſtauraſſe ſimpliciùs
emendatiùs, quàm verum ſit, ex eorum co-
latione ſatis conſtat. Sed & nuſquam in Gra-
cis Conciliis inveni multorum canonum ſen-
tentiam, ut ſunt cap. XXIX. XXX. & XXXI. qu
magis videntur ex Concilio Toletano primo
accepta cap. XIIX. XIX. & XVI. quàm ex Gra-
cis Conciliis. Gratianus quædam ex his ut
Concilio Martini Papæ refert, *n* quædam
ex Concilio Toletano *o*, item Anſelmus
ſine inſcriptione Capitularia *q*. A. Ita eſt u
dicis. Sumpſit enim Martinus Epiſcopus ple-
raque ex eodem illo Concilio Toletano, a
poſteri Martini collectioni ea inſeruerun
(3) Sic Martini caput LXIV. ex Toletan
cap. V. & Martini XXIII. ex capite ſecund
Toletano. Martini XLIII. & XLIV. ex capit
tertio & quarto Toletano. Caput LI. & LI
ex Toletano XX. Ea quoque apud Gratianum
invenies, partim ut ex Martino Papa, *r* par-
tim ut ex Toletano Concilio *ſ* referri. Sun
alia quæ unde ſumpta ſint ignoro. Ex quibu

e *c.6. de regular. in 1. collect.*
f *c.4.* Vidua. *de regula.*
g *Anſel. lib. 7. c. 200.*
h *De conſecr. d. 4. c. 22.* Quicumque.
i *Burc lib. 4. c. 47.*
k *Ivo par. 1. c. 241. decret.*
l *Anſel. lib. 9. c. 54.*
m *Tarrac. l. 1 c. 2.*

n *Diſt. 28. c. 12.* Si qua. *& 27. q. 1. c. 26.* De filia.
o *27. q. 1. c. 27.* Devotam
p *Anſ. lib. 10 c. 59. & lib. 11 c. 91.*
q *Capit. li. 7. c. 294.*
r *Diſt. 34. c. 18* Lector. *& c. 17.* Si ſubdiaconus. *& diſt 92 c. ult. & diſtin. 54. c 7.* Si quis obligatus. *& de conſecra. diſt. 4. cap. 124.* Omni tempore.
ſ *Diſt. 50. ca. 68.* Placuit.

si quid est apud Gratianum, in Romana editione discere licebit. (4) Nunc, si vobis videatur, de aliis erratis Gratiani videamus. B. Visne tibi redigam in memoriam exempla quædam ex quibus apparet Gratianum ex singulari capite duo ejusdem initij confeciſſe, aut eandem sententiam ex duabus interpretationibus eodem in capite retuliſſe, aut verbis alterius scriptoris partem alterius addidiſſe? A. Non id quidem mihi ingratum erit, nec C. nostro displicebit, quantum ex ejus nutu intelligo. B. Aperi librum hunc C. & caput illud ostende Gelasij *t* cujus initium est *Cuncta per mundum*, quod tanquam carmen necessarium discere soletis. C. Ecce tibi locus patet. Quid dicis? An bis posita eadem verba capite XVII. & XIIX.? B. Id ipsum affirmo. C. Ex inscriptione utriusque capitis videntur ex duabus Gelasij epistulis esse sumpta hæc capita, quarum altera fuerit omnibus Episcopis missa, altera Episcopis Dardaniæ. B. Hodie hæc sola exstat, ut etiam Democharis notat. Sed fingamus in utraque eadem verba exstitiſſe; quid opus erat bis eadem conscribi? Præstitiſſet ita inscribere: *Gelasius in epistula omnibus Episcopis missa & in epistula ad Episcopos Dardaniæ.* A. Videnum id ex Ivonis panormia vel ex Anselmi collectione aut alia acceperit. C. Apud Ivonem est *u: Ex decretis Gelasij capite* IV. Apud Anselmum modò *Gelasius Papa* tantum est *x*, modò *Gelasius Papa omnibus Episcopis y*, modò *Dilectiſſimis fratribus univer-*

t 9 q. 3. c. 17, & 18. Cuncta

u *Ivo li. 4. tit. 1. c. 8. panor.*
x *Ans. lib. 1. c. 47. & 48.*
y *Ans. lib. 2. c. 16.*

sis Episcopis per Dardaniam constitutis Gela-
sius z, modò *Gelasius Episcopis Dardaniæ*
In libro Tarraconensi b est: *Gelasius Episco-*
pus omnibus Episcopis. A. Manifestè appar-
varietatem hanc secutum fuisse Gratianum
B. Mihi videtur, post illa, *omnibus Episco-*
pis, desiderari hanc vocem, *Dardaniæ*.
Placet quod dicis. (5) Sed cetera persequa-
B Si quæratur caput cujus initium est *Quo-*
dam monachorum, caussa, ut opinor, XIII.
id inveniemus sumptum esse ex quarto &
octavo canone Concilij Chalcedonensis, &
postremam ejusdem capitis partem esse ejus-
dem octavi canonis verba ex alia interpreta-
tione. C. Democharem invenio addidisse
numerum quarti canonis initio ejusdem ca-
nonis, & ad illa verba, *Item Clerici in pare-*
ciis, numerum cap. VIII. A. Vide num Gra-
tianus alibi ex alio interprete eandem referat
sententiam, & ante eum Anselmus & Ivo
atque alij collectores. C. Plura verba ejus-
dem canonis quarti referunt Ivo in Panor-
mia & in excerptionibus *d* & Anselmus *e* &
Gratianus *f*, item Concilium Triburiense *g*
& Capitularia *h*. Pauca verba capit. IIX. re-
fert Anselmus *i*; sed ex duobus interpretibus
sumpta inveni apud Ivonem parte VI. c.
CCCLIIX. & CCCLIX. quæ non rectè Gratianus
conjunxit. A. Pro voce *parœciis* scribi de-
bet *prochiis*, ex Græco fonte. οἱ κληρικοὶ τῶν πτω-
χείων. Sic postea est etiam apud Gratianum
Clerici qui pauperum dispositioni. In libro ve-
teri Romano est: *dispensationem pauperum*

z *Idem d. lib. 2. c. 24.*
a *Idem lib. 12 c. 69.*
b *Tarr. lib. 1. c. 283.*
c 18. q. 2. c. 10 Quidam.
d *Ivo li. 3. tit. 16. c. 1. pan. & par. 7. c. 1. decr.*
e *Ansel lib. 5. c. 54.*
f 16. q. 1. c. 12. Qui verè.
g *Tribur. c. 26.*
h *Capitu. l. 5. c. 16.*
i *Ans. lib. 5. c. 84. in addit.*

(6) B. Magni facinoris exemplum adferam si evolvas C. librum & ostendas caput cujus initium est *Menam* k, sumptum ex epistula quadam beati Gregorij *l*. C. Inveni caput quod flagitas. B. Confer, si libet, id caput cum registro beati Gregorij, & quære illa verba: *Purgationem tamen ante te &c.* Ea apud Gregorium nulla sunt; sed sumuntur ex Alexandri minoris epistula ad Rimaldum vel potiùs Rainaldum Cumanum Episcopum, cujus epistulæ pars posita est à Gratiano post alia tria capita. Initium capitis est: *Super causa Gillandi m.* Vide quid Burchardus & Ivo scribant. C. Apud Burchardum *n* Gregorij verba referri invenio, quæ sunt ante vocem *purgationem*, item apud Ivonem parte quinta excerptionum *o*. At parte decima *p* hæc sunt: *Alexander secundus Rainaldo Cumano Episcopo. Super causa Guillandi &c.* & post vocem *beneficia*, habet, *purgationem tamen antea &c.* In panormia *q* post verba Gregorij additur eadem inscriptio, excepta voce *Rainaldi*, pro qua est *Ramaldi*. Cetera omnia ut in excerptionibus. B. Eadem verba inventa sunt in veteri libro Ivonis epist. LXIIX. vel LXXVII. ad Gildebertum vel Hildebertum Cenomanensem Episcopum. A. Non dubium est quin erratum sit vel à Gratiano vel à librariis, quantum ex collatione cum registro Gregorij & cum Burchardo & Ivone constat. Et quod nostri interpretes dicere solent, ex verbis Gregorij probari coram Rege vel Regina vel alio sæculari judice pos-

k 2. *q*. 5. *vel* 4. *c*. 7. Menam.

l *Greg. lib*. 11. *epist*. 6. *c*. 8. *regist*.

m *c*. 11. *e*. *q*. Super causa.

n *Burc*. *lib*. 1. *c*. 196.

o *Ivo par*. 5. *c*. 311. *decr*.

p *Ivo par*. 10. *c*. 15. *decret*.

q *Ivo lib*. 5. *tit*. 1. *c*. 6. & 7. *panor*.

se purgationem canonicam indici, falsu
est. (7) B. Quid de illis dices quæ in Conc
liis falsò inscripta à te inventa esse audiv
quorum bona pars ad inscriptiones Gratia
falsas à veris discernendas pertinet? A. L
longum tu quidem sermonem me vocas, c
totus dicandus sit dies. Differamus ergo ha
in crastinum vel in perendinum diem, d
primæ partis Conciliorum fragmenta cu
Gratiano & aliis conferemus. C. Id ipsu
avidè exspecto.

ADDITIONES.

(1) IN editione Romana capitis octavi *Vidua* 27. q. 1. inscriptio hæc est: *Item ex Concil Martini Papæ.* In Notis additur: *Abest caput hoc nonnullis Gratiani exemplaribus. Burchardus & Iv citant ex Concilio Moguntino c. 6. Habetur in Concil Triburiensi c. 25. In hoc autem capite & duobus se quentibus citantur decreta Gelasij ut sunt in codice ca nonum.* In margine: *Ans. l. 7. c. 200. Bur. l. 8. c 30. Ivo p. 7. c. 55. Pann. l. 3. c. 197.* Item in Notis *Gelasij Papæ capitulo* XIII.] *Sic est in codice canonum In epistola verò ejusdem prima Episcopis per Lucaniam est c. 15. sicut paulò pòst quod est in capitulo 21. in e dem codice, in epistola est c. 23. Nos autem*] *In Concilio Triburiensi legitur:* Qua auctoritate paternæ sul fulti sententiæ in hoc sacro conventu sancimus, &c *Hæc verò eadem de vidua quæ sibi sponte velamen non consecratum imposuit, habentur in Decretalibus c. Vi dua. tit. de regularibus. Quod in codicibus impri citatur ex Concilio Arelatensi. In prima autem collectione & vetustis codicibus Gregorianæ, ex Aurelianensi.* Capitis 4. *Vidua.* de regular. inscriptio est: *Ex Concilio Arelatensi.* Et in margine hæc sunt: *Alibi Aurelian. sed habetur in Concilio Triburiensi c.*

Refert Burchardus lib. 8. cap. 36. Ivo par. 7. c. 55. & c. 6. eo tit. in 1. compilat. Quibus locis aliis Conciliis tribuitur; sed fortassis non rectè.

(2) Capitis 22. de consecrat. dist. 4. in eodem libro inscriptio est: *Item ex decreto Martini Papæ III. Quicumque Presbyter &c.* Et in margine hæc sunt: *Al. Martiniani.* Et: *Poly. l. 3. tit. 10. Ans. l. 9. c. 54. Burc. l. 4. c. 47. Ivo p. 1. c. 241.*

(3) Distin. 28. cap. 12. *Si qua vidua Episcopi.* inscriptio in eodem libro est: *Item ex Concilio Martini Papæ.* Et in margine: *Apud Martinum Bracar. c. 29. & Conc. Tol. 1. c. 18.* Inscriptio capitis 26. *De filia Episcopi.* 27. q. 1. hæc est: *Item ex Concilio Martini Bracharensis c. 30.* Et in margine: *Ex Conc. Toletano 1. c. 19.* Capitis 27. *Devotam peccantem.* inscriptio est: *Item ex Concilio Toletano 1. c. 16.* Et in margine: *Et in capitulis Martini c. 31. Capitul. l. 7. c. 294.*

(4) Verba Gratiani sunt ante caput 17. *Si Subdiaconus.* dist. 34. in eadem editione: *Sed postea temporum defectui condescendens Papa Martinus in minoribus ordinibus eos constitui permisit, non regulam præfigendo, dicens.* Et in margine hæc sunt: *Apud Martinum Bracar. c. 44. Ex Concil. Toletano 1. c. 4.* Et ad verba, *non regulam præfigendo*, additur: *Hæc verba absunt ab aliquot exemplaribus.* Inscriptio capitis 18. est hæc: *Vnde Martinus Papa ait. Lector si viduam &c.* Et in margine: *Ibid. c. 43. Ex Concil. Tolet. 1. c. 3.* Capitis ultimi dist. 92. inscriptio est: *Vnde in Concilio Martini Papæ legitur. Si quis Presbyter &c.* Et in margine: *In capitul. Martini Bracar. c. 64. ex Tolet. 1. c. 5.* Inscriptio capitis 7. *Si quis obligatus.* dist. 54. hæc est: *Item ex Concilio Martini Papæ* [*id est, ex cap. Martini Episcopi Bracarensis c. 46.*] Et in margine: *Ex Concil. Tolet. 1. c. 10.* Inscriptio capitis 124. de consecr. dist. 4. relata est additione 19. dialogi 11. Ante caput 68. Romanis, (quod nobis est 67.) dist. 50. hæc Gratiani verba sunt: *Probantur etiam auctoritate Toletani Concilij primi, hujuscemodi pœnitentes ad clerum non admittendi: in quo capite 2. sic statutum est. Placuit ut pœnitentes &c.* Et in margine: *In capit. Martini Brac.*

c. 23. *Poly. l.* 2. *tit.* 31. *Burch. l.* 2. *c.* 37. *Anſel. l.* 7 *c.* 31. *Ivo p.* 6. *c.* 138. *Pann. l.* 3. *c.* 61. Ad vocem *epiſtolam* additur : *Al. Apoſtolum, orig.* Ad vocem *Eum* additur : *Expœnitentem*] *in capitul. Martini Bru.* Ad vocem *cilicio* additur : *Al. Concilio.*

(5) Inſcriptio capitis 17. cauſæ 9. q. 3. in eodem libro hæc eſt : *Idem* (Gelaſius) *omnibus Epiſcopis. Cuncta per mundum novit Eccleſia &c.* Et in margine hæc ſunt : *In epiſt. ad Epiſcopos per Dardaniam conſtitutos. Poly. l.* 1. *tit.* 8. *Anſ. l.* 1. *c.* 47. *&* l. 2. *c.* 16. *&* 24. *Pann. l.* 4. *c.* 9. Et in Notis : *Omnia quæ in hoc capite leguntur habentur in epiſtola Gelaſij ad Epiſcopos per Dardaniam, ſed non eodem ordine compoſita. Caput autem ſequens, in quo multa hujus ipſius capitis verba continentur, in eadem epiſtola eodem prorsùs modo habetur. Itaque fieri poteſt ut ex alia epiſtola caput hoc ſumptum ſit quæ non extet, aut Gratianus hæc duo tanquam diverſa capitula referat, quæ apud antiquiores etiam collectores diſtincta reperiri. In epiſtola etiam Nicolai ad Epiſcopos Galliæ, quæ nuper eſt impreſſa in appendice bibliothecæ, hoc citatur ex Gelaſio.* Capitis 18. inſcriptio eſt : *Idem Epiſcopis per Dardaniam conſtitutis.*

(6) Capitis 10. *Quidam monachorum.* 18. q. 2. in eodem libro inſcriptio eſt : *Vnde in Chalcedonenſi Concilio c.* 4. *legitur.* Et in margine eſt : *Ivo p.* 7. *c.* 1. *Pann. l.* 3. *c.* 174. Et in Notis : *Quoniam verſus hujus capitis uſque ad verſi.* Clerici *primo eſt alia ex iis quæ circumferuntur in Conciliorum codicibus, licet apud Ivonem & in Pannormia idem ferè ſit ſenſus, placuit afferri verba Græca & novam interpretationem.* Οἱ ἀληθῶς &c. Qui verè & ſincerè &c. Et verſ. Clerici in ptochiis &c. *additur in contextu : Item c.* 8. Et in margine : *Ivo par.* 6. *c.* 358. *Poly. l.* 4. *tit.* 34. Et in Notis : *Ptochiis*] *Sic in nonnullis vetuſtis codicibus Gratiani & Vaticano Conciliorum & in verſione priſca, ex qua videtur eſſe hic verſiculus, & eſt vox canonis Græci. In vulgatis autem Gratiani & aliquot libris Conciliorum eſt* parochiis. *Pro perſonarum ordinatione*] *Sic in eadem priſca. Sed in canone Græco & in verſione Dionyſij Exigui nihil eſt quod his verbis reſpondeat.*

pondeat. Et vers. *Item Clerici qui pauperum.* additur in margine: *Eodem c. 8. ex alia versione. Ivo ibid. c.* 359. Et in Notis: *Item Clerici*] *Est idem quod in proximo superiore paragrapho, sed ex alia versione, quæ non extat in Conciliorum voluminibus, atque hanc eandem repetitionem licet animadvertere apud Ivonem par. 6. c.* 358. *&* 359. Inscriptio cap. 12. *Qui verè.* 16. q. 1. est: *Item ex Concilio Chalcedon. c.* 4. Et in margine: *Concor. capitu. l. 5. c.* 25. *Poly. l.* 3. *tit.* 1. *& l.* 4. *tit.* 34. *Ans. lib. 5. c.* 54. *Ivo p.* 7. *c.* 1. *Pann. l.* 3. *c.* 174. Et in Notis: *Honore*] *Sequitur continenter cap.* Quidam monachorum. *infrà* 18. *q.* 2. *quod est ex eadem prisca versione atque caput hoc.*

(7) In eodem libro inscriptio capitis septimi *Mennam.* 2. q. 5. hæc est: *Item ex eodem* (regesto) *ad Brunichildam Reginam Francorum lib.* 11. *epist.* 8. Et in margine: *Poly. ibid.* (hoc est, l. 6. tit. 11.) *Burc. l.* 1. *c.* 196. *Ivo p.* 5. *c* 311. *Pann. l.* 5 *c.* 6. Et in vers. *Purgationem* est in margine: *Alex. II. Rainaldo Episcopo. Ivo p.* 10. *c.* 15. *Pann. l.* 5. *c.* 8. Et in Notis: *Purgationem*] *Hic erat gravissimus error. Conjunctè enim hæc legebantur cum superioribus quæ Brunichildæ sunt scripta, quasi purgatio Presbyteri à beato Gregorio mulieri committeretur. Sed nil tale legitur in epistola beati Gregorij, ex qua prior pars hujus capitis est accepta. Verùm Ivo par.* 10. *cap.* 15. *& Pann. lib.* 5. *cap.* 8. *citant hoc ex epistola Alexandri secundi Raynaldo Cumano Episcopo, cujus epistolæ initium est infrà eadem cap.* Super causa *Et hic versiculus* Purgationem *continenter legendus est post extrema verba illius capitis. Ac propter citationes doctorum hinc quidem motus non est; sed additum est in margine nomen Alexandri secundi. Ita nihil loci relinquitur admirationi auctoris glossæ. Nusquam enim Romani Pontifices hujusmodi causas mulieribus leguntur commisisse.* Capitis undecimi inscriptio est: *Item Alexander Raynaldo Cumano Episcopo. Super causa Guillandi Presbyteri &c.* Et in margine: *Pann. li. 5. cap.* 7. *Ivo par.* 10. *cap.* 15. *& in epist. ad Vildebertum Cœnomanensem.* Et in Notis: *Beneficia*] *In epistola hoc loco sequitur vers.* purgationem *sup. ead. c.* Mennam. *ut ibi notatum est.*

DE FALSIS INSCRIPTIONIBUS apud Gratianum, & de fragmentis quibusdam Conciliorum & epistularum pontificiarum.

Dialogus decimustertius.

C. ET libros Conciliorum attulimus Gratiani & Burchardi & aliorum, jusseras. Tempus est ut de falsis inscriptionibus & de fragmentis quod promiseras explanes. Sed principio scire velim quænam sint hæc fragmenta, & qua auctoritate collecta. A. Fragmenta de quibus acturi sumus ea sunt quæ in tribus Colonienſibus editionibus Conciliorum post singula Concilia & post singulorum Pontificum epistulas conscripta sunt. Ea nulla publica collecta sunt auctoritate; sed ex Ivonis Panormia & Gratiano & aliis incerti nominis libris privato consilio collector posuit, ut lectores juvaret, ne quid desideraretur quod alicubi illius Concilij vel Pontificis nomine scriptum esse appareret. B. Incerti nominis libros appellas, opinor volumina illa Decretorum quinque, trium & sexdecim librorum, quos Colonienses referunt. A. Ita est ut existimas. B. Cùm incerti sint, carent auctoritate. A. Quid si fragmenta essent Burchardi aut Ivonis, quanam auctoritate fungerentur? B. Qua Gratianus & ceteri qui tot acervos decretorum &

nonum collegerunt, nihil pænè ex ipsis fontibus haurientes. A. Multa ex his inveni apud Burchardum, ut mox dicemus. Nunc ordinem temporum & horum librorum sequentes, de singulis videamus. Post Clementis Papæ epistulas fragmentum editum est à Gratiano sumptum *a*, cujus initium est: *Sacerdotum aliorúmque Clericorum.* Non Clementis est, sed Eugenij minoris in synodo Romana cap. XXXIII. (1) Post Anacleti epistulas id fragmentum cujus initium est *Iuxta sanctorum patrum*, non Anacleti est, sed Zachariæ in synodo Romana cap. IV. Gratianus *b* Anacleto & Zachariæ tribuit. (2) Post Pij epistulas plura fragmenta sunt, quorum aliqua suis dominis restituemus. Juliani Antecessoris est Novellæ LXXVII. fragmentum, cujus initium est *Si quis per capillum*; licèt Burchardus *c*, Ivo *d*, Anselmus *e*, & Gratianus *f*, & liber Tarraconensis *g* Pio adscribant. Ivo tamen utrique tribuit *h*. (3) Ex Concilio Toletano XI. cap. XIII. est fragmentum cujus initium est *Communiter definimus*; licèt Burchardus *i* & Ivo *k* & Gratianus *l* Pij esse scribant. (4) Aliud, cujus initium *Vt de oblationibus* ex codice quinque librorum sumptum, Concilij Nannetensis est capite IX. licèt Pio adscripserint Burchardus *m*, Ivo *n*, & Anselmus *o*. & Hispalensi Concilio liber Cæsaraugustanus lib. XI. cap. XXV. Quòd verò extremo loco refertur *Petistis per Hilarium &c.* Gregorij est libro I. epist. LXXV. & hujus pars est aliud fragmentum cujus initium *Consue-*

a *De consecrat. d. 2. c. 30* Sacerdotum.

b *Dist. 93. c. 4.* Iuxta.

c *Burch. li. 12 c. 15.*
d *Ivo par. 12. c. 72. decret.*
e *Anf. lib. 11. c. 66.*
f *22. q. 1. c. 10* Si quis.
g *Tarr. lib. 1. c. 241.*
h *Ivo d. c. 72. & c. 32. e. partis.*
i *Burc. lib. 3. c. 72.*
k *Ivo par. 2. c. 125.*
l *Dist. 33. c. 3.* Communiter
m *Burc. lib. 5. c. 27. & 28.*
n *Ivo par. 2. c. 37. dec.*
o *Anf. libr. 7. c. ult.*

tudinem laudamus. Utrumque Pio adscri-
bunt Burchardus *p* & Ivo *q*. Sed Gratianus
altero prætermisso, alterum Augustino ad-
scribit ad Casulanum Presbyterum. Non fe-
git hoc Democharem. (5) C. Habeo ista
quæ me efficient cautiorem ut non facilè fi-
dem habeam Gratiano aut ceteris dicentibus
hæc Pij esse, illa Anacleti, alia Clementis
aut aliorum. Sed nunquam putassem eodem
morbo affectos Burchardum, Ivonem, &
ceteros antiquiores. Illud etiam fieri posse
credebam, ut id quidem quod Pio aut ceteris adscribunt, in aliqua epistula sit quæ hodie non exstet. Et quamvis eadem verba aut
eandem sententiam apud alios inveniamus,
fieri potest ut posterior à priori hoc sumpse-
rit. B. Non tibi tot exemplis satis probatum
est nihil hos collectores certi adferre? A.
Plura vobis exempla referam. Soteris Papæ
fragmentum, cujus initium est *Vt illud dili-
ni*, ex Concilio Toletano XI. est capit. XI.
licèt Burchardus *f* & Ivo *t* & Palea *u* Soteri
esse scribant. At Gratianus *x* rectè, *ex Con-
cilio Toletano* XI. Ejusdem fragmenti pars
Censuimus ergo convenire, est ex Concilio
Toletano VII. capite secundo. idque rectè
est apud Burchardum *y* & Ivonem *z* & Gra-
tianum *a*. malè in Conciliis. (6) Aliud frag-
mentum incipit: *In cœna Domini.* Id non Soteris est, sed Concilij Cabilonensis secundi
sub Carolo capit. XLVII. licèt Burchardus *b*
& Ivo *c* & Gratianus *d* Soteri inscribant. Sed
ne nomine exstat in Capitularibus *e*. (7)

p *Burc. lib.* 3. *c.* 124.
q *Ivo lib.* 2. *tit.* 12. *c.* 21. *pan. & par.* 4 *c.* 66. *dec.*
r *Dist.* 11. *c.* 6. Consuetudinem.
s *Burc. lib.* 3. *c.* 73.
t *Ivo par.* 2. *c.* 126. *decret.*
u *De consecr. d.* 1. *ca.* 57. Ut illud.
x 7 *q.* 1. *c.* 15. Illud.
y *Burc. d. lib.* 3. *c* 70.
z *Ivo par.* 2. *c.* 124. *decret. & epist.* 120. *ad Galterium Belvacen.*
a *d. q.* 1 *c.* 16. Nihil.
b *Burc. lib.* 5. *c.* 20.
c *Ivo par.* 2. *c.* 30. *dec.*
d *De consecr. d.* 2. *c.* 17. In cœna.
e *Capit. lib.* 7. *c.* 68. *in addit.*

Post Fabiani Papæ epistulas fragmentum exstat, cujus initium est *Decernimus ut in omnibus*, ex codice XVI. librorum. Concilij Matisconensis secundi verba sunt cap. IV. non Fabiani, ut Burchardus *f* & Ivo *g* scribunt. Post Cornelij Papæ epistulas fragmentum cujus initium est *Quod ad nos attinet*, sumitur ex epistula tertia Cypriani ad eundem Cornelium. Mendosè apud Gratianum *h* ex Cornelij ad Cyprianum. (8) Aliud cujus initium *Honestum etiam videtur*, non Cornelij est, ut Burchardus *i*, Ivo *k*, Anselmus *l*, & Gratianus *m* scribunt, sed Capitularium Caroli lib. I. c. LXIII. quod Ivo alibi refert *n*. Est autem initium ejus capitis LXIII. *Habemus in lege Domino præcipiente*. quod Hieronymo non rectè adscribunt Burchardus *o* & Ivo *p* & Gratianus *q*. (9) Quod sequitur, *Et ut pueri ante annos* XIV. *non cogantur jurare*, Burchardus, Ivo, Anselmus, & Gratianus non separant à verbis prioris fragmenti, *Honestum est*. In Capitularibus hæc verba sunt: *Et ut parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare, sicut Gunebodigni faciunt*. C. Quid ea vox significat? A. Finge hostes quosdam Caroli Magni fuisse. B. Mei quoque hostes erunt quoad eorum mentionem alibi inveniam. A. Ivo in panormia verba Capitularium refert, quibusdam exceptis, cum hac inscriptione: *Capitulorum libro primo ca.* IX. *Parvuli qui &c.* Et mox: *Ex dictis Cornelij Papæ cap.* V. *in Concilio Elibertano: Pueri ante* XIV. *annos non cogantur jurare*. Idem Ivo

f *Burch. li.* 5. *c.* 24.
g *Ivo par.* 2. *c.* 34. *dec.*
h *Dist.* 47. *c. ult.*
i *Burc. lil.* 12. *c.* 12.
k *Ivo lib.* 8. *tit.* 8. *c.* 31. *panor. & par.* 12. *c.* 69. *decr.*
l *Ans. lib.* 11. *c.* 64.
m 22. *q.* 5. *c.* 16. Honestum.
n *Ivo d. par.* 12. *c.* 33.
o *Burch. li.* 12 *ca.* 2.
p *Ivo par.* 12, *c.* 59. *decr.*
q 22. *q.* 1. *c.* 12 Habemus. *Ivo lib.* 8. *tit.* 8. *cap.* 17. & 18. *pano.*

in excerptionibus *r* priora verba cum hac inscriptione refert: *Capitularium libro* I. capit. IX. *Parvuli &c.* Et Gratianus *s* ita scribit: *In primo libro Capitularium sic invenitur definitum: Parvuli &c. Item ex Concilio Elibertano. Pueri ante &c.* In libro Cæsarauguſtano *t* ita scriptum est: *Ex libro* I. *Capitul. Parvuli &c.* (10) Tria Lucij Papæ fragmenta Clementi restituenda sunt, ut Democharis animadvertit. Sunt autem in epistula secunda Clementis. Initium primi, *Ministri altaris*; quod rectè Ivo *u* & liber Cæsarauguſtanus *x* Clementi adscribunt. Initium secundi, *Clericus solus*; quod Ivo *y* & Anselmus *z* rectè etiam eidem tribuunt. Tertij initium est, *Sed si fortè aliqua*; quod ab eisdem Clementis esse dicitur. Duo priora Gratianus *a* Lucio, tertium Palea *b* adscribit. (11) Quod Xysto minori adscriptum est, cujus principium fuit, *Si quis Clericus super quibuslibet criminibus*, rectè Eleutherio adscribit Ivo in excerptionibus parte VI. cap. CCCXIIX. & Anselmus libro tertio capite XXIIX. Felicis quoque non malè esse dicitur ab eodem Ivone cap. CCCXXIX. ejusdem partis. Idem habet Julius in epistula secunda ad orientis Episcopos cap. XXV. ex Concilio Nicæno, item Hadrianus ad Ingelramum capite VIII. & interpres Novellæ Valentiniani & Marciani *Neminem exhiberi*, & Capitularia *c.* Gratianus Sixti nomen adscripsit *d.* (12) B. Multos tu quidem affers in Notis ad Hadrianum horum & aliorum verborum adsertores. Sed impedita res

r *Ivo par.* 12. *c.* 23. *decr.*

s 22 *q.* 5. *c.* 14 Parvuli. *&* *c.* 15. Pueri.

t *Cæs. lib.* 6. *cap.* 16.

u *Ivo par.* 6. *c.* 87. *dec.*

x *Cæs. lib.* 8 *c.* 59.

y *Ivo d. par.* 6 *c.* 89.

z *Ans. lib.* 7. *c.* 139.

a *Dist.* 81. *c.* 19 Ministri. *&* *c* 20. Clericus.

b *c.* 21. Sed si. *e. dist.*

c *Capit. lib.* 7. *c.* 144. *in addit.*

d 3. *q.* 6. *c.* 17. Si quis.

est, & quæ non facilè explicari potest, quo pacto quæ à posterioribus Imperatoribus statuta sint, ea ab illis Pontificibus constituta esse dicantur qui sub duro paganorum imperio antea vixerunt. A. Multa sunt quæ temporum vetustas scire nos impedit, in quibus hoc ipsum enumeremus. Multa certa esse creduntur quæ falsa esse possunt, ut alia falsa credimus quæ vera esse posteri fortasse cognoscent. Nihil vetat credere Christianos Imperatores piis Pontificum decretis subscripsisse. B. Perge tu quod cœperas. A. Eutychiano Papæ quædam falsò adscribuntur; ut illud est cujus initium *Nihilominus etiam*, & aliud cujus initium est *Statuimus*. quæ Burchardus *e* & Ivo *f* & Gratianus *g* Eutychiano tribuunt. Sunt autem verba Concilij Parisiensis sub Ludovico & Lothario lib. 1. cap. XLIII. (13) Quod sequitur, *Prædicandum est etiam*, Theodulphus Episcopus ad Presbyteros Aurelianenses cap. XXVI. sibi vindicat. Burchardus *h*, Ivo *i*, Anselmus *k*, & Gratianus *l* Eutychiano inscripserunt. (14) Sic etiam ejusdem Theodulfi verba sunt cap. XIII. ad eosdem Presbyteros, fragmenti verba cujus initium est *Observandum est nobis*; licèt Burchardus *m* & Ivo *n* Eutychiani esse dicant. Est autem animadvertendum, convenire numeros capitum Eutychiani apud Burchardum & Theodulfi. Nam quod suprà diximus esse Theodulfi cap. XXVI. id Burchardus ait esse Eutychiani cap. XXVI. & quod postea Theodulfi est cap. XIII. ille Eutychia-

e *Burc. lib.* 8. *c.* 17.
f *Ivo li.* 3. *tit.* 17. *c.* 7. *panor. & par.* 7. *c.* 38 *decr.*
g 20. *q.* 2. *c.* 3. Statuimus.
h *Burc. lib.* 12 *c.* 14.
i *Ivo par.* 12. *c.* 71. *decret.*
k *Ans. lib.* 11. *c.* 65.
l 22. *q.* 1. *c. ult.*

m *Burc. lib.* 14. *cap.* 10.
n *Ivo par.* 13. *c.* 78. *decret.*

ni esse ait cap. XIII. Sed & conveniunt numeri in Conciliis relati ex libro XVI. librorum cum Burchardi numeris. Quæ enim fragmenta ex eo libro refert, eadem habet Burchardus sub iisdem numeris. Namque fragmentum *Magnum malum ebrietatis*, quod Concilio Maguntino cap. XLVI. restituendum est, habet Burchardus lib. XIV. ca. 11. Et fragmentum *Episcopi & Dei ministri* (quod est Concilij Remensis cap. XIIX.) habet Burchardus cap. III. ejusdem libri. Et hoc fragmentum *Observandum*, quod Theodulfi esse diximus, habet Burchardus cap. X. ejusdem libri. Ita fit ut quæ ex codice sexdecim librorum in Conciliis Colonienſis editionis sumpta esse dicuntur, facilè apud Burchardum inveniamus. Ivo Carnotensis Burchardi opiniones in excerptionibus sequi solet. Sic eosdem numeros Eutychiani capitum refert & easdem inscriptiones. Fragmentum illud cujus initium est *Magnum malum*, Eutychiano adscribit Pœnitentiale Romanum titulo V. cap I. Sed est, ut dixi, Concilij Maguntini. Habétne Gratianus eadem verba an aliorum fragmentorum post illud Theodulfi c. XXV? A. Non memini ea legisse me apud Gratianum. Sed surgamus. Alia enim urgent.

Ivo par. 12. c. 71. & par 13. c. 70. & 71. & 78. decr.

ADDITIONES.

(1) DE consecrat. distin. 2. capitis 30. *Sacerdotum.* in editione Romana inscriptio est: *Item Clemens Papa.* Et in Notis hæc sunt: *Extat caput hoc in synodo Eugenij secundi (ex quo etiam citat*

Anſelmus) *itémque in ſynodo Leonis quarti c. 33. & in 7. libro Capitul. c. 278.* Et in margine: *Concor. 6. ſyn. c. 69. Turonicum 2. c. 4. extrà de vita & honeſt. Cler. c. 1. Anſel. l. 5. c. 78.* Ad extremum verbum *exercere* additur in margine: *Al. exerceri. al. celebrari.* Capitis primi de vita & hon. Cler. inſcriptio eſt: *Ex Concilio Maguntino.* Et in margine additur: *Cap. 13. ut refert Burchardus lib. 1. decr. c. 102. & Ivo par. cap. 137. Sed Antonius Auguſtinus in Notis antiquæ compilationis cap. 1. eod. tit. ait hoc cap. in Conciliis eſſe ex Concilio Turonenſi 2. c. 4.*

(2) Capitis quarti diſtin. 93. in eodem libro inſcriptio eſt: *Vnde Anacletus & Zacharias Papa: Iuxta ſanctorum patrum &c.* Et in margine: *Leo epiſt. 4. c. 7. Poly. l. 4. tit. 25. Anſ. l. 6. cap. 164.* Et in Notis: *Hic eſt canon quartus ſynodi Romæ habitæ ſub Zacharia Papa, quæ extat in bibliotheca Vaticana, ex qua nonnulla ſunt in hoc capite emendata.*

(3) Inſcriptio capitis decimi *Si quis per capillum.* 22. q. 1. in eodem libro hæc eſt: *Item Pius Papa.* In margine hæc ſunt: *Burch. l. 12. cap. 15. Anſ. l. 11. cap. 72. Ivo par. 12. cap. 72.* Et pro voce *acerrimè* eſt in margine: *Al. à ſynodo. Burc.* In Notis: *Simillima his habentur Novella 77. apud Iulianum Anteceſſorem, ſed non prorsùs eadem. Quare apud Ivonem Novellæ locus affertur par. 12. c. 32. Hoc autem caput refertur c. 72. ex decretis Pij, quemadmodum & apud Burchardum.*

(4) Ante caput tertium *Communiter definimus.* diſtin. 33. in eodem libro inſcriptio eſt: *Item Pius Papa.* Et in margine hæc ſunt: *Burc. l. 3. cap. 72. Ivo p. 2. c. 125. Poly. l. 4. tit. 31.* In extremo capite, ad vocem *liberati*, additur: *alieni*] *ceteri collectores.*

(5) In eodem libro diſtin. 11. capitis ſexti inſcriptio hæc eſt: *Item Pius Papa I. in decretis, decreto ſeptimo. Conſuetudinem laudamus &c.* Et in margine eſt: *Burc. l. 3. c. 124. Anſ. l. 4. c. 42. Ivo p. 4. c. 66. Pann. l. 2. c. 157. Poly. l. 3. tit. 23.* Et in Notis: *Verba hujus capitis, quod antea tribuebatur beato Auguſtino, leguntur in editione Conciliorum Colonienſi tribus tomis inter decreta Pij I. decreto ſeptimo & in*

epistola ejusdem Pij ex codice sexdecim librorum l. 3. capite 19. quam etiam citant Burchardus, Ivo, & auctor Pannormiæ: cujus tamen epistolæ omnia ferè verba habentur 1. lib. regesti beati Gregorij (qui citatur in Polycarpo) epist. 75. & ea quæ ad hoc caput pertinent referuntur infrà dist. 12. cap. Nos consuetudinem.] Ejus capitis, quod octavum est, dist. 11. inscriptio est: *Item Gregorius universis Episcopis Numidiæ lib. 1. epist. 75.* Et in margine: *Sup. dist. 11. c.* Consuetudinem. *Ivo p. 4. cap. 204.*

(6) De consecrat. distin. 1. cap. 58. in libro Romano inscriptio est: [*Item ex decretis Soteris Papæ.*] *Palea. Vt illud divini oraculi &c.* Et in margine hæc sunt: 7. *q.* 1. Illud. *in Concilio Toleta. 11. c. 14. Burch. l. 3. c. 73. Ivo par. 2. c. 126.* Capitis 15. *Illud divini,* 7. q. 1. inscriptio est: *Vnde in Concilio Toletano XI. c. 14.* Et in margine est: *De consc. dist. 1.* Vt illud. *Burch. l. 3. c. 73. Ivo p. 2. c. 126.* Et in Notis: *Illud*] *In Conciliis impressis legitur,* Et illud. *In codice veri Lucensi regio,* Væ illud. *In duobus autem Vaticanis,* Ut illud. *Et sic est infrà de consec. dist. 1. c.* Ut illud. *& apud Burch. & Ivonem.* Capitis 16. inscriptio est: *Item ex Concilio Toletano septimo c. 2. Nihil contra.* In margine: *Burc. l. 3. c. 70. Ivo p. 2. c. 124.*

(7) Capitis 17. *In cœna Domini.* de consecrat. dist. 2. in eodem libro inscriptio est: *Item Soter Papa ait.* Et in margine hæc sunt: *In Cabilon. 2. c. 47. Polyc. ibid.* (hoc est, l. 3. tit. 16.) *Burch. l. 5. c. 20. Ivo par. 2. c. 30.*

(8) Distin. 47. capitis extremi inscriptio est in libro Gregoriano: *Item Cyprianus lib. 1. epist. 3. Cornelio Papæ. Quod ad nos attinet &c.* In casu: *Ostendit Cornelius Papa in hoc cap. &c.* Non rectè.

(9) Inscriptio capitis 16. *Honestum. 22. q. 5.* in eodem libro est: *Item Cornelius Papa.* In margine est: *Burc. l. 12. c. 12. Ivo par. 12. c. 69. & 33. Pann. l. 8. c. 120.* Et in Notis: *Ceteri etiam collectores citant ex decretis Cornelij Papæ. Extat autem libro primo Capitularium c. 63. nonnullis præterea verbis interjectis. Et inde refert primam hujus capitis partem Ivo par. 12. c. 33.* Inscriptio cap. 12. *Habemus in lege Dei. 22.*

q. 1. hæc est: *Item Hieronymus.* In margine hæc sunt: *Capitul. l. 1. c. 63. Burch. l. 12. c. 2. Ivo par. 12. c. 59.* In Notis: *Burchardus & Ivo citant ex dictis Hieronymi, apud quem non est inventum, sed in Capitularibus lib. 1. c. 63.*

(10) Gratiani verba sunt ante caput 14. *Parvuli.* 22. q. 5. in eodem libro: *De ætate verò jurantium &c. De quo in primo libro Capitularium c. 63. sic invenitur definitum. Parvuli qui sine rationabili ætate sunt non cogantur jurare, sicut Gunebodigni faciunt &c.* In margine est: *Ivo par. 12. c. 23. Pann. lib. 8. cap. 103.* In Notis: *Sicut Gunebodigni faciunt*] *Addita histhæc* (scribe, *isthæc*) *sunt ex originali* Inscriptio capitis decimiquinti ejusdem quæstionis: *Item ex Concilio Eliberitano. Pueri ante annos* XIV. *&c.* Et in margine: *Burc. l. 12. c. 26. Ivo par. 12. c. 81. Pann. l. 8. c. 104. & 105.* In Notis: *Burchardus hoc citat ex Concilio Hibernensi, ut alia quæ Concilio Eliberitano tribuuntur.*

(11) In eodem libro inscriptio capitis 19. *Ministri altaris.* distin. 81. hæc est: *Item Lucius Papa.* In margine est: *Habetur in epistola 2 Clementis ad Iacobum fratrem Domini. Ans. l. 8. c. 2. Poly. l. 4. tit. 31. Ivo par. 6. c. 87.* Inscriptio capitis 20. *Clericus solus.* ejusdem dist. est: *Idem.* In margine hæc sunt: *Clemens Papa ibid. paulò inferiùs. Ivo par. 6. c. 89. Ans. lib. 7. cap. 147. Poly. l. 4. tit. 31.* Inscriptio capitis 21. est: [*Idem*] *Palea. Sed si fortè aliqua &c.* In margine: *Clemens ibidem continenter. Polyc. ibidem.* In Notis: *Hæc Palea in plerisque vetustis exemplaribus habetur conjuncta capititi antecedenti.*

(12) Capitis 17. *Si quis Clericus.* 3. q. 6. in eodem libro inscriptio est: *Item Sixtus.* In margine hæc sunt: *Eleutherius ad Gallia provin. Felix I. epist. 1. in decretis Iulij c. 25. In capit. Hadriani c. 7. Ivo p. 6. c. 318. & 329.* In Notis: *Caput hoc, quod citatur ex Sixto, in nulla epistola Pontificum hujus nominis est inventum. In aliquot vetustis exemplaribus est tantùm,* Item, *ut videatur citari eadem synodus Romana quæ in superiori capite, id est, quæ continetur in capitulis Hadriani. Ivo autem par. 6. c. 318.*

citat ex Eleutherio, cap. autem 329. citat ex Felice primo.

(13) Inscriptio capitis tertij *Statuimus.* 20. q. 2. in eodem libro hæc est: *Vnde Eutychianus Papa ait.* In margine est: *Conc. Paris. l. 1. c. 43. & Capitul. l. 1. c. 76. Concor. Burch. l. 8. c. 17. Ivo p. 7. c. 38. Pann. l. 3. c. 194.*

(14) Est etiam capitis extremi 22. q. 1. in eodem libro inscriptio: *Vnde Eutychianus Papa. Prædicandum est etiam &c.* In margine est: *Poly. l. 6. tit. 11. Ans. l. 11. c. 71. Burch. l. 12. c. 14. Ivo p. 12. c. 71.* In Notis: *Burchardus etiam, Polycarpus, & Ivo citant ex Eutychiano. Inventum verò est inter quædam capitula Theodulphi Episcopi Aurelianensis ad suos Presbyteros scripti* (Malo *scripta*) *cap. 26. quæ in antiquo codice Romæ habentur. Neque oret*] *Additum id est ex Theodulpho, Burchardo, & Ivone.*

DE EADEM RE.

Dialogus decimusquartus.

C. SUNT ne aliæ falsæ inscriptiones apud Gratianum? Nam de ceteris collectoribus nihil moror. A. Sunt quidem adhuc reliquæ non paucæ. Vides enim nos in Eutychiano finem fecisse, & nunc de aliis Pontificibus dicendum nobis esse, item de Conciliis, de quibus nihil adhuc locuti sumus. Sed cur tu aliorum librorum emendationem præter Gratianum contemnis? An non illos scis priores fuisse & pænè ejusdem magistros? C. Fateor ita esse ut dicis. Sed cùm hujus libri usus frequentior sit, hunc cupio habere maculis omnibus perpurgatum. A. Quid autem B. nostro videtur? B. Meam

sententiam non requiras. Odi enim horum omnium imperitiam & cœcitatem. Sed tu redde nobis quod de fragmentis reliquum est. Valde enim delector cùm te video invenisse fontes horum fragmentorum. A. Utinam licuisset omnium fontes adire. Neque enim adeo in quibusdam laboraremus. Post Concilium Ancyranum ex codice sexdecim librorum duo capita relata sunt, quorum initium est, prioris, *Si quis liber*, posterioris, *Vt Episcopi*. Illud apud Burchardum *a* & Ivonem *b* inveni ut ex Concilio Nannetensi, apud Anselmum *c* verò ex Ancyrano inscriptum. Alterum apud eosdem Burchardum *d* & Ivonem *e* ex Concilio Anquirensi cap. 1. ut etiam refert Gratianus *f*. Magna pars hujus posterioris capitis reperta est apud Aurelium Augustinum in libro de spiritu & anima cap. XXIIX. Damaso in Concilio Romano adscribi vidi in libro quodam Michaelis Thomasij, ex veteri libro in quo vita ejusdem Pontificis conscripta est. (1) Marcelli Papæ fragmentum, cujus initium est *Nullus Episcopus*, Juliani Antecessoris est Novella CXXIII. cap. x. Bonifacio Papæ adscribit Burchardus *g*. Sed Ivo *h* & Bonifacio & Novellis, Gratianus *i* Marcellò. (2) Eusebij Papæ fragmentum, *Consulto omnium statuimus*, Silvestri Papæ est in epilogo Romani Concilij, ut etiam Democharis notat. Eusebio adscribunt Burchardus *k*, & Ivo in excerptionibus *l*, Eusebio & Silvestro Ivo in panormia *m* & Gratianus *n*, Silvestro Anselmus Lucensis

a *Burc. lib. 6. c. 17.*
b *Ivo par. 10. c. 146. decr.*
c *Anſ. lib. 11. c. 54.*
d *Burc. lib. 10 ca. 1.*
e *Ivo lib. 8. tit. 6. c. 6. panorm. & par. 11. c. 30. decr.*
f *26. q. 5. c. 11.* Episcopi.

g *Burc. lib. 1. cap. 168.*
h *Ivo par. 5. c. 278. & 369. decr.*
i *11. q. 1. c. 8.* Nullus.
k *Burc. lib. 3. c. 99.*
l *Ivo par. 2. c. 134. decr.*
m *Ivo lib. 1. tit. 4. c. 39. panor.*
n *De conſecrat. d. 1. c. 45.* Consulto.

o. (3) Post Nicænum Concilium fragmentum, cujus initium est *Iudices autem*, pars est capitis xxxiv. epistulæ secundæ Julij Papæ ad Orientis Episcopos, ex sententia Nicæni Concilij. Ivo in Panormia *p* & Julio & Nicæno Concilio adscribit, Anselmus *q* Julio, Gratianus *r* Nicæno Concilio. (4) Quod verò Julij fragmentum in Conciliis est, cujus initium est *De fabrica verò*, Vigilio Papæ restituo in epistula prima ad Eutherium cap. iv. quod etiam Democharis notat. & rectè Burchardus *s* & Ivo in excerptionibus *t* Vigilij nomen referunt. Idem tamen Ivo in panormia *u* & Gratianus *x* Julio adscribunt, Anselmus *y* Vigilio. (5) Aliud fragmentum, cujus initium *Cùm omne crimen*, non Julij esse, sed Concilij Bracarensis iii. cap. primum testis est Antonius Democharis. Omnibus tamen canonum collectoribus placuit hæc inscriptio, *Iulius Episcopis per Ægyptum*, Burchardo *z*, Ivoni *a*, Anselmo *b*, Tarraconensi *c*, & Gratiano *d*. (6) B. Nætuillos rectiùs in Oasin Ægypti relegaveris. C. Bona verba, quæso. A. Pax sit rebus. Audite cetera. Quod sequitur, *Ecclesia Græcum nomen &c.* Isidori Hispalensis est initio libri primi de divinis officiis, licèt Burchardus *e* & Ivo *f* Julio adscripserint. Duo Liberij Papæ fragmenta Theodulfus *g* sibi vindicat. Alterius initium est, *In his jejuniorum diebus* alterius, *Abstinendum est.* quæ in Conciliis accepta esse dicuntur ex codice sexdecim librorum. Ea habent Burchardus *h* & Ivo *i*

o *Ans. lib. 9. c. 2.*
p *Ivo lib. 4. tit. 11. c. 2. panor.*
q *Ans. lib. 3. c. 21.*
r *11. q. 1. c. 4.* Judices.
s *Burc. lib. 3. c. 62.*
t *Ivo par. 3. c. 25. dec.*
u *Idem lib. 2. tit. 2. c 5. panor.*
x *De consecr. d. 1. c. 23.* De fabricæ.
y *Ans. lib. 5. c. 91. in addit.*
z *Burc. lib. 5. cap. 1.*

a *Ivo lib. 1. tit. 4. c. 24. panor. & par. 2. ca. 11. decr.*
b *Anselm. li. 9. cap. 53.*
c *Tarrac. li. 5. cap. 1.*
d *De consec. d. 2. cap. 7.* Cùm omne.
e *Burc. lib. 3. c. 1.*
f *Ivo lib. 2. tit. 1. c. 1 panor & lib. c. 3. decr.*
g *Theodulfus ad Presbyteros Aurelia. cap. 42. & 43*
h *Burc. lib. 13. cap. 13. & 14.*
i *Ivo par. 4. cap. 46. & 47 decr.*

falsò Liberij nomine inscripta. Ineptè Damasi fragmentum, cujus initium est *Calumniator si in accusatione*, ab aliis Damasi verbis separatur, cùm ex epistula III. sit ad Stephanum Episcopum *k*, quod etiam Democharis rectè animadvertit. (7) Alterius initium est: *Si quis Episcopum.* Verba sunt Concilij Eliberitani cap. LXXV. Carthaginensi Concilio adscribunt Burchardus *l* & Ivo *m*, Damaso Gratianus *n*. (8) Quarti fragmenti initium est: *Violatores canonum &c.* quod non malè Anselmus *o* & Deus-dedit *p* Damaso in epistula ad Aurelium Carthaginensem Episcopum referunt; Gratianus *q* verò & liber Tarraconensis *r* Damaso Papæ inscribunt. Cæsaraugustanus liber *s* inscriptione caret. Ea epistula ad Aurelium exstat initio collectionis Isidori Mercatoris. B. Quid si tempora non conveniant? Multa enim sunt Concilia Carthagini habita sub Aurelio Episcopo post Damasi mortem. A. Posteriùs ea de re agemus. Nunc finge eundem Episcopum sive quemvis alium ejusdem nominis Damaso scripsisse, & ab eodem ita rescriptum esse. (9) Ad Concilia veniamus. Fragmentum cujus initium est *Irrita erit Episcoporum donatio*, quod post Concilium Valentinum Galliæ positum est, sumitur ex Concilio Carthagin. IV. cap. XXXII. ut rectè Ivo *t* in excerptionibus refert; licèt Burchardus *u* & Ivo in Panormia *x* & Bernardus Papiensis *y* & Gregorius IX. *z* Valentino adscribant, & Leoni Ivo in panormia *a* &

k 2. *q.* 3. *c.* 2. & 4 *q.* 4. *c.* 2. Nullus.
l *Burc. lib.* 2. *c.* 195.
m *Ivo par.* 6. *c.* 240. *decret.*
n 2. *q.* 3. *c.* 4. Si quis.
o *Ans. lib.* 3. *c.* 109.
p *Deus de. p.* 4
q 25. *q.* 1. *c.* 5.
r *Tarr. lib.* 6. *c.* 21.
s *C. es. lib.* 2. *c.* 63.
t *Ivo par.* 3. *c.* 231. *decr.*
u *Burch. lib.* 3. *c.* 170.
x *Ivo lib.* 2. *tit.* 10. *c.* 2. *panorm.*
y *c.* 1. De his quæ conced. sine consen. *in* 1. *collect.*
z *c.* 1. De his quæ fiunt a Prælat.
a *Ivo d. c.* 2.

Innocentius III. *b* & Gratianus, *c* Africano Concilio Anſelmus *d*. Collector Conciliorum editionis Colonienſis rectè fontes horum verborum indicavit. (10) Poſt Concilium Carthaginenſe tertium quædam fragmenta ſunt inſerta, quibus præponitur illud quod Gangrenſi Concilio falsò Gratianus *e* & Pœnitentiale Romanum *f* adſcribunt, cujus initium eſt *Preſbyter ſi fornicationem*. Concilio Hibernienſi vindicatur in libro Anſelmi Lucenſis Romano *g*; &, ut audio, ita inſcribitur à Gregorio Preſbytero in Polycarpi lib. IV. titulo de incontinentia Clericorum, Pœnitentiali Theodori in veteri libro Michaëlis Thomaſij. Et certè illud Hibernienſe Concilium ſub eodem Theodoro Cantuarienſe habitum eſt. (11) Fragmentum *Placuit ut unuſquiſque* Concilio Bracarenſi II. cap. VII. reſtituatur oportet; licèt Gratianus *h* Carthaginenſis quarti eſſe dicat. Sic etiam erratum eſt in proximo huic capiti, cujus initium, *Placuit ut nullus i*. quod ejuſdem Bracarenſis eſt cap. IV. Democharis primus utrumque erratum adgnovit. De alio fragmento, cujus initium *Si quis Epiſcopum*, eſſe Concilij Eliberitani caput LXXV. dictum eſt; licèt Burchardus & Ivo Carthaginenſi, Gratianus *k* Damaſo Papæ adſcripſerint. (11) Aliud eſt, cujus initium *Vt laici contemptores*, ex codice XVI. librorum, quem Burchardi collectionis eſſe credimus. Verba ſunt tituli capitis XIV. Concilij Carthaginenſis primi. Capiti XV. adſcribunt Burchardus *l* &

b c. 1. & 2. De his quæ conced. *in* 3. *collect.* & c. 8. *e. tit. Greg. IX.* c 12. *q.* 2. *c.* 52 Sine exceptione.

d *Anſ. lib.* 7. *c.* 192. *in addit.*

e *Diſt.* 82. *cap. ult.*

f *Pœnit. Rom. tit.* 8. *c.* 6.

g *Anſ. lib* 8. *c. ult. in Rom.*

h 1. *q.* 1. *c.* 103. Placuit.

i *c.* 102. Placuit ut nullus. *ead. q.*

k 2. *q.* 3. *c.* 4. Si quis.

l *Burc. lib.* 15. *cap.* 6.

& Ivo *m*. Post Bonifacij Papæ epistulas fragmentum, cujus initium est *Si inter Episcopos*, Juliano Antecessori restituendum est Novella CXXIII. cap. XXXIV. licèt Burchardus *n*, Ivo *o*, & liber Cæsarauguſtanus *p*, & Gratianus *q* Bonifacio in epistula ad Episcopos Galliæ adscribant. (13) B. Sunt alia falsò eidem Bonifacio adscripta, quæ tu eidem Juliano olim adseruisti. A. Ita est ut dicis. Sed in fragmentis Conciliorum alia aliorum sunt. Fragmentum *Nulli liceat ignorare* Trosleiani Concilij caput quartum est. Bonifacio adscribunt Burchardus *r*, Ivo *s*, liber Tarraconensis *t*, & Gratianus *u*. (14) Fragmentum *Sicut omnis* Concilij Toletani XI. est caput quartum. Bonifacio adscripserunt Burchardus *x* & Ivo *y* & Bernardus Papiensis *z*. Hic finis esto.

m *Ivo p.tr.16 c. 7 decr.*
n *Burc. lib. 1. cap. 57.*
o *Ivo li. 4. tit 2. c. 10. panorm. & par. 5. c. 197. decr.*
p *Cæs. lib. 5. c. 21.*
q *6. q. 4. c. 3.* Si inter.
r *Burc. lib. 11. c. 17.*
s *Ivo li. 5. tit. 3 c. 32. panor. & par. 14. c. 87. decr.*
t *Tarr. lib. 5. cap. 4.*
u *12. q. 2. ca. 3* Nulli.
x *Burc. lib. 1. c. 131.*
y *Ivo par. 5. c. 231 decret.*
z *c. 3. De præsum. in 1. collect.*

ADDITIONES.

(1) CAPUT 12. *Episcopi.* 26. quæst. 5. ita in libro Romano inscribitur: *Item ex Concilio Anquirensi cap.* 1. In Notis est: *Anquirensi*] *Sic etiam in vetustis. Burchardus & Ivo habent* Ancyrensi. *Veruntamen in Concilio Ancyrano Græco aut Latino neque impresso neque manu scripto est inventum; licèt qui tomos Conciliorum ediderunt asserant haberi in quodam vetusto codice* XVI. *librorum partialium. Scelerata*] *Ferè eadem habentur apud beatum Augustinum in libro de spiritu & anima cap.* 28. *& in vita Damasi Papæ primi, quæ extat Romæ in pervetusto de vitis sanctorum codice sanctæ Mariæ majoris: ubi postquam aliqua relata sunt ex synodo Romana, in qua Damasus Macedonium & Apollinarem damnavit, adjungitur anathematizatos in ea synodo esse maleficiis,*

superstitionibus, & incantationibus servientes. In quibus etiam mentio est harum mulierum, quæ putabant nocturno silentio cum Herodiade & innumera multitudine mulierum super bestias equitare & multa terrarum spatia pertransire. Et in margine est: *Burc. l. 10. c. 1. & l. 19. Credidisti quòd multæ. Ivo p. 11. c. 30. Pan. l. 8. c. 75.* Et vers. *Illud etiam* additur: *De spiritu & anima c. 28.* Desideratur nomen Augustini. Et vers. *Siquidem*] *August. ibid.*

(2) In editione Gregoriana inscriptio capitis 8. *Nullus Episcopus.* 11. q. 1. hæc est: *Item Bonifacius ad Episcopos Galliæ.* In margine est: *Auth. Nullus Episcopus. Cod. de Episcopis & Cler. Burc. l. 1. c. 168. Ivo p. 5. c. 278. & 369.* Et in Notis: *Hoc adscribebatur Marcello. Sed, ut dictum est in proxima superiore notatione, in vetustis codicibus Gratiani & apud Burchardum & Ivonem par. 5. c. 278. tribuitur Bonifacio. & sic est mutatum. Ferè eadem habentur apud Iulianum Antecessorem Novella 123. c. 10. Quod in aliis, quæ nomine Bonifacij citantur, solet evenire. Et Ivo eadem parte c. 369. hoc ipsum caput citat ex libro constitutionum, additis nonnullis verbis quæ sunt apud Iulianum.*

(3) De consecrat. distin. 1. cap. 46. Romanis hæc inscriptio est: *Item ex epistola Eusebij Papæ & Silvestri. Consulto omnium statuimus &c.* Et in margine est: *Al. Consultu.* Et: *Silvester in epilogo Conc. Rom. Idem in Pontificali. Poly. l. 3. tit. 9. Ansel. l. 9. c. 2. Burc. l. 3. c. 99. Ivo par. 2. c. 134. Pann. l. 1. c. 162.*

(4) Capitis quarti 11. q. 1. inscriptio est in eodem libro: *Item ex Nicæno Concilio. Iudices autem alij &c.* Et in margine est: *Poly. lib. 5. tit. 4. Pann. l. 4. c. 109.* Et in Notis: *In Concilio Nicæno hodie canon hic non habetur. Sed fuisse olim plures canones illius Concilij suprà dist. 16. cap.* Septuaginta *est adnotatum; quorum partem refert Iulius in rescripto contra orientales, ubi numero 34. habetur hoc caput, & ex eo citatur in Polycarpo.*

(5) Inscriptio capitis 24. Romanis de consecrat. disti. 1. hæc est: *Item Vigilius Papa ad Eutherium epist. 1. c. 4. De fabrica verò &c.* Et in margine est:

Poly. l. 3. tit. 6. Anſ. li. 5. c. 81. Burch. l. 3. c. 62. Ivo p. 3. c. 25. Pann. l. 2. c. 14. In Notis : *Tribuebatur Iuliano. Sed ex vetuſtis exemplaribus reſtitutum eſt Vigilio, apud quem extat ; & ex ipſo citant Burchardus etiam & Ivo.*

(6) De conſecrat. diſtin. 2. cap. 7. *Cùm omne crimen.* in eodem libro inſcriptio eſt : *Item Iulius Papa Epiſcopis per Ægyptum.* In Notis additur : *Apud ceteros collectores legitur*, per Ægyptum miſſis. *Sed in Micrologo cap. 19. citatur ex eodem Iulio Epiſcopis Ægypti. Eadem autem ferè habentur nunc in Bracharenſi 3. c. 1. & ſententia ſummatim collecta in Vuormacienſi c. 4.* In margine hæc ſunt : *Poly. l. 3. tit. 9. Anſ. l. 9. c. 53. Burch. l. 5. c. 1. Ivo p. 2. c. 11. & 12. & 85. Pann. lib. 1. cap. 147.*

(7) In eadem Gregoriana editione inſcriptio cap. 2. *Calumniator.* 2. q. 3. hæc eſt : *Item Damaſus Papa ad Stephanum Archiepiſcopum epiſtol. 3.* Et in Notis eſt : *Verba ipſa Damaſi referuntur infrà 4. q. 4. c.* Nullus introducatur.] Et in margine : *4. qu. 4.* Nullus introducatur. *Et ex Fabiano infrà 3. q. 6. cap. 1. & ex Sixto infrà eadem q. 8.* Qui crimen.] Inſcriptio cap. 2. *Nullus.* 4. q. 4. hæc eſt : *Item Damaſus Papa epiſtol. 3. cap. 7.* In margine eſt : *Poly. l. 5. tit. 1. Burc. 16. c. 31. Pann. l. 4. c. 80. Ivo p. 6. c. 337.*

(8) Ante caput 4. *Si quis Epiſcopum.* 2. q. 3. in eodem libro eſt tantùm hæc vox : ITEM. Et in Notis additur : *Sic eſt in pleriſque vetuſtis codicibus. In vulgatis autem legebatur :* Item Damaſus Papa. *Extat autem caput hoc in capitulis Hadriani c. 62. & in Concilio Eliberitano c. 75. Ivo citat ex Carthaginenſi. Et in tomis Conciliorum adjungitur Carthaginenſi tertio.* In margine hæc ſunt : *Anſ. l. 3. c. 92. Ivo p. 6. c. 240. Burc. l. 2. c. 195.* In Notis : *Nec in fine*] *Sic legitur in Concilio Eliberitano, non in hoc tantùm canone, ſed etiam in aliis. Quam ob cauſam, atque etiam ob gloſſam, nihil eſt mutatum. Apud Hadrianum tamen eſt*, niſi in fine dandam ei non eſſe communionem. *Apud Ivonem*, non niſi in fine dandam ei eſſe communionem.]

(9) Capitis 5. *Violatores.* 25. q. 1. inscriptio in eodem Gregoriano libro est: *Item Damasus Papa.* Et in margine hæc sunt: *Deus-ded. p. 4. Ans. l. 3. t. 116. Poly. l. 4. tit. ult.* Fons non inventus est à selectis viris.

(10) Capitis 52. *Sine exceptione.* 12. q. 2. in eodem libro inscriptio est: *Item ex epistola Leonis Papæ universis Episcopis per Siciliam constitutis.* Et in margine: *Ans. l. 5. c. 69. & l. 6. c. 189.* Et in vers. *Episcopus* additur in margine: *In Concilio Carthagm. 4. c. 31.* Et in vers. *Irrita: Ibid. c. 32. & ext. de his quæ fiunt à præl. c. 1. Ivo p. 3. c. 231. Pann. lib. 2. cap. 86.* Inscriptio cap. 1. de his quæ fiunt à præl. est: *Ex Concilio apud Valentiam.* Et in margine: *Burchardus libro tertio decret. cap. 170. Ivo part. 1. cap. 231. Panormia lib. 1. c. 86. & c. 1. eodem tit. 1. compilat.* Inscriptio cap. 8. e. tit. est: *Idem* (Innoc. 3.) *Metens. Archidiacono. Tua nuper &c.* Et in margine: *Cap. 2. tit. de his quæ conced. ab Episcopo sine consen. capit. in 3. compil.*

(11) Inscriptio capitis ultimi distin. 82. in eodem libro hæc est: *Vnde in Concilio Hybernensi: Presbyter si fornicationem &c.* In margine est: *Poly. l. 4. tit. 33.* In Notis: *Caput hoc citabatur ex Concilio Gangrensi, in quo non legitur. Emendatum est ex Polycarpo & alio libro manuscripto pervetusto, in quo libro sunt multi canones pœnitentiales; & hic refertur ex Theodoro Archiepiscopo Hybernensi.* In casu est: *Sancti patres in Gangrensi Concilio congregati &c.*

(12) Est etiam caput 102. *Placuit ut nullus.* 1. q. 1. in eodem libro ita inscriptum: *Item ex Concilio Bracarensi secundo cap. 4.* In Notis additur: *Emendata est inscriptio ex aliquot vetustis codicibus. Nam in vulgatis erat,* ex Carthaginensi quarto, *in quo non habetur.* Inscriptio cap. 103. *Placuit ut unusquisque.* est: *Item ex eod. c. 7.* De capite 4. *Si quis.* 2. q. 3. vide suprà addit. 8.

(13) In eodem libro inscriptio capitis tertij *si inter Episcopos.* 6. q. 4. hæc est: *Vnde Bonifacius Papa Episcopis Galliæ.* Et in Notis est: *Episcopis*] *Sic est emendatum ex aliquot vetustis codicibus, Burchardo,*

Ivone, & Polycarpo. Antea erat, populis. *Simillima verò huic capiti leguntur Novella* 123. *c.* 34. *apud Iulianum Anteceſſorem.* In margine hæc ſunt: *Poly. l.* 5. *tit.* 4. *Burch. l.* 1. *c.* 57. *Ivo p.* 5. *c.* 167. *Pann. l.* 4. *c.* 22.

(14) Ante caput tertium *Nulli liceat ignorare.* 12. q. 2. in eodem libro inſcriptio eſt: *Item Bonifacius Papa.* Et in margine eſt: *Al. Ex decretis Bonifacij II. Papæ.* 6. *Capitul. c.* 303. *Poly. l.* 6. *tit.* 15. *Burc. l.* 11. *c.* 17. *Ivo p.* 14. *c.* 87. *Pann. l.* 5. *c.* 113. Fontis obliti Romani ſunt.

DE EADEM RE, ET DE ALIIS Gratiani erroribus.

Dialogus decimusquintus.

C. QUID eſſe in cauſſa dicemus cur tam multæ inſcriptiones falſæ inveniantur? B. Quorundam hominum audacia, aliorum ſimplicitas & tarditas cauſſa eſt. Audacia eorum qui finxerunt quædam ab aliquibus ſcripta eſſe quæ nunquam ſcripſerunt; ſimplicitas & tarditas eorum qui facilè crediderunt ita eſſe ut in aliquo alio libro legerunt. de quibus dici poteſt quod de pecoribus quæ ſequuntur ſui gregis alia oculis conniventibus. Huc accedit librariorum imperitia & negligentia; qui facilè, ut imperiti medici & pharmacopolæ, aliud pro alio venditant. A. Eſt etiam illud addendum, quòd paucos invenias qui huic generi ſtudiorum operam dederint. B. Quid mirum, cùm præmia nulla ſint, ut his qui litium cauſſa diſcunt. Honos enim

alit artes, ut aiunt. A. Quasi verò Virtus non sit se ipsa contenta, & ipsa scientiæ atque veritatis indagatio aliud requirat præmium inane ac fucosas honorum imagines. Sed nos ad nostras fragmentorum reliquias redeamus. B. Non puto te his fragmentorum sportis saturaturum tot hominum millia quot Christus quinque panibus. A. Vos duo mihi eritis pro quinque millibus. Vasensis Concilij fragmentum, cujus initium *Præcipiendum est*, Nannetensis Concilij est cap. VI. ut apud Ivonem *a* rectè est, licèt in capitis numero varietas sit. At apud Burchardum *b* Hannerense appellatur, Varense apud Gratianum *c*. (1) Post Concilium Arelatense tertium multa sunt falsò inscripta capita. I. *Præterea placuit*, Arausici Concilij verba sunt capit. XXII. licèt Gratianus *d* Arelatensis quarti esse dicat. (2) II. *Sciendum est*, Concilij Trosleiani est capit. IIX. licèt Arelatensi adscribant Burchardus *e* & Ivo *f* & Gratianus *g*. III. *Providendum*, Arelatensis quarti est sub Carolo cap. VI. IV. *Vt Episcopi provideant*, Vormaciensis Concilij verba sunt capit. IIIX. V. *Viduæ si priusquam*, est Concilij Toletani III. cap. X. ut rectè Democharis alicubi notat. Et Burchardus *h* & Ivo *i* Toletano Concilio adscribunt; Gratianus *k* eidem & Arelatensi. (3) Post Felicis tertij epistulas fragmentum *Acacius non fuit* Gelasij Papæ est in epistula ad Faustum. & Gelasio inscribit liber Tarraconensis *l*. sed Gratianus *m* & Gelasio & Felici. (4) Post Concilium Tarraconen-

a *Ivo par.3.c.* 222. *decret.*
b *Burc. lib.3. c.* 159.
c 13.*q.*2.*c.*15. Præcipiendum.
d *Dist.*28.*c.*7 Præterea.
e *Burch.li.*8. *cap.* 51.
f *Ivo lib.*3.*tit.* 17.*cap.*19.*panorm. & par.* 7.*c.* 69. *decr.*
g 27.*q* 1.*c.*37 Sciendum.
h *Burc.lib.*8. *c.* 44.
i *Ivo par.*7.*c.* 62.*& par.* 8. *c.* 18. *&* 19. *decr.*
k 27 *q.*1.*c.*38. Viduæ *&* 32 *q.* 2. *c. ult.*
l *Tarrac. li.*1. *c.*
m 24 *q.*1.*c.*1. *&* 3. Acacius.

se verba illa *Dictum est nobis &c.* Concilij Cabilonensis sub Carolo sunt cap. XXVII. licèt Burchardus *n* & Ivo *o* & Gratianus *p* Tarraconensis esse scripserint. sine inscriptione referunt Capitularia Imperatorum *q.* (5) Ineptè post Anastasij Papæ minoris epistulas fragmentum *Sanè Thessalonicensis Episcopi*, quod est Anastasij Bibliothecarij in chronicis, refertur. Fuit autem is temporibus Hadriani secundi, longè posterior Anastasio Papa. Deus-dedit *r* & Gratianus *s* rectè ex chronicis Anastasij ea verba referunt. (6) Quod verò sequitur, *Qui potest obviare*, Eleutherio restituatur oportet epistula singulari, & Damaso epistula tertia. Anastasio & Damaso adscribunt Anselmus *t* & Gratianus *u*. (7) Post Concilium Ilerdense, fragmentum *Si quis in infirmitate* Concilij Triburiensis est cap. XXXIII. ut alio die diximus *x*; sed Burchardo *y*, Ivoni *z*, & Gratiano *a* Ilerdensis esse persuasum est. Post Concilium Arvernense, ex codice XVI. librorum fragmentum *Quicunque Episcopus alterius &c.* Toletano IV. cap. XXXIII. restituo. Neque Burchardus *b* & Ivo *c* & Anselmus *d* & Gratianus *e* Arvernensis esse referunt, sed Toletani alicujus Concilij. In eo tamen mendum est apud Gratianum & apud Ivonem in panormia, quòd cum negatione referunt illa verba: *quamvis secundùm jus legis ejus non videatur esse diocesis*. Tolli enim *non* debet, ex Conciliis & Burchardo & ceteris. (8) Aliud fragmentum, *Ut nullus vivente*, Aurelianensis

n *Burc. lib.* 4. c 50.
o *Ivo lib.* 1. *tit* 3. *c.* 9. *panorm. & part.* 1. *c.* 244. *decr.*
p *De consecr.* d 5. c. 8 Dictum.
q *Capit lib.* 7. *c.* 55 *in addit.*
r *Deusded. cap.* 1.
s 16 *q.* 7. *c.* 15. Sanè.
t *Ans. lib.* 13. *c.* 19.
u 23. *q.* 3. *c.* 8. Qui potest.
x *Dial.* 4.
y *Burc. lib.* 2. *c* 15.
z *Ivo lib.* 3. *tit* 5 *c.* 1. *panor. & par.* 6. *cap.* 34. *decr.*
a *Dist.* 55. *c.* 10 Si quis.
b *Burc. lib.* 1. *c.* 67.
c *Ivo libr.* 2. *tit.* 6. *ca.* 4. *panorm. & par.* 3. *c.* 131 *&* *par* 5. *c.* 175. *dec.*
d *Ans. lib.* 5. *c.* 28.
e 16. *q.* 3. *c* 4. Quicumque.

quinti est cap. XII. non Arvernensis Concilij, ut falsò putant Burchardus *f*, Ivo *g*, & Gratianus *h*. (9) Hic sit fragmentorum finis. Sed quia B. noster de audacia quorundam locutus est, qui finxerunt quædam ab aliquibus esse conscripta quæ nunquam ab eisdem scripta sint, exemplum sumamus à sexta synodo; quæ cùm canones nullos ediderit, à Græcis dicatur CII. edidisse, ut superioribus diebus vidimus, à Latinis in tribus editionibus Colonienſibus novem canones scripsisse referatur, ut in vetusto codice monasterij sancti Bavonis urbis Andegavensis sive Gandavensis Flandriæ repertum est; ubi postquam de sexta synodo dictum est, adduntur hæc verba: *qui condemnata hæresi præfata, scripserunt novem capitula inferius annexa.* Caput primum, *Si quis Presbyter inventus fuerit &c.* Post quintum caput additur: *De instructione bonorum operum.* Caput sextum: *Ex Ganden. rubeo libro secundo numero* CXXXV. (*dicitur esse ex Concilio Vvormacien.*) *Cùm ergo omnium &c.* B. Cur tu igitur huic rubeo libro non credis, & Vvormacienses hos canones appellas, aut illi vetusto Bavonensi & sextæ synodo restituis? A. Quia inveni certiora veritatis vestigia. B. Quænam autem ea sunt? A. Hæc ipsa novem capita reperi Theodulfi esse Episcopi Aurelianensis, qui Ludovici Pij Imperatoris temporibus vixit & patris ejus Caroli Magni. Reliquit is aliquot capita, quæ ad Presbyteros Aurelianenses inscribuntur, de quibus dictum est

f Burc. lib. 1. c. 186.
g Ivo par. 5. c 302. decret.
h 7. q. 1. in prin.

cùm de Eutychianis fragmentis ageremus. Capitis XVI. initium est: *Si quis Presbyter* &c. Capitis XXI. *Cùm ergo omnium &c.* Sic omnia sunt totidem verbis conscripta. C. Non potuit Theodulfus ea sumere ex sexta synodo? A. Minimè potuit, cùm sexta synodus nullos ediderit. C. At ex Vormacienſi synodo? A. Quære priùs canones hos in Vormacienſi synodo, & nusquam invenies. Quòd si Vvormacienſis synodi sunt, cur ille fallax scripsit sextæ synodi patres scripsisse hæc novem capitula? B. Conjungi his possunt illa Hadriani nomine capita ad Ingelramnum, quæ cùm Hadriani nihil habeant, ejus nomine feruntur. A. Rectè admones. De his satis est in Notis scriptum. C. Estne aliquid quod ad falsas inscriptiones Gratiani illinc elici possit? A. Permulta sunt quæ te malo illic legere. Sed habétne alia B. noster quæ contra Gratianum obiciat? B. Incidi nuper in quasdam Romanæ scholæ Notas, de quibus, si pateris, alio die proferam aliqua, conferíque poterunt cum his quæ Antoninus Florentinus reprehendi solere scribit. Hodie de quibusdam dicam quæ quamvis ita sint in veteribus libris ut Gratianus refert, tamen aut malè interpretatur, aut non debuerunt ab eo edi, ut pote quæ magis noceant quàm prosint. Quid enim nobis illa prosunt ex Toletano Concilio? *i Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur?* A. Hæc ante Gratianum *k* retulerant Rabanus *l* & Ivo *m* B. So-

i *Tolet.* 1. *c.* 17
k *Dist.* 34. *c.* 4. Is qui.
l *Raba. c.* 10. *pœnit.*
m *Ivo libr.* 6 *tit.* 3. *ca.* 6. *panorm. & part* 8. *c.* 64. *decr.*

cios criminis laudas. Vide quid editum sit in Panormia Ivonis, quod etiam in aliquibus Gratiani libris legi: *Qui non habet uxorem, loco illius concubinam habere debet.* C. O impudentem interpretem! B. Nec placet quod suffectum est, *habere licet*, aut quod in Ivonis excerptionibus posuerunt: *Vi habens concubinam, si alia non utatur, communione non privetur.* Non ignoro duplex esse concubinarum genus, duplex etiam uxorum, uxores quæ sine dotalibus instrumentis acciperentur, eas concubinas dictas fuisse. De his posſumus Toletani Concilij verba interpretari. (10) Quid illa quæ videntur ex Nicolaitarum hæresi manasse? *Græcorum sapientissimus ait, communia debere esse amicorum omnia. In omnibus autem sunt sine dubio & conjuges.* Hæc Gratianus *n* ex Clementis epistula quinta. A. In Anselmi veteri libro *o* hæc de conjugibus non sunt. Omittuntur etiam in melioribus Clementis libris; sed sumuntur, ni fallor, ex Recognitionibus Clementis. B. Tollentur hæc, aut notabuntur in Romana editione. (11) Jam illa quæ de Primiflaminibus & Archiflaminibus & aliis in Notis ad Hadrianum *p* obscura tibi esse dixisti, tollenda esse censeo; sint licèt in epistulis Clementis prima, Anacleti secunda, Stephani secunda, & Leonis IX. epist. III. & apud Gregorium VII. *q* & Burchardum *r* & Ivonem *s* & Anselmum *t* & Gratianum *u* & in libro Cæsarauguſtano *x*. C. Non te hic tantus veterum patrum consensus deterret?

n 12. q. 1. c. 2.

o *Ans. lib. 7. cap. 1.*
p *Hadr. c. 23.*
q *Lib 6. epist. 35. regist.*
r *Burc. lib. 1. c. 155.*
s *Ivo li. 4. tit. 3. c. 1. panorm. & par. 5. ca. 53. decr.*
t *Ans. lib. 6. ca. 105. & 106. & 109.*
u *Dist. 80. c. 1. & 2. & dist 99. c. 1. & dist 21. in prin.*
x *Cæs. libr. 2. cap. 73.*

B. Non audeo ego hæc falsa esse dicere, ut in Antonij Contij libris de epistulis ante Silvestrum scriptum legis. Sed hoc defendo, quamvis ea vera essent, scribi non debuisse; cùm illis omissis, quæ crucem lectoribus afferunt, ut Maro dicebat, jus pontificium meliùs traderetur. (12) His non dissimilia sunt quæ de purgatione vulgari referuntur: *Qui Presbyterum occiderit, si servus est, super duodecim vomeres ferventes se expurget.* Hæc verba sunt Concilij Maguntini sub Rabano cap. xxiv. Referunt Burchardus *y* & Ivo *z* & Palea *a* & Pœnitentiale Romanum *b* & Bernardus Papiensis *c*. Sed Raimundus in Gregoriana collectione *d* rectè ea verba omisit. (13) *Ex Concilio Triburiensi c.* XXII. *Ferventi aqua vel candenti ferro se expurgat nobilis homo vel ingenuus, si deprehensus fuerit in furto aut perjurio aut falso testimonio, ut si ingenuus non esset.* Referunt Burchardus *e* & Palea *f* & Bernardus Papiensis *g*. Omisit Raimundus in Gregoriana collectione *h*. (14) C. Tu non Gratianum sed Paleam errasse ostendisti in hoc genere purgationis. B. Hæc Gratiani sunt: *Si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negaverint, & orant sibi concedi ut alter illorum utrosque judicio divino purget, si unus in hoc ceciderit, ambo rei habeantur.* Sunt hæc verba Concilij Salegunstadiensis c. xiv. quod post Burchardi collectionem invenies; & hoc caput referunt Ivo *i* & Gratianus *k*. Illa sunt Concilij Vormaciensis cap. xv. *Sæpe contingit ut in monasteriis*

y *Burc. lib. 6. c. 7.*
z *Ivo par. 10 c. 136. decr.*
a *17. q. 4. c. 24* Qui presbyterum.
b *Pœnit. Rom. tit. 1. c 1.*
c *De purgat. vulg. c. 2. in 1. collect.*
d *c. 2. de pœnit. Gregor. IX.*
e *Burc. li. 16 c. 19.*
f *2. q. 5. ca. 15.* Nobilis.
g *c. 1. de purg. vulg. in 1. collect.*
h *c. 1. de purg. can. Greg. IX*
i *Ivo par. 15. c. 178. decret.*
k *2. q. 5. c. 25.* Statuit.

monachorum furta perpetrentur. Missa ab Abbate celebretur, aut ab alio Presbytero, & omnes communicentur in hæc verba: Corpus Domini sit tibi hodie ad probationem. Hæc in Conciliis sunt, ut cuncta priùs dicta, & apud Burchardum *l* & Gratianum *m.* (15) Sed hæc omnia sunt illorum temporum sordibus adscribenda. Sunt alia his similia, de quibus alio fortasse die dicendum erit. Hoc nolo differre quod Gratianus *n* refert ex Hyeronymo in epist. ad Titum cap. 1. *Olim idem erat Presbyter qui & Episcopus.* & quæ sequuntur, quæ etiam habet Anselmus *o*. Totus ille Hieronymi locus, nisi pleniùs scribatur, & cum aliis Hieronymi scriptis conferatur, nocere magis quàm prodesse potest. (16) Democharis ad extremum verba referam in antidoto Gratiani Indicis: *Pleraque sunt, fateor, in his decretis jam obsoleta, & quæ à præsenti consuetudine ecclesiastica abhorrent, nonnunquam etiam, ut videtur, inter se ex diametro pugnantia &c.* A. Næ tu B. magnum Democharis testimonium contra Gratiani lucubrationes attulisti. Cui responderi potest, ut aliquibus aliis quæ recitasti, Gratiani scopum fuisse, omne genus decretorum referre, & hac de caussa Concordiam discordantium canonum appellasse. De aliis quæ B. Antoninus & Romanæ scholæ notarunt te libenter audituri sumus.

l *Burc. lib.* 11. *c.* 66.

m *c.* 23. Sæpe. *e. qu.* 5.

n *Dist.* 95. *c.* 5 Olim.

o *Ans. lib.* 7. *c.* 119. *&* 120.

ADDITIONES.

(1) CAPUT 15. *Præcipiendum est.* 13. q. 2. in Gregoriana editione ita inscribitur: *Item ex Concilio Varensi.* In margine est: *Burc. l 3. c. 159. Ivo p. 3. c. 222.* In Notis: *Extat in Concilio Nannetensi c. 6. ex quo citatur à Burchardo & Ivone. Sed quia potuit esse repetitum in aliquo Varensi seu Vasensi, non est mutatum. In epitome quidem Conciliorum est in Vasensi c. 3.*

(2) Inscriptio cap. 7. *Præterea placuit.* distinct. 28. hæc in eodem libro est: *Item ex eodem tertio.* (Est autem capitis 6. inscriptio: *Item ex Concilio Arelat. 2. c. 2.*) In Notis hæc sunt: *In Arelatensibus quæ extant hic ipse penitùs canon non invenitur. Sed sententia habetur in tertio c. 2. in fine.* Desideratur fontis index.

(3) In eodem lib. cap. 38. cau. 27. q. 1. inscriptio est. [*Item*] *Palea. Viduæ, si priusquam &c.* (Capitis 37. inscriptio est: *Item ex Concilio Arelatensi.*) In margine hæc sunt: *infrà 32. q. 2.* Hoc sanctum. *ex Concil. Toletano 3. c. 10. Ivo p. 8. c. 18. & 19.* Inscriptio capitis ult. 32. q. 2. hæc est: *E contrà in Concilio Toletano 3. c. 10. Hoc sanctum.* In margine est: *Burch. l. 8. c. 44. Ivo par. 7. c. 62. & par. 8. c. 18. & 19.*

(4) Gratiani verba sunt in libro Romano ante caput 1. cau. 24. q. 1. *Unde cùm Achatius &c. quereretur, contrà Gelasius scribit dicens: Achatius non est factus &c.* In Notis hæc sunt: *Sententia hujus capituli est eadem cum sententia capitis paulò pòst sequentis, id est, Achatius, quamvis verba discrepent.* Inscriptio capitis 3. est: *Item Felix Papa: Achatius non fuit novi &c.* In margine est: *Polyc. lib. 1. tit. 16.* Et in Notis: *Polycarpus li. 1. ti. 16. citat ex Gelasio, apud quem habetur in commonitorio ad Faustum.*

(5) De consecrat. distin. 5. cap. 8. *Dictum est.* in eodem libro inscriptio est: *Item ex Concilio Tarraconensi c. 6.* In Notis additur: *Burchardus etiam & Ivo citant ut Gratianus. Habetur autem in Cabilonen.*

2. cap. 27. *usque ad vers.* Quia bis. *& in Capitularibus adjectis c.* 53 In margine hæc sunt: *Burch. l.* 4. *c.* 50. *Ivo par.* 1. *c.* 244. *Pann. l.* 1. *c.* 121.

(6) Capitis 15. *Sane Thessalonicensi.* 16. q. 7. inscriptio in eodem libro est: *Item ex Chronico Anastasij Bibliothecarij.* In Notis est: *Caput hoc acceptum est ex Chronico Anastasij Bibliothecarij in iis quæ de Anastasio Imperatore narrat. multáque ex ipso originali sunt emendata.*

(7) Inscriptio capitis octavi *Qui potest.* 23. q. 3. in eodem libro Romano hæc est: *Item Anastasius & Damasus Papa.* In margine hæc sunt: *Damasus epist. 3. ad Stephan. c.* 8. *suprà dist.* 83. Error. *& dist.* 86. Facientis. *Poly. c. l.* 7. *tit.* 11. *Ans. l.* 13. *c.* 19.] Inscriptio capitis 3. *Error.* dist. 83. est: *Item Innocentius.* In margine est: *Deus-dedit p.* 2. *Eleuterius Papa ad Gallia provincias, & Orientales in epist. ad Iulium, & Ægyptij in epistola ad Felicem secundum.* Inscriptio capitis 3. dist. 66. est: *Item Ioannes VIII. Facientis culpam &c.* In margine hæc sunt: *Greg. l.* 7. *reg. epist.* 114. *Indict.* 2. *Pelagius* 2. *epistol.* 3. *Eleuterius sup. dist.* 83. *c.* Error. 2. *qu.* 7. Negligere. *&* 23 *qu.* 3. *c.* Qui poteſt. *Ivo p.* 6. *cap.* 115. In Notis additur: *Caput hoc ex variis sententiis hinc inde collectis confectum est; quarum prima usque ad vers.* emendare *sumpta est ex epistola beati Gregorij* 114. *lib.* 7. *Indict.* 2. *Theodorico & Theoberto Regibus Francorum.*

(8) Ante caput quartum *Quicumque Episcopus.* 16. q. 3. in eodem libro hæc verba sunt: *Item ex eodem c.* 33. quæ ad Tolet. 4. referuntur. In margine hæc sunt: *Poly. l.* 3. *tit.* 12. *Ans. l.* 5. *c.* 28. *Burc. l.* 1. *c.* 67. *Ivo p.* 3. *c.* 131. *& p.* 5. *c.* 175. *Pann. l.* 2. *c.* 67. Ad illa verba, *quamvis secundùm jus legis, ejus non videatur esse dioceſis &c.* additur in Notis: *In Concilio impresso cum manuscriptis collato legitur:* quia secundùm jus legis, ejus videtur esse diœceſis, admittenda non est &c. *Ivo autem in tertia parte etiam clariùs post vers.* (Scribe *ver.* vel *verbum*) possederit, *sic habet.* eam teneat: quia secundùm jus legis, ejus videtur esse diœceſis, & admittenda non est &c. *Burchardus autem,* quamvis secundùm jus legis, ejus videtur esse

diœcesis. *In Pannormia verò quemadmodum apud Gratianum. Provinciam*] *Auctor glossæ interpretatur,* id est, diœcesim. *& in variis Conciliorum editionibus & duobus codicibus Vaticanis legitur* parochiam. *quâ voce sæpe diœcesis significatur, ut in canone Apostolorum* 14. Episcopo non liceat alienam parochiam propria relicta pervadere. *& in Concilio Antiocheno cap.* 21. *vocem παροικίας alij verterunt* parochiam, *alij* diœcesim. *omninóque in Toletanis hæ voces confunduntur, ut in Tolet.* 3. *c.* 20. *& Tolet.* 4. *c.* 32. *& 35. Brachar.* 2. *c.* 2. *Et in hujus capitis initio vox* diœcesis *partem quandam, id est, parochiam significat. Verùm in codice Conciliorum Lucensi regio & vetustis exemplaribus Gratiani & Pannormiæ & apud Ivonem par.* 5. *in margine est* provinciam.

(9) Gratianus 7. q. 1. in prin. in eodem libro ita scribit: *Quòd autem vivente Episcopo alius superponi aut superordinari non possit, ex Concilio apud Arverniam celebrato definitum est, in quo legitur, Vt nullus vivente &c.* In margine hæc sunt: *In Concil. Aurelianen.* 5. *c.* 12. *Burch. l.* 1 *c.* 186. *Ivo p.* 5. *c.* 302. Et in Notis: *Arverniam*] *Burchardus etiam & Ivo citant ex Arvernensi c.* 13. *Extat autem in Aurelianensi quinto c* 12.

(10) Capitis quarti *Is qui non habet.* distin. 34. inscriptio in Romano libro est: *De hoc dicitur in Concilio Toletano* 1. *c.* 17. Sequitur mox miniatis litteris: *Qui non habet uxorem, sed loco illius concubinam, à communione non repellitur.* In margine hæc sunt: *Ivo par.* 8. *c.* 64. *Pannor. lib.* 6. *cap.* 49. Et in Notis: *Integer Concilij canon, qui apud Ivonem quoque & in Pannormia refertur, est hic:* Si quis habens uxorem &c. *Neque verò omne concubinarum genus eo etiam tempore permittebatur. De quibus quid in legibus gentilium Imperatorum legatur nihil opus est referre. Certè Iustinianus Novella* 18. *c* 5. (*ut est apud Iulianum Antecessorem*) *quasdam concubinas comparat quodam modo uxoribus quæ sine dotalium tabularum solennitate ductæ fuerant. Ad quod concubinarum genus referendum est quod scripsit beatus Augustinus in libro de bono conjugali,* (*& refertur infrà* 32. *q.* 2, *c.* So-

let.) *in quibus hæc tria erant necessaria &c. quamvis sic habitam non audeat appellare uxorem, quia non intervenerunt instrumenta dotalia & alia quæ jure civili & canonico requirebantur ut esset legitima uxor, quod habetur in prædicta Novella 18. & infrà 30. q. 5. c.* Aliter. *Itaque hujusmodi mulieres, cùm non essent uxores, vocabantur concubinæ; sed ob illa tria, ac præcipuè quòd in affectu maritali permanere statuerent, permittebatur ipsis communicare; habebanturque tanquam uxores minùs solemniter ductæ. Et hoc est quod hic & in sequenti capite dicitur, pro uxore & loco uxoris habere concubinam. Idque Gratianus ipse ad finem cap. præced. parag.* Concubina. *indicavit. Nam concubinarum ad tempus adhibitarum, etiamsi filiorum procreandorum causa haberentur, planè illicitus erat concubinatus. quod asserit idem beatus Augustinus cap.* Audite. *infrà eadem, & in eodem libro de bono conjug. c.* Concubinæ. *infrà 32. q. 2.*

(11) Inscriptio capitis secundi *Dilectissimis.* 12. q. 1. in eodem libro hæc est: *Item Clemens in epistola quinta.* Et in margine est: *Ansel. ibid.* (hoc est, l. 7. c. 1.) Vers. *Denique* ita scribitur: *Denique Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse ait communia debere esse amicorum omnia.* [*In omnibus autem sunt sine dubio & conjuges.*] Et in Notis: *Verba hæc absunt ab originali, in recentioribus Conciliorum editionibus impresso, & duobus ipsius manuscriptis codicibus, uno Vaticano, altero bibliothecæ sancti Marci Florentiæ, & ab Anselmo. Hanc verò sententiam à Platone acceptam hæretici quidam volebant in Christianam religionem invehere. Ita enim scribit Epiphanius hæres.* 32. Primùm quidem, quòd ipse Epiphanes cum patre suo & sectæ antistite Carpocrate &c. *Verùm apud veteres etiam Christianos hanc uxorum communionem vehementer damnari solitam Tertullianus in apologetico evidenter testatur his verbis:* Omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores &c.

(12) His verbis utitur Gratianus in eodem libro initio distin. 80. *Loca verò in quibus Primates &c. sunt ordinandi, hæc sunt secundùm Lucium Papam & Clementem atque Anacletum. Ait enim Lucius*

Papa

Papa: Vrbes & loca &c. In margine est: *Extat apud Stephanum 1. epist. 2. c. 5. Ans. l. 6. c. 128.* Et in scholiis: *Loca*] *Hic intitulatur 80. distin. &c. Et quidem primates ibi constituuntur ubi olim ponebantur protoflamines gentilium, Archiepiscopi ubi archiflamines, Episcopi ubi eorum flamines &c.* Capitis secundi inscriptio est: *Item Clemens Papa ad Iacobum epist. 1. In illis verò civitatibus in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum atque primi legis doctores erant &c.* In margine est: *Leo IX. epist. 3. Polyc. l. 2. tit. 22. Burch. l. 1. c. 155. Ans. l. 6. c. 113. Primi flamines*] *Al. Archiflamines.* Distin. 99. cap. 1. inscriptio est: *Vnde Anacletus Papa ait ad Episcopos Italiæ epist. 2. Provinciæ multò ante Christi adventum tempore divisæ sunt &c.* Et in margine est: *Ivo par. 5. c. 53. Pann. l. 4. c. 23.* Et in Notis: *Hoc caput integrum repetitur à Gregorio VII. lib. 6. reg. epist. 35. Rothomag. Turonen. ac Senonen. Archiepiscopis scripta, ex qua & originali nonnulla sunt restituta* Gratiani verba sunt distin. 21. in prin. vers. Horum discretio: *Horum*, inquit, *discretio à gentilibus maximè introducta est, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant.*

(13) Capitis 24. *Qui Presbyterum.* 17. q. 4. in eodem libro inscriptio est: [*Item ex Concilio Moguntino sub Rabano c. 24.*] *Palea.* In margine est: *ext. de pœnit. & remis. c. 2. Burc. l. 6. c. 7. Ivo p. 10. c. 136.* In Notis est: *Hæc Palea in uno tantùm Vaticano Gratiani codice habetur.* Inscriptio capitis 2. de pœnit. & rem. est: *Ex Concilio Moguntinen.* Et in margine est: *Habetur in synodo Maguntina sub Rabano Archiepiscopo c. 24. Refert Burch. l. 6. c. 7. Ivo par. 10. cap. 136. & Gratianus sive Palea 17. q. 4. c.* Qui presbyterum.

(14) Ante caput 15. *Nobilis homo.* secunda quæst. 5. in eodem libro hæc verba sunt. [*Item in Concilio Triburiensi.*] *Palea.* In margine est: *ext. de pur. can. c. 1. Burc. l. 16. c. 19.* Et in Notis: *Burchardus etiam citat ex Concilio Triburien. cap. 10. & in Triburiensi illo, quod extat impressum, habentur nonnulla ad hanc rem facientia.* Inscriptio capitis 1. de purg. cano. est:

Ex Concilio Triburien. In margine hæc sunt: *Referunt Burch. l. 16. decr. c. 19. & Grat. sive Palea 2. q. 4.* (scribe *5.*) *c. 15. & habetur c. 1. tit. de purg. vulg. in 1. compil.*

(15) In eodem libro Romano inscriptio cap. 25. *Statuit quoq. 2. q. 5.* hæc est: *Item in eod. c. 14.* hoc est, in Salegunstadiensi Concilio. In margine est: *Burch. ibid.* (id est, in fine operis) *Ivo p. 15. c. 180.* Inscriptio capitis 23. e. q. est: *Contrà in Concilio Vormacienſi c. 15. Sæpe contingit &c.* Et in margine: *Burc. l. 11. c. 66.* In Notis: *Sic expleta Missa*] *In hoc capite addita sunt nonnulla verba ex Concilio, quæ à collectoribus videbantur omissa. Sed hoc loco satis visum est varietatem indicare. Nam in Concilio ipso sic legitur:* Et sic in ultima Missæ celebratione, pro expurgatione sua corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi percipiant, quatenus ita inde innocentes se esse ostendant.]

(16) Gratiani verba sunt ante caput quintum distin. 95. in Gregorianis libris: *Item Hieronymus ad caput primum epistolæ ad Titum, ad ea verba:* & constituas. *Olim idem erat Presbyter qui & Episcopus.* In margine est: *Idem ergo est Presbyter.* Et: *Ans. l. 7. cap. 127. Poly. l. 2. tit. 39.* Rubrica scriptum est: *Presbyter idem est qui Episcopus, ac sola consuetudine præsunt Episcopi.* Hæc miror non fuisse notata.

DE BEATI ANTONINI CENSURA in Gratianum, & de Romanorum selectorum sententia.

Dialogus decimus sextus.

A. QUID est quod dicebas beatum Antoninum in Gratiano reprehendere? Habésne ejus librum? B. Et librum habeo & schedam locorum quæ selecti quidam vir

Romæ notarunt. A. De singulis ab Antonino scriptis videamus quid ille dixerit, quid mox Romani addiderint. B. Beatus Antoninus Florentinus, ut nosti, antistes in Summæ majoris quarta parte titulo XI. cap. IIX. post Petri Lombardi Parisiensis Episcopi, quem Magistrum sententiarum appellant, XIV. articulos perscriptos, in quibus communiter non tenetur, de Gratiano sic ait: *In decretis quædam ponit Gratianus quæ non tenentur, quædam alia à Conciliis vel Summis Pontificibus edita, quæ sunt revocata seu immutata per consuetudinem generalem contrariam & abrogata.* Mox addit exemplum jejunij quadragesimæ, quod Clerici servare tenebantur à sexagesima, hodie non servant, sed initium faciunt jejuniorum ut laici. A. Hoc idem Gratianus ait distinctione quarta, excepta voce *sexagesima*, pro qua vocem *quinquagesima* substituit. B. Romanis videbatur tollendas esse has voces Gratiani: *jejunandi propositum susciperent &.* quod non displicet. Damasus in Telesphoro ait: *Hic constituit ut septem hebdomadis ante Pascha jejunium celebraretur.* Et Ambrosius in sermone non edito de sexagesima: *Quadragesima*, inquit, *sex septimanas habet; cui addidit Telesphorus Pontifex septimam hebdomadem, & vocatum est hoc tempus quinquagesima.* Quæ verba etiam Anselmus *a* refert. A. Id statutum esse Clericis dicendum est ex Telesphori epist. I. cujus verba referunt Ivo *b* & Anselmus *c* & liber Cæsaraugustanus *d* & Tar-

Dist. 4 *c.* 3. & 4. & *ult. cap.* 3. *p.* Leges. *dist.* 4.

Dist. e. c. 5. Quadragesima.

a *Ans. lib.* 7. *cap.* 166.

b *Ivo li.* 2. *tit.* 14. *c.* 1. *pan.* & *par.* 4. *c.* 25. *dec.*

c *Ans. lib.* 7. *c.* 165.

d *Cæs. lib.* 21. *c.* 20.

raconensis *e* & Gratianus *f.* (1) B. Alterum exemplum adfert Antoninus de rogationum diebus, quibus erat ab operibus cessandum & jejunandum ex Conciliis Lugdunensi & Aurelianensi, quæ refert Gratianus de consecratione distin. III. c. I. & III. *g.* A. Concilium Lugdunense non exstat, sed refertur à Burchardo *h* & Ivone *i*. Et in Concilio Maguntino cap. XXXVI. idem ferè statuitur, sed nihil de rogationibus dicitur. neque aperte in Capitularibus Caroli & Ludovici *k*. Sed Aurelianense Concilium de rogationibus ita statuit cap. XXIX. in Colonienſi editione, in collectione Isidori Mercatoris, capit. XXIV. *Rogationes, id est, Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum jejunium in dominicæ ascensionis sollemnitate solvatur.* B. Romani varietatem notarunt: pro *præmissum* alibi scriptum *post Missam.* quæ mihi scriptura non probatur, licèt eam Ivo *l* adgnoscat. C. Quænam est Dominica Ascensionis, an quæ post Ascensionem est, an ea quæ Ascensionem præcedit? B. Neutra in hoc capite. sed dominica ascensionis sollemnitas dicitur ipsa dies Ascensionis Domini. C. Cur libro VI. Capitularium dicitur *m*: *Post Dominicam dies tres. In Ascensione Domini diem unum?* B. Suspicor desiderari litteram V. post vocem *Dominicam*, ut significetur *post Dominicam quintam.* A. Placet opinio tua. Et lib. I. Capitularium Litania major ante Ascensionem Domini constituitur. Sed perge quod cœperas. De

e *Tarr. lib.* 4. *c.* 60.
f *Dist.* 4. *c.* 4. Statuimus.
g *De consecr. d.* 3. *c.* 1. *&* 3. Rogationes.
h *Burc. lib.* 2. *c.* 77.
i *Ivo par.* 4. *c.* 14. *dec.*
k *Capit. lib.* 1. *c.* 164. *& lib.* 2. *c.* 35. *& lib.* 6. *c.* 186.
l *Ivo par.* 4. *c.* 11. *dec.*
m *d. c.* 186.

his enim rogationibus rectè Antoninus notat aliud in his Conciliis præscribi quàm quod usus receperit. (2) B. Idem inquit de hebdomada sancta & hebdomada Paschæ, quæ erant in præcepto quoad cessationem ab operibus, ut in dicto Concilio Lugdunensi. A. De hebdomade sancta nihil Gratianus retulit, nihil ante eum Burchardus & Ivo. nihil est in dicto Concilio Maguntino, neque in Capitularibus. De paschatis hebdomade omnes ferè eadem scribunt. In Concilio tamen Maguntino quatuor dies tantùm cum omni honore celebrari decernitur. At feria quinta dicitur licentiam esse arandi ante Missam & seminandi & hortum & vineam excolendi & sepem circumcludendi. ab alio opere cessandum. Post Missam vacandum ab omnibus. B. post hæc de litteris dimissoriis refert, quæ Gratianus distin. LXXIII. diligenter scripsit, quæ nomine Attici Constantinopolitani Episcopi in Conciliis sunt post Chalcedonensem synodum. Eadem referunt Ivo *n* & Anselmus *o*. Sed & formulas earum litterarum quas Gratianus conscripsit habent Burchardus *p*, Ivo *q*, & Anselmus *r*, qui alias quoque addunt, & Romani alias se pollicentur adjecturos. Hæc quasi usu abrogata improbat Antoninus, quod ad eam formulam attinet quæ tradita dicitur in synodo Nicæna litteris quibusdam Græcis adjectis. Ipsas litteras dimissorias necessarias esse ait Clericis peregrè profecturis, ut distin. LXXII. cap. I. *s* in quo multorum negligentiam reprehen-

De consec. d. 3 c. 1.

Dist. 73. in princip.

n *Ivo par. 6. c. 433. decret.*
o *Ans. lib. 6. c. 116.*
p *Burc. lib. 2. c. 227.*
q *Ivo par. 6. c. 434. & 435. decret.*
r *Ans. lib. 6. c. 117.*

s Dist. 72. c. 1.

dit. A. Laudo id quidem. Sed ex veteri formula duo elicio. Alterum est, Episcopis linguæ Græcæ cognitionem fuisse necessariam; alterum, tempore Nicænæ synodi Indictionis numeros in usu fuisse. Indictionis enim mentionem fieri in hac formula video. B. In Ecclesiarum consecratione jubentur Episcopi Græcas litteras & Latinas in pavimento scribere. Qui eas ignorassent, quo pacto scripturi fuerant? C. Cùm in Græcia Nicæna synodus habita fuerit, mirandum non est Græcis litteris jussisse hæc conscribi. Quæ verò in consecrationibus jubentur fieri, satis esse aiunt si cœperit vel duas litteras scribere, quæ utrique linguæ communes sunt. (3) B. Sequitur de sacramentis à jejunis tantùm præstandis in judicio, quod etiam usu abrogatum esse dicitur. A. Quæ Cornelio Papæ falsò adscribunt Burchardus *t*, Ivo *u*, Anselmus *x*, & Gratianus *y*, ut antea diximus *z*, non Cornelij verba sunt, sed Caroli Magni in Capitularibus *a*. quod etiam Ivo *b* adgnoscit. Illic ita scribitur: *Sed & nobis honestum videtur ut qui in sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate & timore Dei.* His verbis, *nobis honestum videtur*, nulla legis coactio est, sed admonitio est non inepta. Quod verò ille *in sanctis* dixit, cur in judicio Antoninus interpretetur, caussam nullam video. (4) B. Additur ab eodem: *In quadragesima, in adventu, in diebus dominicis non exigantur vel exhibeantur sacramenta, sollemnia scilicet, ut in judicio, & similia.*

t Burc. lib. 12. c. 12.
u Ivo li. 8. tit. 8. c. 31. panor. & part. 12. c. 69. decret.
x Ans. lib. 11. c. 64.
y 22. q. 5. c. 16. Honestum.
z Vide dialog. 13. in add. 9.
a Capit. lib. 1. c. 63.
b Ivo d. par. 12. c. 33.

Quod etiam ait esse abrogatum consuetudine. A. Plenius hæc, ni fallor, Burchardus *c* & Gratianus *d* ex Concilio apud sanctum Medardum, & sine inscriptione liber Tarraconensis *e*. Sed fontes non inveni. *A septuagesima usque ad octavam Paschæ, ab adventu Domini usque post consecratos dies,* (Sic enim illi duo habent, Gratianus *usque ad octavam Epiphaniæ) & in jejuniis quattuor temporum, & in Litania majore, & in diebus rogationum, & in diebus dominicis nisi de concordia & pacificatione nullus super sacra jurare præsumat.* (5) B. Vis dicam liberè quod sentio? A. Dicas licet. B. Hæc & alia quæcunque ex incertis libris sumpta, pro non scriptis habeantur. A. Censura gravis est tua. Sed Antonini cetera redde. B. *Multa*, inquit, *antiquo jure edita, quæ Gratianus notat, postea immutata sunt. ut de electione Romani Pontificis, item de aliorum Episcoporum electione. Namque non soli Cardinales olim Pontificem eligebant, neque soli Canonici Ecclesiæ cathedralis Episcopum, sed adhibebantur alij religiosi viri; & à Metropolitanis confirmabatur electio antequam Romani Pontifices Ecclesiarum cathedralium provisiones sibi reservassent.* A. Nota res est, & de his plura in Gregoriana & aliis collectionibus dicuntur. Ex quibus apparet multa esse apud Gratianum supervacanea: sed eadem antiquitatis cognoscendæ caussa legenda sunt. B. Sequitur de ætate ordinandorum, & de intervallo servando in ordinatione. A. Hæc etiam variè constituta sunt;

c *Burc. li. 12. c. 20.*

d *22 q. 5. c. 17* Decrevit.

e *Tarrac. li. 5. cap. 7.*

neque ullum crimen est Gratiani, si aliud posteriori sæculo visum est constituere, sive in Viennensi Concilio à Clemente V. sive in Tridentino sub Pio quarto. B. Idem dicturus es de gradibus consanguinitatis & affinitatis prohibitis matrimonio conjungi; quod non est à Gregorio IX. *f* immutatum, ut ait Antoninus, sed ab Innocentio III. in Concilio generali Lateranensi capite quinquagesimo. Postea refert illa quæ de furto diximus in monasterio facto, ut communicent monachi cum illa contestatione, *Corpus Domini sit tibi hodie ad probationem*, ex Concilio Vormacien. cap. xv. & apud Burchardum *g* & Gratianum *h*. Id malè fieri ait Antoninus B. Thomam secutus. Mox verba Concilij Carthaginensis affert, ut sacramenta altaris non nisi à jejunis celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. A. Concilij Africani verba sunt cap. IIX. in Corpore canonum, & Carthaginen. III. cap. XXIX. in Isidori collectione, & caput XLI. est Græcis Concilij Carthaginensis. Refert verba eadem Concilium Matisconense II. cap. VI. & Anselmus *i* & Gratianus *k* & liber Cæsaraugustanus *l*. B. Exceptionem illam cœnæ Domini impugnat Antoninus ex verbis Augustini à Gratiano alibi relatis *m* atque ait consuetudine esse derogatum. A. Huc fortasse pertinet quod in Concilio Laodicensi cap. I. statutum est *n*: *Quòd non oporteat in quadragesima in ultima septimana quintæ feriæ jejunium solvere*, &

f c. 3. *de consang. & affinit. in* 4. *collect* c. 8. Non debet. *e. ti. Greg. IX.*

g *Burc. lib.* II. *c.* 66.

h 2. *q.* 5. *c.* 23. Sæpe.

i *Anf. lib.* 9. *c.* 3.

k *De consecr. d.* 1. *c.* 48. Sacramenta.

l *Cæs. lib.* 13. *c.* 4.

m *De consecrat. d.* 2. *ca.* 54. Liquido.

n *De consecr. d.* 3. *c.* 7. Non liceat. *& cap.* 8. Non oportet.

quæ sequuntur. Quod aliis verbis Martinus Bracarensis scripsit cap. L. ut antea dictum est *o*: (6) B. Illud quoque præceptum, ut in eadem die cœnæ Domini omnes communicarent *p*, (quod non Soteris Papæ est, sed Concilij Cabilonensis secundi cap. XLVII. ut alio die à te dictum est *q*) abrogatum esse ait consuetudine. (7) Ut illud etiam Concilij Agathensis cap. XIIX. *Sæculares qui in Natale Domini, Paschа, & Pentecoste non communicaverint, catholici non credantur.* quod etiam Burchardus *r* & Ivo *s* & liber Cæsarauguſtanus *t* & Gratianus *u* referunt. A. Mihi Augustini oraculum maximè placet *x*: *Cotidie eucharistiæ communionem accipere nec laudo nec vitupero. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor.* Innocentij tertij præceptum in Concilio generali cap. XXI. fuit, ut ad minus in Paschate sacramentum eucharistiæ omnes susciperent. *y* (8) B. Illud quod falsò Sergio Papæ adscribunt Ivo *z* & Gratianus *a*, *Triforme est corpus Domini*, quod Amalarij sive Amilarij *b* est, ex quo capite elicitur partem quandam hostiæ servari debere viatici, ut creditur, caussa, abrogatum consuetudine esse ait. (9) Quod verò ex epistula Clementis secunda dicitur, post sumptam eucharistiam aliquot horis esse ab alio cibo abstinendum, quod etiam Burchardus *c*, Ivo *d*, & Anselmus *e*, & Gratianus *f* referunt, id ex B. Thomæ sententia ait non esse necessariò servandum. (10) Postremò quod ex Concilio Eliberi-

o *Vide dialog.* 11. *add.* 17

p *De consecr. d.* 2. *ca.* 17. In cœna.

q *Vid. dial.* 13. *add.* 7.

r *Burc. lib.* 5. *c.* 23.

s *Ivo par.* 2. *c.* 33. *decret.*

t *Cæs. lib.* 11. *c.* 19.

u *De consec. d.* 2. *c.* 19. Sæculares.

x *c.* 13. *e. disti.* Cotidie.

y *c.* 2. *de pœnit. in* 4. *collect. c.* 12. *e. tit.* Omnis. *Gregorius IX.*

z *Ivo libr.* 1. *tit.* 4. *cap.* 18. *panor.*

a *d. dist.* 2. *c.* 22. Triforme

b *Amal. li.* 3. *c.* 35. *de divin. offic.*

c *Burc. lib.* 5. *c.* 11.

d *Ivo par.* 2. *c.* 21. *decret.*

e *Ans. lib* 8. *c.* 38. *in addit.*

f *d. dist.* 2. *c.* 23. Tribus.

tano refertur à Burchardo *g* & Ivone *h* & Gratiano *i* & in libro Cæsarauguſtano *k*, ſed in Conciliis non inveni, ut ante communionem à conjugibus ſe abſtineant aliquot diebus, conſilium eſſe, non præceptum beatus Antoninus ait. (11) De aliis majoribus erroribus alio die, ſi placuerit, ejus opinionem referam. A. Ita fiat.

g *Burc. lib. 5. c. 22.*
h *Ivo libr. 1. tit. 4. c. 29. panorm. & par. 2. c. 32. decr.*
i *De conſecrat d. 2 c. 21. Omnis.*
k *Cæſ. lib. 11. c. 18.*

ADDITIONES.

(1) DISTINCTIONE quarta, ante caput quartum *Statuimus*, in Romana editione Gratiani verba ſunt: *Vnde illud Teleſphori Papæ, (qui decrevit ut generaliter Clerici à quinquageſima à carnibus & deliciis jejunent) quia moribus utentium approbatum non eſt, aliter agentes, tranſgreſſionis reos non arguit. Teleſphorus urbis Romæ Epiſcopus omnibus Epiſcopis epiſt. 1. Statuimus ut ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha omnes Clerici in ſortem Domini vocati à carne jejunent.* In margine eſt: *Al. carne & delitiis.* Et: *Ivo par. 4. c. 25. Pann. l. 2. c. 174.* Et in Notis ante caput quartum: *Quinquageſima] Poſt hoc verbum in codicibus impreſſis ſequebatur,* jejunandi propoſitum ſuſciperent, & à carnibus & delitiis abſtinerent. *Sed omnes ferè manuſcripti habent eo modo quo reſtitutum eſt.* Scholium Joannis ridiculum eſt: *Iſtud caput non tenet, quia hodie quinquageſima non ſervatur, cùm ipſa celebretur poſt Paſcha. Io.* Capitis quinti c. diſt. inſcriptio eſt: *Item Ambroſius in lib. ſermonum. Quadrageſima ſex ſeptimanas habet &c.* In Notis additur: *Sermonum] Inventi ſunt Romæ in bibliotheca Vaticana & Mediolani in bibliotheca monaſterij ſancti Ambroſij ſermones aliquot manuſcripti, Ambroſij nomen præferentes: inter quos eſt ſermo de ſexageſima, cujus initium eſt* Adeſt tempus, *unde hoc caput ſumptum eſt.* Ante cap. 6. ejuſd. diſt. *Denique ſacerdotes* quod eſt extremum, hæc verba ſunt: *quod B. Grego-*

rius Augustino Anglorum Episcopo scribit dicens. Et in margine est: *Ivo par. 4. cap. 29.*

(2) Non rectè in eodem libro ante distin. 3. de consecrat. posita est inscriptio capitis primi: *Item ex Concilio Lugdunensi.* In margine hæc sunt: *Cod. de fer. le. omnes dies. Nou. Leon. 54. Mogunt. 1. cap. 36. Capi. l. 1. cap. 164. & lib. 2. c. 35. Burc. l. 2. c. 77. Ivo p. 4. c. 14. Balsamon ad tit. 7. Nomocanonis.* Inscriptio capitis 8. e. dist. hæc est: *Item ex Concilio Aurelianensi cap. 29. Rogationes, id est, Litanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum jejunium in dominicæ Ascensionis solemnitate solvatur.* In margine, ad vocem *præmissum*, additur: *Al. post Missam.* Et initio capitis: *Bedæ de officiis tomo 7. Albinus pag. 67. Burch. l. 13. c. 17. Ivo par. 4. cap. 11.*

(3) Initio distinctionis 73. in eodem libro ut Gratiani verba scribuntur illa: *Qualiter verò commendaticia &c. Debent namque litteræ Græcæ interponi in ea epistola, & non sine causa. Græca enim elementa &c.* In margine hæc sunt: *Ex Attico ad finem Concilij Chalcedonensis. Ans. l. 6. c. 121. Ivo p. 6. c. 433.* Capitis primi inscriptio est: *Exemplar formatæ epistolæ, quæ in Nicæna synodo à* CCCXVIII. *patribus facta est. In nomine patris. π. & filij. υ. & Spiritus sancti α. π. Vualterio Spirensi &c.* In margine est: *Burc. l. 2. c. 227. Ivo p. 6. c. 434. Simile quiddam, multóque magis c. 435.*] In Notis: *Conservet*] *In hoc & sequenti capite ea tantùm sunt emendata quæ exemplarium auxilio restitui poterant. Ceterùm quæ hoc loco sequuntur, etiam apud Burchardum sunt depravata. Facilè autem restitui possunt ex regulis initio distinctionis traditis. Quibus quidem regulis optimè respondet exemplum ab Ivone allatum par. 6. c. 435. si litteræ in extremo 434. capitis positæ ponantur loco earum quæ in ipso 435. afferuntur. Additæ enim illis dictione ἀμῶ resultat numerus ibi notatus, id est,* DCCLXXVIII. *Bene etiam procedet exemplum cap. 434. si ubi nunc summa est 1539. sint 1439. Satis sit locum indicasse.* Capitis secundi ejusdem distinctionis inscriptio est: *Incipit epistola formata à* CCCXVIII.

Episcopis & ab Attico Constantinopolitanæ urbis Episcopo edita Sanctissimo in Christo fratri summa dulcedine charitatis amplectendo &c. In margine est: *Ans. l. 6. c. 121.* Et in Notis. *Ab Attico*] *Antea legebatur* Abbatibus. *Restitutus est locus ex conjectura, (quod perrarò factum est) quoniam evidenti ratione nitebatur.* Post verbum *Concedat, ἀυλὼ, vel sic ϟ, θ*] *Addita sunt hæc ex aliquot vetustis exemplaribus, & utrisque istis notis idem numerus 99. significatur. In codicibus verò impressis vel nihil erat, vel dictio* Amen *Latinè scripta; in qua nulla est numeri significatio.* Distin. 72. in prin. Gratianus ait: *Dimissorias verò litteras Episcopus, nisi rogatus, non tribuat; sicut statutum est in synodo habita Romæ. Vnde Leo Papa ait: Episcopus subjecto &c.* In margine est: *Ans. l. 6. c. 122.* Omittitur sumptum esse ex synodo Romana Leonis IV. cap. 18.

(4) Vide Addit. 9. dialogi 13.

(5) Inscriptio capitis 17. *Decrevit.* 22. q. 5. in eodem libro Romano hæc est: *Vnde in Concilio apud S. Medardum habito.* Et in margine est: *Simile quiddam in scedis Capitularium è Gallia missis. Burchardus lib. 12. cap. 20.*

(6) De consecrat. distin. 1. cap. 49. Romanis inscriptio est: *Item ex Concilio Africano c. 8. Sacramenta altaris &c.* Et in margine est: *Concor. c. 29. Concilij Carth. tertij. Anselm. l. 9. c. 3.* Inscriptio cap. 54. *Liquidò apparet.* de consecr. dist. 2. est: *Item Augustinus in libro responsorum ad Ianuarium cap. 6.* Et in margine est: *epist. 118. & Beda. 1. Corin. 11. Ivo p. 2. c. 112. Pann. l. 1. c. 146. Alg. l. 2. c. 1.* Vide etiam dialogo 11. addit. 17.

(7) Vide dialogi 13. addit. 7.

(8) Ante caput 19. *Sæculares.* de consecr. dist. 2. in editione Romana hæc verba sunt: *Item ex Concilio Agathensi c. 18.* Et in margine est: *Burch. l. 5. c. 23. Ivo par. 2. c. 33.* Inscriptio capitis 13. e. dist. hæc est: *Item Augustinus de ecclesiasticis dogmatibus c. 53. Quotidie eucharistiæ communionem percipere nec laudo nec vitupero. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo & hortor &c.* In margine hæc

sunt: *Valfridus de rebus eccle. c.* 12. *Sent.* 4. *dist.* 12. *Algerus l.* 1. *c.* 22. *&* 10. *Poly. l.* 3. *tit.* 16. *Ans. l.* 9. *c.* 9. *Burch. l.* 5. *c.* 15. *&* 16. *Ivo par.* 2. *c.* 25. *&* 26. *Pann. l.* 1. *c.* 150. Et ver. *Idem epist.* 118. *c.* 3. *Dixerit quispiam non quotidie &c.* est in margine: *Amalarius de eccles. offic. c.* 12. *Cabilon.* 2. *c.* 46. *Beda* 1. *Cor.* 11. *& ibi gloss. ord. Eugippus.* Et in Notis: *Caput hoc ex duobus B. Augustini locis confectum, & in summam redactum, ex iisdem, ubi opus esse visum est, & emendatum est & auctum. Algerus autem & Valfridus Strabo citant usque ad versi.* Idem *ex Gennadio Massilienſi Presbytero, quem beatus etiam Thomas quodlib.* 12. *art.* 10. *facit auctorem libri de ecclesiasticis dogmatibus. Et Platina in vita Symmachi, & Magister Sent. lib.* 2. *dist.* 8.

(9) Capitis 22. *Triforme.* de consecrat. dist. 2. in eodem libro inscriptio est: *Item Sergius Papa ait.* In margine est: *glossa ordin.* 1. *Cor.* 11. *Sent.* 4. *dist.*. *Amalarius l.* 3. *c.* 35. *Alcuinus fol.* 79. *Micrologus c.* 17. *Rabanus de instit. cler. c. ulti. Alg. l.* 1. *c.* 19. *Ordo Romanus fol.* 5. *Pann. l.* 1. *c.* 141.

(10) Ejusdem distinctionis secundæ inscriptio capitis 23. *Tribus gradib.* in eod. libro hæc est: *Item ait Clemens Papa epist.* 2. Et in margine est: *Ordo Romanus fol.* 87. *Polyc. l.* 3. *tit.* 16. *Burch. l.* 5. *c.* 11. *Ivo par.* 2. *c.* 21. *&* 64. *&* 86. *Pann. l.* 1. *c.* 149.

(11) In eodem libro capitis 21. *Omnis homo.* ejusdem distinctionis inscriptio est: *Item ex Concilio Eliberitano.* In margine est: *Burch. l.* 5. *c.* 22. *Ivo par.* 2. *c.* 32. *Pann. l.* 5. *c.* 152. In Notis: *Nec inter*] *Hæc usque ad finem absunt hoc loco à Burchardo & Ivone, súntque summa quædam capitis* Sæculares. *suprà ead.*

DE ALIIS MAJORIBUS ERroribus Gratiani ex beati Antonini sententia.

Dialogus decimusseptimus.

A. QUANTUM ego prævideo, periculum est C. ne hic nobis totum Gratianum de manibus auferat. C. Quid ita? A. Quia hac sola machina beati Antonini adhibita, magnam nostri præsidij partem expugnavit. C. Magis mihi visus est adhuc de re satis nota egisse, quam illi facilè concesserimus, esse apud Gratianum non pauca moribus non recepta aut contrariis constitutionibus abrogata. B. Majora sunt quæ molior. Ostendam enim illum hominem stupidum fuisse, multísque in rebus nihil vidisse. C. Ain verò? B. Audies quid sanctissimus vir de hoc homine dicat. In primis notat, quod etiam Joannes Teutonicus fecit, Gratianum dixisse perplexo inter duo mala, hoc est, peccata, licere minus eligere, ídque perpetrare. Atqui nunquam cogitur quis peccare, nec potest esse perplexus necessariò. Ergo falsum est licere alicui minus peccatum eligere. Id confirmat Hieronymi & Augustini & beati Thomæ verbis. A. Quibus verbis utitur Gratianus? B. *Item adversùs naturale jus nulla dispensatio admittitur, nisi fortè duo mala ita urgeant ut alterum eorum necesse sit eligi. Vnde in Con-*

Dist. 13. in princ.

cilio Toletano IIX. *cap.* II. *sic legitur: Duo mala &c. Item Gregorius in moralibus: Nervi teſticulorum Leviathan &c.* A. De duobus malis, non de duobus peccatis, Gratianus loquitur. B. At in verbis Toletani Concilij, & beati Gregorij, quibus ſuam opinionem fulcire nititur, invenies duorum peccatorum mentionem. A. Illos igitur accuſa, non Gratianum. Nam de duobus malis quæ peccata non ſint vera eſt Gratiani ſententia. Et præſtat amittere brachium quàm caput, & incidere in manus Dei quàm hominum; & his ſexcenta ſunt ſimilia. B. At poſtea diſtinctione XIV. ſic Gratianus ait: *Verùm hoc ita in una eadémque perſona intelligitur. Ceterùm an in diverſis eadem diſpenſatio locum habeat, videlicet ut committamus minora, ne alij gravioribus implicentur, meritò quæritur.* Non tibi videtur affirmare quod iſti dicunt? A. Mihi apertè id dicere non videtur, ſed in eam ſententiam inclinare, & lectorem eo laqueo induere quo ſe non facilè liberet. B. Id mihi ſatis eſt. (1) Sequitur illud de Preſbyteris, ut poſſint ex conſuetudine, ſi urgeat neceſſitas, & Epiſcopi abſint, chriſmate pueros in fronte ſignare. Id falſum eſſe ait poſt Joannem & beatum Thomam & alios Theologos. Verba Gratiani diſtinctione XCV. hæc ſunt: *Sed iſtud Gregorij pro ſcandalo ſedando ſemel conceſſum legitur. Illud autem Leonis Papæ & Gelaſij uſu approbante prævaluit, niſi fortè ubi aliquorum conſuetudo hoc admiſit ut in abſentia Epiſcopi, extrema neceſſitate*

1. *Paral.* 21.

Diſt. 14. *in prin.*

Diſt. 95. *c.* 2. *p.* 1.

cogente, ex concessione Gregorij, Presbyteri baptizatos in frontibus liniant, prohibitio verò Leonis & Gelasij in eo casu intelligatur, cùm Episcopi præsentes sunt, vel cùm non cogit ultima necessitas. A. Displicent hæc omnia. Namque ordinarij ministri hujus sacramenti sunt Episcopi, ut in Concilio Tridentino dicitur. (2) B. In notoriis sive manifestis non requiri ordinem judiciarium *a* reprehendit Antoninus, quasi non semper verum sit, sed aliquando, ut notat Joannes Teutonicus. Item quod postea Gratianus dicit *b*: *Aliquando evidentia ipsa operis reum esse testatur, quando opere publico crimen suum confitetur. Tunc, post secundam & tertiam correctionem, sine examinatione damnandus est, si incorrigibilis extiterit.* Neque enim in his notoriis requiritur admonitio, sive correctio, aut fortè correptio. (3) A. Hæc levia sunt. B. Illud gravius est, quòd anathema in verberantes Clericos *c* interpretatur separationem à sacramentis & ab ingressu Ecclesiæ, non à communione fidelium *d*. quod Joannes etiam notat. A. Calumniam mihi pati videtur Gratianus. Non enim id apertè dixit. Immo inter excommunicationem & anathema priùs hanc differentiam statuit, quam ego minime probo; ut anathema sit cùm separatur quis à consortio fidelium, excommunicatio cùm se quis separat aut à superiore separatur ab ingressu Ecclesiæ & à communione eucharistiæ, ut pœnitentibus evenit. B. Inconstantiæ crimen effugere non potest.

22.q.1.c.14. Prohibentur. *in fine.* & *cap.* 16. Quæ Lotharius *p.*1 b*c.*20. Deus. *p* Quando. *e.* *q.*

c17 *q.*4.*c.*29. Si quis.

d11.*q.*3.*c.*24. Ad mensam. *p.* Evidenter.

Quod

Quod enim de excommunicatione dixerat, id de anathemate in hoc crimine interpretatur. (4) Sequitur illud de interpretatione horum verborum Gregorij: *Sententia pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est. Contingit*, inquit, *aliquando ut adulter sententiam pro sacrilegio reportet, cujus reatum in conscientia non habet. Hæc sententia, etsi injusta sit, tamen justè ab eo reportata est, quia ex reatu adulterij jamdiu apud Deum excommunicatus fuerat. Et in hoc casu intelligenda est illa auctoritas Gregorij: Sententia pastoris &c.* Hoc & Joannes & Antoninus improbant: qui volunt ut quamvis sit injusta, nisi post appellationem lata sit, vel contineat intolerabilem errorem, à judice suo lata, eum liget, & ab eo servanda sit. A. Servandam esse publicè non negarem; ligare eum apud Deum dubito. Illa tamen Gregorij verba placent: *Qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injustè; nec pastoris sui judicium temerè reprehendat; ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.* (5) B. Illud etiam reprehendunt, quòd dixerit Orientis Clericos, qui uxores habeant, habere etiam bona propria posse, quibus uxoribus & filiis consulant; sic etiam his qui in Occidente filios ex legitimo matrimonio habent, sive uxoribus vivis continentiam professis, sive mortuis; non verò licere his Clericis qui ab infantia sacræ militiæ traditi sunt, nisi fortè retinendo sua, à sumptibus Ecclesiæ abstineant. Contrà au-

11. q. 3. c. 1. & c. 77. Non solùm. p. 1.

12. q. 1. ea. 24. Præcipimus. p. Sed notandum.

tem illi ſtatuunt omnibus Clericis licere habere propria, niſi eis renuntiaverint, ut regulares, vel qui voto ſe aſtrinxerunt paupertatis, vel in primitiva, ut aiunt, Eccleſia, quorum erant bona communia. Hunc errorem in Notis quoque ſelectorum virorum invenio reprehenſum. A. Jure quidem reprehenditur. Sed & Chriſtum Dominum & Apoſtolos propria bona habuiſſe declaraſſe videtur Joannes XXII. duabus conſtitutionibus *e*. (6) B. Poſt hæc, ut imperfectè docens reprehenditur in quæſtione, An liceat Clericis in judicio ſua repetere *f*, quòd dixerit licere pro damno vitando, non pro lucro quærendo, aut pro communibus ſuarum Eccleſiarum rebus ſtare in judicio, eáſque defendere; veriúſque eſſe eos Clericos qui habere poſſunt propria bona, poſſe etiam ea repetere in judicio; alios nomine monaſteriorum ſuorum, ſi præſunt eis; minores, mandato ſuperiorum. (7) A. Leve etiam hoc eſt crimen. B. Sequitur illud, quod ex jure civili ſumptum eſt, ſufficere bonam fidem in præſcriptione triginta annorum initio poſſeſſionis, licèt poſtea quis mala fide poſſederit *g*. Mendosè tamen Gratiani locus refertur à beato Antonino, quod etiam in aliis quibuſdam accidit. A. Innocentius III. in Concilio generali Lateranenſi cap. XLI. ſic ait *h*: *Oportet ut qui præſcribit, in nulla temporis parte ſui habeat conſcientiam alienæ.* (8) B. Si poſt votum ſimplex caſtitatis jurat quis aliquam ducere uxorem, ſacramentum illicitum eſſe fa-

Cùm inter. *& extra.* Quia quorundam. *Io.* 22. f 14. *q.* 1. *c.* 1. *p.* 1.

g 16. *q.* 3. *c.* 15. Placuit. *p.* Præſcriptionum.

h *ca.* 3. *De præſcr. in* 4. *collect. & c. ult. eo. tit. Gregorius IX.*

tentur Gratianus & Antoninus. sed servare hoc sacramentum non vetari, pœnitentia de voti fractione indicta, ait Gratianus. quod verum esse consummato matrimonio, Antonino placet. Namque si non consummaverit, prohibetur servare id sacramentum, & peccat, inquit, mortaliter. A. Vide Cælestini III. rescriptum; quod Gratianus videre non potuit. B. Illud quoque post beatum Thomam notat dixisse Gratianum, posse quem jurare ne Clerici tonsuram néve monachi habitum unquam accipiat; ac si juraverit, servandum esse. Illicitum esse jusjurandum eis videtur, & peccasse jurantem, quòd obicem, inquiunt, opposuit Spiritui sancto. A. Verum mihi esse videtur quod dicunt. Sed Gratianus de eo loquitur qui cogebatur à parentibus alterutrum facere, qui sine ullo peccato potuit jurare se id non facturum, invitum scilicet. (9) B. Quod sequitur, omitti potuisset: sed ne quid relinquam, dicam. Gratianum & Joannem Teutonicum notat Antoninus, quòd affirmasse videantur eum qui cogit aliquem falsò jurare, aut exigit ab eo jusjurandum, ita peccare ut is qui pejerat. Sed id verum esse ait cùm scit aut probabiliter credit falsum illum juraturum. Judex quoque exigens sacramentum, juris ordine observato, sive per se, sive parte petente, non peccat, etsi sciat vel credat illum falsò juraturum, ut beatus Thomas scribit. (10) A. Cetera alterius actionis sint.

22. q. 4. c. ult. p. Unde datur. *& p.* Est etiam.

ca. 2. Qui cleri. vel vov. *in 2. collect. & c. 6.* Rursus. *e. tit. Greg. IX.*

22. q. 5. in prin.

ADDITIONES.

(1) GRATIANI verba sunt in editione Romana distin. 13. in principio: *Item adversùs naturale jus nulla dispensatio admittitur, nisi fortè duo mala ita urgeant ut alterum eorum necesse sit eligi. Vnde in Concilio Toletano 8. c. 2. legitur: Duo mala licèt sint cautissimè præcavenda &c.* In margine est: *Ivo p. 12. c. 16. Pann. l. 8. c. 119.* Et in Notis: *In ipso Concilij capite multa antecedunt & sequuntur quæ perlegenda sunt.* Item dist. 14. in principio Gratianus ait: *Verùm hoc in una eadémque persona intelligitur. Ceterùm an in diversis eadem dispensatio locum habeat, videlicet ut committamus minora, ne alij gravioribus implicentur, meritò quæritur.*

(2) Verba etiam Gratiani sunt dist. 95. cap. 2. *Presbyteros.* par. *Sed istud.* in editione Gregoriana, ut in ipso dialogo relata sunt.

(3) Hæc ejusdem Gratiani verba sunt in eodem libro ante caput 15. *Manifesta.* 2. q. 1. *Verùm hæc de illis intelligenda sunt quorum crimina sunt occulta. Ceterùm quæ manifesta sunt, judiciarium ordinem non requirunt. Vnde Ambrosius: Manifesta accusatione non indigent.* In Notis additur: *Ivo in epistola ad Hugonem, quæ incipit* Litteras v. p. *sic ait:* Manifesta autem accusatione non indigere testatur beatus Ambrosius super epistolam ad Corinthios ita dicens de eo qui cum noverca [Judicis non est, &c.] *ut infrà c.* De manifesta.] Item cap. 16. *Quæ Lotharius.* par. 1. c. q. hæc etiam Gratiani verba sunt: *In manifesta enim calliditate accusantium non opprimitur reus &c. atque ideo in talibus judiciarius ordo non requiritur.* Et cap. 20. *Deus omnipotens.* par. *Quando autem.* ita Gratianus scribit: *Aliquando evidentia ipsa &c.* ut in dialogo.

(4) Sunt etiam hæc ejusdem Gratiani verba in eodem libro 11. qu. 3. c. 24. *Ad mensam.* par. *Evidenter. Hæc sententia excommunicatio vocatur: quæ à communione corporis & sanguinis Christi notatum pre-*

hibet &c. Qua sententia non separatur quis à consortio fidelium. Est & alia sententia, quæ anathema vocatur: qua quisque separatur à consortio fidelium. de qua suprà. [*Cum excommunicatis nolite communicare*] *&c.* Et postea : *Iuxta igitur hanc distinctionem intelligenda est illa auctoritas Innocentij Papæ secundi* [*Si quis suadente diabolo &c.*] *ut infrà in causa* [*Quidam presbyter.*] (in margine est : 17. q. 4.) *ut juxta etymologiam vocabuli, anathemati, id est, separationi subjaceat qui in edictum illud inciderit, qui à corpore & sanguine Christi & ab ingressu Ecclesiæ se alienum facit, qui impias manus in Clericem* (Scribe *Clericum*) *injicere ausus fuerit, qui etiam à nullo Episcoporum absolvi, id est, more pœnitentium reconciliari poterit, nisi primùm apostolico conspectui se repræsentare curaverit.*

(5) In eadem causa 11. q. 3. ante cap. 1. verba Gratiani sunt in eodem libro : *Sed quòd sententia Episcopi, sive justa sive injusta fuerit, timenda sit, Gregorius homilia 26. in evangelia testatur dicens : Sententia pastoris, sive justa sive injusta fuerit, timenda est.* In Notis additur : *Ipsa prorsùs B. Gregorij verba leguntur infrà ead. c.* Non solùm. *vers.* Vtrum justè.] Ejusdem Gratiani verba sunt cap. 77. *Non solùm.* par. 1. e. q. *Cùm ergo sententia ex ordine injusta est, nec tunc ab ea recedendum est : quia etiam antequam sententia daretur in eum, pro qualitate reatus sui ligatus apud Deum tenebatur. Contingit aliquando &c.* ut in dialogo. Et postea : *Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat vel ligare. Is autem qui sub manu &c.* ut in ipso dialogo.

(6) Gratianus ita in eodem libro scripsisse dicitur 12. q. 1. c. 24. *Præcipimus.* par. 1. *Sed notandum est Episcopos orientales uxores habere & filios, quosdam autem ex nostris partibus, cùm in laicatu sive in minoribus ordinibus constituti habeant uxores & filios, sive morte uxoris interveniente, sive continentia pari voto servata, ad sacros ordines accedere. His omnibus conceditur habere propria ad suos & suorum usus. Qui autem ab infantia sacræ militiæ traditi sunt, nullo modo eis permittitur habere propria; quia nulla est eis*

excusatio proprietatis ; nisi fortasse retinendo sua, à sumptibus Ecclesiæ abstineant.

(7) Idem Gratianus ait in eodem libro 14. q. 1. c. 1. par. 1. *Prohibetur perfecto in judicio stare captando lucrum, sed non evitando damnum. Vel aliter. Aliud est sua possidere, aliud est communium procuratorem esse. Canonici non possident sua, quia res Deo oblatæ non sunt alicujus. Vtuntur enim rebus Ecclesiæ, non ut suis, sed tanquam ad dispensandum sibi creditis &c.*

(8) Verba etiam Gratiani sunt in eodem libro 16. q. 3. c. 15. *Placuit.* par. *præscriptionum : Bona verò fides non ad tractum medij temporis sed ad initium possessionis refertur. Sufficit enim in initio cuique bonæ fide possidere cœpisse, etiamsi medio tempore scientiam rei alienæ habuerit.* In margine est : *Al. conscientiam.*

(9) Hæc etiam in eodem libro ejusdem Gratiani verba sunt 22. q. 4. c. ult. par. *Vnde datur : Aliquando namque juramento deest justitia ; veluti cùm quispiam post votum castitatis ducit uxorem, juramento firmans nunquam se ab ea discessurum. quod quamvis illicitum sit, quia justitia sibi probatur deesse, tamen auctoritate Augustini servari præcipitur.* Et postea : *Est etiam id quod juratur aliquando vitiosum, non natura sui, sed ex causis extrà venientibus ; veluti cùm aliquis post votum castitatis jurat alicui se habiturum eam in conjugem. Conjugem namque habere, in se ipso malum non est : tamen hujus ex voto pernicioſum est. Hoc autem juramentum, etiamsi illicitum sit, non tamen servari prohibetur : sed de violatione voti pœnitentia sibi jubetur indici.* Et vers. *Ex modo : Veluti dum aliquis à parentibus coactus ut clericatus tonsuram vel religionis vestem suscipiat, se neutrum facturum juramento firmaverit. Hoc quamvis aliquibus videatur reprehensibile, quia opus charitatis juramento se non facturum promisit, nulla tamen auctoritate servari prohibetur &c.*

(10) Illa quoque Gratiani verba sunt in eodem libro 22. q. 5. in principio : *Quòd autem quinto loco quæritur, si licitum esset quod Archidiaconus juraverat, an Episcopus esset reus perjurij qui ad pejerandum*

Archidiaconum cogebat, facile potest discerni. Si enim consentiens pari pœna cum faciente puniendus est, multò magis ille qui cogit, reus admissi criminis probatur.

DE EADEM RE.

Dialogus decimusoctavus.

C. QUID illud est quod apud Gratianum legitur ex Nicolai responso ad consulta Bulgarorum: *A quodam Iudæo, nescitis utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis.* Quo pacto is qui Judæus erat potuit paganus esse, aut de eo quem certum erat Judæum esse dubitabatur num Christianus esset an paganus? A. Consuluisti fontes ejus capitis? Nuper enim prodierunt illa Nicolai responsa. C. Consului. Caput est centesimum quartum, non tertium, ut Democharis edidit. Varietas verborum nulla est, neque etiam apud Ivonem Carnotensem *a*. A. In libro Cæsaraugustano *b* inveni *A quodam viro*, pro *A quodam Iudæo*, scriptum. quod mihi vehementer placuit. Sunt qui putent illum Iudæum natione fuisse, non religione. C. Id mihi non fit verisimile. (1) Sed cur magis credendum est huic libro quàm fontibus ipsis? A. Quia non sunt ipsi fontes, sed fontium imagines. Idem de veteribus libris dicendum est. in quo plerique falluntur. Dum enim putant satis esse, si quid in veteri libro invenerint, referre, etiam ea quæ rectè edita sunt mutare au-

De consec. d. 4. c 24. A quodam.

a *Ivo lib. 1. tit. 2. c. 22. panorm. & part. 1. c. 148. decr.*
b *Cæs. lib. 12. c. 62.*

dent. Sed multò tutius est probare priùs omnia & cum priori & posteriori sententia conferre. Et quia de falsis inscriptionibus aliis diebus actum est, vide quid in hoc eodem
Cæs. li. 12. c. 9. libro Cæsarauguſtano & in alio veteri legi Syricio Papæ adscriptum : Vino ægrotum baptizari posse, modo in nomine Trinitatis baptizetur. C. Hoc Ecclesia catholica non recepit. B. Neque Syricius hoc unquam dixit, sed vanus aliquis semipaganus. Quid illud quod apud Ivonem *c* inveni ex Augustini libris *d* acceptum, *Concilium Sardicense Concilium Arianorum fuit?* A. Ego id non apud Ivonem solùm, sed etiam in aliis libris legi *e*; & aut Augustinum falso deceptum fuisse putavi, aut ea verba non esse Augustini. Et in Africa fuisse id Concilium non rejectum apparet ex Concilio Carthaginensi primo cap. v. *f* in quo sanctissimum Concilium appellatur; licèt sextæ synodi patres, in quibus ipse Aurelius Augustinus fuit, non adgnoverint duos esse ejusdem Concilij canones qui à Legatis Romanis Concilij Nicæni esse dicebantur. Mitto quòd in Corpore canonum & in omnibus Græcis & Latinis collectionibus Conciliorum habeantur, & in Leonis IV. epistula inter eos numerentur per quos judicant & judicantur Episcopi. (2) Sed quò progredimur? Redeamus ad Antonini notas. B. Non multa reliqua sunt. Quorum primum est de differentia ejus qui veterem hæresim defendit, & ejus qui novam suscitat. illum excommunicatum esse & suspensum ab

c *Ivo par. 4. c. 80. dec.*

d *Aug. contra Cresconium li. 3. & 4.*

e *Cæs. lib. 1. c. 47.*

f *Dist. 71. c. 6.* Privatus. *al.* Primatus.

Distin. 20. c. 1.

24. q. 1. in prin. & c. 4. Audivimus. *p. 1.*

executione ordinis & jurisdictionis, & sic neminem posse excommunicare; de alio Gratianus dubitat, quia toleratur & non reicitur ut excommunicatus, & sic valent ab eo gesta. Joannes & Antoninus omnes esse excommunicatos affirmant, & neminem posse excommunicare, licèt alia gerat dum toleratur. A. Non id apertè Gratianus dicit quod isti notant. Servandæ autem sunt Lucij tertij & Innocentij tertij constitutiones. (3) B. Quædam postea notat beatus Antoninus; sed oblitus est locum certum indicare in quo ea Gratianus scripserit. Sunt autem ea quæ refert distinctione quinquagesima, non in eadem illa caussa XXIV. in qua superiora continebantur. Quæritur de lapsis post baptisma in aliquod crimen & pœnitentibus, an possint ad ordines sacros & dignitates vel parochias promoveri, aut jam promoti permanere post crimina in eisdem & ad alia promoveri queant. Refertur Gratiani distinctio, ut si verè eos pœniteat, utrumque possint; si fictè, neutrum possint. Obicit hic noster exceptionem de his criminibus quæ inducunt irregularitatem. Neque enim pœnitere satis est, sed superioris dispensatio est necessaria. Alia distinctio Gratiani est, si crimina sunt occulta, tunc possint promoveri; si manifesta, non possint. Sed eodem modo addatur exceptio irregularitatis; & ex qualitate criminum cognosci poterit an requiratur dispensatio, & an dispensare debeat Episcopus vel Pontifex Romanus. A. Hoc ipsum Gra-

cap. Ad abolendam. *&c.* Excommunicamus. *De hæret.*

Dist. 50. *c.* 24. Sacerdos. *p.* Quomodo.

ca. 32. Presbyteros. *in fine. c. dist.*

tianus fateretur. (4) B. Capitale crimen extremo loco positum est adversùs Gratianum de pœnitentiis distin. 1. & ejus fratrem, ut vulgus putat, Petrum Lombardum, quem Magistrum sententiarum appellant. Ambo enim fratres quæstionem proponunt an sit necessaria oris confessio, quam sacramentalem vocant, ad remissionem peccatorum, vel sola contritio cordis & secreta satisfactio sufficiat, etiamsi copia vel facultas adsit Presbyteri. Neuter solvit quæstionem: immo Gratianus multis in utramque partem relatis ait: *Cui autem harum potiùs adhærendum sit, lectoris judicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.* Mox addit Theodori Cantuarienſis verba: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci: quidam verò sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia*, & quæ sequuntur. A. Cabilonensis Concilij secundi sub Carolo verba sunt cap. XXXIII. Referunt etiam Capitularia *g* & Burchardus *h* & Ivo *i*. Sed hi duo ut Gratianus. Capitularia & Concilia carent illis verbis, *ut Græci*; item illis, *ut tota ferè sancta Ecclesia*. Et Gratianus quæstionem aliis verbis proponit. Neque enim is illa addit, *cùm facultas adest Presbyteri*. Et cùm hæc quæstio ante Innocentij tertij in Concilio generali cap. XXI. constitutionem proposita fuerit, à beato Thoma & Antonino uterque frater crimine liberatur. non quòd sacramentum pœnitentiæ non sit à Christo institutum,

De pœnit. d. 1. c. 88. Quamvis. p. Quibus. & c. ult.

g Capit. lib. 7. c. 58. in addit.

h Burc. lib. 19. cap. 145.

i Ivo part. 15. c. 155. decret.

De pœnit. & remiss. c. Omnis.

cujus partes sunt contritio, confessio, & satisfactio, ut in Concilio Tridentino apertè definitum est; sed quo tempore confitendum esset sacerdotibus, hoc tum primùm declaratum est. B. Vis dicam quod sentio? A. Quid est, cur opus sit veniam petere? B. Tota hæc distinctio plus nocet nobis quàm prodest. Malè autem inserta sunt hæc, ut quæstio tertia caussæ XXXIII. & postea aliæ quæstiones & caussæ additæ. Præstitisset de pœnitentiis post omnes causas ante tractatum de consecratione conscribere. A. Sunt qui putent hos duos tractatus non esse Gratiani, quamvis Gratianus ipse aliquot locis, in caussis, eorum faciat mentionem, & in quibusdam libris non esse distinctos capitibus separatis. Numeris autem capitum certum est nullum Gratiani volumen fuisse distinctum ante Contianam editionem. C. Cur tu eos numeros non sequeris, sed aliam rationem? A. Ego numeros addidi ante eam editionem; neque divinare potui quid in ea scripturus esset Contius. Varietatis caussa est, quòd ille caput secundum appellat quod ego primum esse puto. Principium enim quæstionis primum caput appellare nolui, quotiens verbis Gratiani constat. Est etiam alia varietatis caussa in capitibus Paleæ nomine adscriptis, quæ ab eo nonnunquam omittuntur, aliquando numerum augent. Sed quid Romani selecti viri de hac prima distinctione statuunt? B. Hæc verba in scheda inveni: *Tractatus hic de pœnitentia non videtur esse Gratiani, sed*

alicujus paullò antiquioris ; & totus huc videtur translatus ; deéstque in exemplaribus antiquis. A. Non esse antiquioris Gratiano apparet , quia multa ex Digestis adfert & ex aliis libris juris civilis , quæ omnia sunt Gratiani tempore quasi postliminio restituta. B. Nimius est in his referendis & valde ineptus. Sed alia verba referam selectorum virorum. Verbis Gratiani in extrema hac distinctione *Cui autem harum &c.* hæc adscribi jusserunt: *Errat in hoc Gratianus. Et non est dubitandum quin peccata mortalia , quantumcumque occulta , sacerdoti secretò sint confitenda ; & nullus defendit alteram opinionem , quam quisque voluerit.* Item verbis Theodori vel potiùs Concilij Cabilonensis alia addunt. Cùm enim ita scriptum sit , (*Confessio itaque quæ soli Deo fit , quod est justorum , purgat peccata. Ea verò quæ sacerdoti fit , docet qualiter ipsa purgentur peccata.*) adiciunt Romani : *Non docet , sed efficit veram purgationem ; & sacerdos tanquam Dei minister verè purgat à peccatis. Et glossa in verbo* docet *errat dum ait : Hoc est signum sacerdoti quòd peccata dimittuntur confitenti per contritionem. Nam verè dimittuntur per absolutionem sacerdotis. Et falsum est quòd ipsa absolutio sit signum remissionis , cùm sit caussa efficiens remissionis.* Illud etiam mutant quod in eodem capite dicitur : *Deus namque salutis & sanctitatis auctor. sanitatis auctor* scribendum censent. & postea , *hanc suæ potentiæ medicinam , non suæ pœnitentiæ.* utrumque ex Conciliis ; nisi

c. ultim. de pœn. d. 1.

quòd illic vox *medicinam* omittitur, quæ neque in Capitularibus est neque apud Burchardum & Ivonem. (5) A. Súntne alia in eadem distinctione animadversa? B. Capite sexto, cujus initium *Si quis non dicam*, addunt: *Valde alienæ sunt hæ leges à disputatione de pœnitentia.* & capite XXXII. extremo: *Gratianus, vel quicumque est auctor hujus tractatus, ostendit se non rectè sentire de confessione sacramentali; cùm tamen hoc sit certum, quòd dum adest facultas sacerdotis, quodvis peccatum mortale debemus ei secretò confiteri. Et quia Gratianus sæpe repetit hujusmodi errorem, fiat hoc loco notatio.* A. Si vox *debemus* consilium significat, nihil Gratianum lædit hoc consilium: si præceptum, non semper verum esse alij dicent, sed certis casibus, putà mortis, vel periculi, vel ante eucharistiæ sumptionem. Alio tempore servanda est constitutio Innocentij tertij; & ei qui eam observaverit satis est si propositum habeat confitendi tempore debito, cum contritione præsenti, ut docet Antoninus tuus post beatum Thomam. (6) B. Notantur etiam alia Gratiani verba capite XXCVI. *Unde evidentissimè datur intelligi quòd sine confessione oris peccata possunt deleri.* Falsum est, inquiunt, hoc inde probari. Et postea: *Latentia verò peccata non probantur sacerdoti necessariò esse confitenda & ejus arbitrio expianda.* Non rectè, inquiunt, loquitur. & cap. XXX. *Luce clarius constat &c.* (7) Capite XIX. (cujus initium, *Aut facta*) mendum in illis ver-

De pæn. d. 1. cap. 6. Si quis.

c. 32. Faciliùs. *p.* Hoc idem. *e. d.*

c. 86. Quis aliquando. *p.* Econtra auctoritas. *d. p.* Latentia. *& c. 30.* Si cui. *in fine e. dist.*

c. 19. Aut facta. *e. d.*

bis est: *Tempus discernit emansorem à furtivo.* Scribendum enim est *fugitivo* ex Pandectis. (8) Sed melius est ordine librorum Gratiani de ejus erroribus agere. A. Id in alium diem differamus. Hoc tantùm admoneo, superioribus Antonini locis exstare Philini triginta ferè notata loca, quibus Gratianus ab glossis, ut vocat, reprehendit. (9)

Philin. in c. Ex parte. 2. *ver.* Leges insertæ *nu.* 41. *prope fin. de rescript.*

ADDITIONES.

(1) DE consecrat. distin. 4. cap. 24. in Romano libro inscriptio est: *Item Nicolaus ad consulta Bulgaror. c.* 104. *A quodam Iudæo nescitis, utrum Christiano, an pagano &c.* In margine hæc sunt: *Sent. 4. dist. 3. Alger. l. 3. c. 6. Ivo p. 1. c. 148. Pann. l. 1. c. 29.* Et in Notis: *Iudæo*] *Apud Algerum est*, ut audio. *Verùm in originali post hoc caput sequuntur verba hæc:* Sed primùm, utrum Christianus an paganus ipse Judæus extiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum est, *Ipse vir* pro *ipse Iud.* scribo.

(2) Distin. 71. c. 6. in eodem libro inscriptio est: *Item ex Concilio Carthagin. 1. c. 5. Primatus Episcopus Vegesselisitanus dixit &c.* In margine est: *Burc. l. 2. c. 43. Ivo p. 6. c. 144. Ans. l. 6. c. 124. Primatus*] *Al. privatus.* Scribo, *Privatus.*)

(3) Gratiani verba sunt in eodem libro 24. q. 1. in principio: *Quòd autem ab hæretico aliquis deponi aut excommunicari non possit facilè probatur. Omnis enim hæreticus aut jam damnatam hæresim sequitur, aut novam confingit. Qui verò hæresim jam damnatam sequitur, ejus se participem facit &c.* Et cap. 4. *Audivimus.* par. 1. *Sin autem ex corde suo novam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare cœpit, nemine damnare potuit: quia nec potest dejicere quem quam jam prostratus &c.* In Notis est: *Sin autem*] *Non defuerunt qui crederent hæc quoque esse Alexandri. Sed apud Ivonem & in Pannormia non haben-*

tur; & in vetustis Gratiani codicibus hic est ea nota quæ solet apponi verbis Gratiani. Et est secundum membrum divisionis in ipso quæstionis principio à Gratiano propositæ; omninóque & stylus & quæ dicuntur ad id confirmandum concurrunt.

(4) Hæc etiam sunt in eodem libro Gratiani verba distin. 50. c. 24. *Sacerdos.* par. 1. *Sunt quidam quos non odium criminis, sed timor utilitatis, & amissio proprij gradus, & ambitio celsioris ad pœnitentiam cogit. Hos sacri canones irrecuperabiliter (al. irreparabiliter) dejiciunt &c.* Et cap. 32. *Presbyteros.* in fine. e. dist. *Possunt & aliter distingui præmissæ auctoritates. Quorum enim crimina manifesta sunt ante vel post ordinationem, à sacris ordinibus dejiciendi sunt. Quorum autem peccata occulta sunt, & satisfactione secreta secundùm sacerdotis edictum purgata, in propriis ordinibus remanere possunt.* In margine est: *Raba. pœn. c. 1.*

(5) Initio tractatus de pœnitentia in Gregoriana editione scriptum est: *Quæstio tertia* (causæ XXXIII.) Et in margine est: *TRACTATVS de pœnitentia.* Et mox Gratiani verba sunt: *His breviter decursis, in quibus extra negotij finem aliquantulum evagati sumus, ad propositæ causæ tertiam quæstionem pertractandam (qua quæritur, Vtrum sola cordis contritione & secreta satisfactione absque oris confessione quisque possit Deo satisfacere] redeamus &c.* Ad vocem *Vtrum* est in margine additum: DISTINCT. I. Et in Notis: *Gratianus ad explicandam hanc tertiam quæstionem multa attulit. Quam perlongam tractationem, qui eum secuti sunt, in septem distinctiones divisérunt. In antiquioribus enim exemplaribus nulla est distinctionum separatio; in aliquibus verò in margine tantùm est:* Distinctio prima, secunda, &c. *Vtrum sola] Hæc conjungenda sunt cum superioribus, quemadmodum in pervetustis sunt conjuncta. ab illis enim pendent.* Ante caput extremum ejusdem distin. 1. hæc Gratiani verba sunt: *Quibus auctoritatibus vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potiùs adhærendum*

sit, lectoris judicio reservatur. Vtraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros. Vnde Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus ait in pœnitentiali suo: Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam verò sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia &c.] In Notis hæc sunt: *Lectoris judicio*] *Certissimum est & pro certissimo habendum, peccati mortalis necessariam esse confessionem sacramentalem, eo modo, eo tempore adhibitam quo in Concilio Tridentino post alia Concilia est constitutum.* Extremo capiti hæc adduntur in Notis: *Burchardus etiam & Ivo caput hoc citant ex pœnitentiali Theodori. In Capitularibus adjectis cap. 58. hæc leguntur:* Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam verò sacerdotibus confitenda esse percensent. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam &c. *In Concilio Cabilonensi 2. c. 33. eadem ferè habentur, addita ad initium voce* Quia *& nonnullis aliis in extrema clausula, quæ notabuntur.* Ut Græci] *Hæc verba, itémque illa,* ut tota ferè sancta Ecclesia, *& illa* & hoc perfectorum est, *& illa* Quod est justorum, *absunt, quemadmodum à Capitulari, ita etiam à Concilio.* In margine hæc sunt: *In Capitul. adjectis c. 58. In Cabil. Conc. 2. c. 33. Burch. l. 19. c. 145. Ivo p. 15. c. 155.* Ad illa verba *Sed tamen Apostoli &* additur in margine: *Et secundùm Apostoli institutionem confiteamur. Iac. 5.* Et in Notis: *In Capitulari & Concilio pendet adhuc oratio, & priori illi membro* ut & Deo &c. *redditur nunc alterum membrum his verbis,* & secundùm Apostoli institutionem &c.] In scholio: *Docet*] *id est. Hoc est signum sacerdoti quòd peccata dimittantur confitenti per contritionem.* Additur in margine: *Immo docet ordinarium purgandi modum esse per sacerdotis absolutionem. Deus enim, ut continuò subjungitur, sanitatem largitur plerunque medicorum operatione.* Operatione, *inquit,* non ostensione.] Ad vocem *sanctitatis* additur in margine: *Al. sanitatis.* In eodem extremo capite est: *plerunque hanc præbet suæ pœnitentiæ medicinam invisibili administratione, plerunque medicorum operatione.* In

Notis

Notis est: *Suæ pœnitentiæ medicinam*] *In Concilio atque apud Burchardum & Ivonem legitur* suæ potentiæ. *A Capitulari autem (prout ex ipsius lectione animadverti potest) totum istud primum abest periodi membrum.*

(6) Capite sexto *Si quis non dicam.* ejusdem distin. 1. in eodem libro non sunt verba ex scheda selectorum virorum relata. Nihil etiam additum est cap. 32. *Facilius.* in fine.

(7) Quod dicitur apud Gratianum cap. 87. Romanis, c. dist. 1. cujus initium *Quis aliquando.* par. *E contrà auctoritas.* his verbis notatur: *Vnde evidentissimè datur intelligi quòd sine confessione oris peccata possunt deleri.* In Notis est: *Vnde evidentissimè*] *Loquitur ex persona adversam partem substinentis. Verè enim ex illis auctoritatibus non hoc colligitur. Qui enim sacerdoti tanquam Deo confitetur, is minimè dicitur se apud alios accusare, sed potiùs, nescientibus aliis, seipsum punire &c.* Ad vers. *Latentia verò peccata.* nihil additur. Nihil etiam additur cap. 30. *Si cui.* vers. *Luce clariùs constat.*

(8) Inscriptio capitis 19. *Aut facta.* c. dist. in eodem libro hæc est: *Vnde in Digestis tit. de pœnis.* In margine est: *Ibid. le.* 16. (hoc est, lib. 48. Digest. tit. 19.) Ad illa verba, *Tempus discernit emansorem à furtivo,* additur in Notis: *Furtivo*] *In aliquot vetustis codicibus & originali est* fugitivo. *sed ob glossam non est emendatum.* Ad illa verba, *Eventus spectatur, ut à clementissimo,* additur: *Clementissimo*] *Sic emendatum est ex pandectis Florentinis, cùm antea legeretur,* dementissimo. *Quod in Basilicis lib. 60. tit. 52. l. 16. sic explicatur:* Vir clemens, nec seditiosus &c.

(9) Verba Philini sunt. Gratianum improbat.

Glossa in prin. dist. 13.

Gl. 2. in prin. dist. 18.

Gl. ult. in c. *De Syracusanæ.* (13.) dist. 28.

Gl. in c. *Cenomanensem.* (13.) par. *Cùm ergo.* ver. *de fornicatione.* dist. 56.

§. Gl. in c. *Statuimus.* (8.) p. *His omnib.* dist. 61.

Gl. in c. *Valentinianus.* (3.) ver. *electus.* dist. 63.

Gl. un. in c. *Scire.* (8) p. *necessario.* & c. seq. dist. 76.
Gl. 2. in c. *Sicut Christus.* (75.) 1. q. 1.
Gl. ult. in c. *Cùm scriptura.* (83.) 1. q. 1.
Gl. in c. *Quòd quidam.* (97.) p. *Opponitur.* ver. *potestas.* & ver. *potestatem.* c. q. 1.
Gl. in c. *Etsi illa.* (23.) & gl. 2. in p. *Breviter.* 1. q. 7.
Gl. 3. in c. *Euphemium.* (7.) p. *Hinc colligitur.* ver. *infamem.* 2. q. 3.
Gl. in c. *A judicib.* (33.) p. *Quod de arbitris,* ver. *valebit.* 2. q. 6.
Gl. in c. *Ei qui.* (41.) p. *Nullus.* ver. *in notoriis.* 2. q. 6.
Gl. in c. *Si testes.* (3.) p. *Soli testes.* ver. *instrumentis.* 4. q. 3.
Gl. in c. *Nullus.* (2.) p. *Aliquando.* ver. *per officiales.* 4. q. 4.
Gl. in c. *Testimonium.* (9.) p. *Nec honore.* ver. *jurejurando.* 11. q. 1.
Gl. in summa. 12. q. 1.
Gl. in c. *Præcipimus.* (24.) p. *Cùm ergo.* ver. *Sed notandum.* c. q. 1.
Gl. in c. pen. p. *Si ergo.* ver. *hoc meum.* c. q. 1.
Gl. in c. *Non sanè.* (15.) ver. *patrocinium.* 14. q. 5.
Gl. in c. *Si quis.* (29.) p. *Qui autem.* ver. *repetundarum.* 17. q. 4.
Gl. in c. *Si illic.* (29.) p. *Sed objicitur.* ver. *Achab.* 23. q. 4.
Gl. 1. in c. *Sic quippe.* (45.) p. *Ex his,* 17. q. 2.
Gl. in c. *Si quis.* (24.) p. *Quamvis.* ver. *Illud verò.* 32. q. 7.
Gl. in c. *Omnis.* (37.) p. *Alij è contrario.* de pœn. d. 1.
Gl. in c. *Quis aliquando.* (87.) p. *E contrà.* ver. *confitemini.* c. dist. 1.
Gl. in c. *De quarta.* ver. *quadragenaria.* de præscr.

DE ERRORIBUS QUIBUSDAM & mendis Gratiani in distinctionibus.

Dialogus decimusnonus.

B. QUOTIENS in manus meas Gratiani liber venit, venit autem infrequens, totiens me à legendo deterret initium. *Humanum genus duobus regitur, naturali videlicet jure, & moribus. Jus naturale est quod in lege & evangelio continetur.* His addit multa ex Isidoro sumpta in etymologiis, quæ etiam huic divisioni repugnant, ut illud: *Fas lex divina est, jus lex humana. Omne autem jus legibus & moribus constat. Jus autem naturale est aut civile, aut gentium. Jus naturale est commune omnium nationum.* Id melius jus gentium dixisset. Sic enim postea definit: *Jus gentium appellatur, quia eo jure omnes ferè gentes utuntur.* Quasi verò jus omnium nationum naturale sit; omnium verò gentium, jus gentium. quo nihil ineptius inveniri potest. At hic noster jus naturale dixit quod in lege & in evangelio continetur. (1) A. Non quidquid in Moysis lege & in evangelio continetur, id jus naturale Gratianus appellat; sed vel de decalogo intelligi debet, vel de eo quod sequitur, cùm *quisque jubetur facere alij quod sibi vult fieri.* Sed age, videamus quid in prima distinctione Romani notant. B. Quod capite septimo in

Vide dist. 5. in prin. & dist. 6. in fine.

cap. 7. Jus naturale. distinct. 1.

juris naturalis exemplis positum est, *liberorum successio, & puerorum educatio*, illi scribendum ex veteribus Isidori & Gratiani libris censent, *liberorum susceptio & educatio*. A. Id aptius est ut post viri & feminæ conjunctionem scribatur, & in jure civili ita esse existimo: Hinc liberorum procreatio, hinc educatio. (2) B. Capite XII. dicitur: *Jus Quiritium est propriè Romanorum, quod nulli tenent nisi Quirites*. Illi scribunt, *quo nulli tenentur nisi Quirites*, ex veteribus libris. Et quod postea sequitur: *In quo agitur de legitimis hereditatibus, vel curationibus, vel de contractibus*, ita mutant ut Contius admonuit. Delendum enim est hoc membrum, *vel de contractibus*. & pro *curationibus, cretionibus* est scribendum. A. Hoc etiam confirmatur veteribus libris; & Isidorus ipse notat quid cretio sit, post Ulpianum in fragmentis libri singularis regularum. (3) B. Initio distinctionis quintæ in illis verbis, *Nunc autem ad doctrinam naturalis juris & ceterorum revertamur, differentiam* pro *doctrinam* aptiùs scribunt. Multa verò in hac quinta & in sexta distinctione dicuntur quæ meliùs in alium locum Gratianus reservasset. Quod his verbis Romani notant: *Visum fuit Doctoribus ut distinctio hæc sexta, quamvis superioribus partim cohærere videatur, atque extra rem hoc loco posita sit à Gratiano, neque tollatur, neque in alium locum tranferatur. Hoc idem placuit congregationi generali. Scopus enim est hoc opus corrigere & supplere quæ desunt Gratia-*

c. ult. e. distinct.

Distin. 5. in prin.

no, non decurtare. Mihi verò faciliùs omnia sanare in animo est. C. Quo tandem pacto? B. Una litura, ut ille noster ait. A. Jocaris tu quidem, ut soles. Sed quid de septima distinctione habes dicere? B. Permulta. Principio selecti viri notant neque Solonem primum Athenienſibus neque Trimegistum Ægyptiis leges tradidisse. De Solone aperta res est, cùm Draco legislatòr eo fuerit antiquior. De Trimegisto videndus Cicero lib. III. de legibus, & Lactantius lib. I. cap. VI. Institutionum. Item de nominibus Decemvirorum, qui XII. tabulas scripserunt, quæ referre Gratiano minimè fuit necesse, placuit illis patribus ut cum Fastis Capitolinis conferrentur. Quod verò sequitur, *Novæ autem leges à Constantino Cæsare cœperunt*, & quæ postea de Codice Theodosiano scribuntur, Isidori & Gratiani ignorantiam detegunt. Cùm enim potuissent in libris Justiniani certiora de origine juris & de tribus illis veteribus Constitutionum libris & quarto Justinianeo atque de Novellis tam ejusdem Imperatoris quàm superiorum referre, hæc sola posteris reliquerunt quæ, ut Contius notat, in Alarici breviario continebantur. A. Quæ de Constantino dicuntur, accepta esse arbitror ex Theodosij Novella Constitutione *a*. Isidorum jus civile hoc à Justiniano editum ignorasse crediderim; à Gratiano video in hoc isto libro multa referri ex Digestis & Constitutionibus multorum Imperatorum. Et potuit ex Ivonis Panormia *b*, cujus mihi habuisse cognitio-

Dist. 7. *c.* 1.

Ibid. c. 2.

a *Nov Theod. & Valent.* 1.

b *Ivo li.* 2. *tit.* 12. *c.* 7. 8. & 9. *panorm.*

nem videtur, hoc ipsum de Justiniano referre, quod etiam scriptum scio in excerptionibus Ivonis *c* & in libro Cæsarauguſtano *d* ex historia Pauli Diaconi & Anastasij Bibliothecarij. (4) Dic nunc de distinctione octava, si quid est nota dignum. B. Capite primo *e* mendosum est illud: *Vultis ut reticeamus leges, ut gaudeatis? Recitemus* enim scribendum est, ut est apud Augustinum & Ivonem *f* & Anselmum *g*. (5) Capite quarto *h* pro illis verbis *Planè quis dubitet veritati manifeste consuetudinem cedere*, scribendum *veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere?* Respondent enim verbis illis impugnantium Augustinum: *Veritate manifestata, cedat consuetudo veritati.* Quæ omnia non rectè Ivo edidit in Panormia, in excerptionibus vero rectè *i*, item liber Cæsarauguſtanus *k*. (6) Sequitur caput quintum, quod aliis sextum esse placuit; quod caput primum est eorum quæ Petrus Ciaconius ad te misit. Incidi enim nuper in eum indicem incertorum capitum Gratiani, quorum numerus est ferè DCC. A. Rem mihi pergratam feceris si de his quoque locutus fueris. B. Nihil planè eram dicturus, nisi cum illo indice, quid tu rescripsisses, inveniissem. Illud igitur caput Gregorio Papæ ad Guillimundum Aversanum Episcopum inscribunt Ivo in Panormia *l* & Gratianus, Gregorio VII. ad Vvimundum Aversanum Episcopum idem Ivo in excerptionibus *m*, Augustino Democharis & alij non rectè. Romani in veteribus libris Gra-

c *Ivo par.* 4. *c.* 170. *&* 171. *&* 172. *decr.*
d *Cæs. libr.* 2. *c.* 31. *&* 32.

e *Dist.* 8. *c.* 1.

f *Ivo par.* 3. *c.* 194. *decr.*
g *Ans. lib.* 12. *c.* 57.
h *c.* 4. *veritate dist.* 8.

i *Ivo lib.* 2. *tit.* 12. *cap.* 29. *panorm. & par.* 4 *c.* 208. *decr.*
k *Cæs. lib.* 1. *c.* 17.

e. 5. *Si consuetudinem. e. d.* 8.

l *Ivo libr.* 2. *tit.* 12. *c.* 30. *pan.*
m *Idem par.* 4. *c.* 213. *decret.*

tiani Gregorio VII. adscriptum referunt. Id igitur tantisper retineamus, quoad certiora inveniantur. (7) A. In nona distinctione scio esse quædam verba Augustini malè accepta. B. Capitis quinti initium est: *Ego solis eis scriptorum, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre.* Ivo in Panormia ita scribit: *Ego solis illis scripturarum libris qui jam &c.* In excerptionibus Gratiani scripturam confirmat. *eorum* pro *eis* habet liber Cæsarauguſtanus *n*. cetera ut Gratianus. Romanis placet: *Ego solis eis scripturarum libris*, aut *eis scriptorum libris*. Et postea pro illis, *audeam credere*, malunt, *firmissimè credam*. quod etiam habent Ivo & liber Cæsarauguſtanus. In extremo capite, in illis verbis, *non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores vel canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non abhorret, persuadere potuerunt.* Romani mutant: *sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabiles &c.* & *abhorreat* pro *abhorret*. quod postremum in Panormia est. sed non *canonicos* illic est, sed hoc: *vel per illos auctores & canonicas*. in excerptionibus est Romanorum scriptura. In libro Cæsarauguſtano: *sed quia mihi vel per alios auctores & canonicas &c. abhorreat*. In libro beati Augustini est: *vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione &c.* (8) Capite nono editum est: *primòque hoc genus litterarum ab auctoritate canonum distinguendum est*. Ex Augustino scribendum: *primò*

Dist. 9. c. 5. Ego.

Ivo lib. 2. tit. 11. c. 32. panorm. & par. 4. cap. 74. decr.

n *Cæs. lib. 1. cap. 8.*

c. 9. Noli. *d. 9.*

quia &c. & *canonis* pro *canonum.* sic enim divinas scripturas appellare solet, non canones. A. Sic etiam Ivo *o* & Deus-dedit *p* & liber Tarraconensis *q* ediderunt. (9) B. Capite primo distinctione duodecima *r duorum heroum* scribendum censent pro *duorum horum*, ex Nicolai epistula quæ exstat ad Episcopos qui apud Convicinium villam publicam secus civitatem Silvanectis in Concilio convenerunt, & ex Anselmo Lucensi *s.* (10) Incerta capita sunt sex. Primum Felici adscribit Gratianus *t* post Anselmum *u*, quidam Felici tertio. (11) Secundum Leoni IV. ad Lotharium Augustum Ivo *x* & Gratianus *y* & liber Cæsaraugustanus *z*, cujus verba mendosa videntur: *De Capitulis vel Præceptis imperialibus vestris vestrorúmque etiam Pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis.* A. Vox *Pontificum*, aut vox *prædecessorum*, supervacanea est. Agitur enim de Capitulis sive Capitularibus Imperatorum, quæ Lotharius postulabat à Pontifice Romano servari. Quamobrem omissa voce *Pontificum*, rectè dicetur, *vestrorúmque prædecessorum.* Si verò vox *Pontificum* retineatur, de Pontificibus, hoc est, Episcopis, intelligi oportet, qui Capitularia in synodis cum Imperatoribus fecerunt. vox *prædecessorum* omitti debet. B. Utraque vox est apud Ivonem & in libro Cæsaraugustano. Sed varietas est in illis verbis, *vestris vestrorúmque etiam.* Est enim in Panormia *nostris nostrorúmque*; & in excerptionibus, *vestris nostro-*

o *Ivo par.* 4. *c.* 236. *decret.*
p *Deus-dedit c.* 2.
q *Tarr. libr.* 1. *c.* 143.
r *Dist.* 10. *c.* 1.
s *Ans. lib.* 12. *c.* 34.
t *Dist.* 10. *c.* Certum.
u *Ans. lib.* 4. *c.* 11.
x *Ivo lib.* 2. *tit.* 12. *c.* 12. *panor. & par.* 4. *c.* 176. *dec.*
y *c.* 9. De capitulis. *d.* 10.
z *Cæs. libr.* 1. *c.* 61.

rúmque etiam; in Cæsarauguſtano, *veſtris noſtrorum &c.* Romanis placet, *veſtris noſtrorúmque Pontificum prædeceſſorum.* Sed vidi manu Petri Ciaconis ſcriptum: *veſtris veſtrorúmque prædeceſſorum.* A. Id igitur teneamus, quoad fontes aperiantur. (12) C. Cur addit Contius, *Sedit hic Leo hujus nominis primus Ludovici Pij filius &c. ſub Michaële Orientis & Lothario Occidentis Imperatoribus,* cùm neque hic Leo primus ſit, ſed quartus, neque aliquis eorum fuit Ludovici filius? B. Nunquam id Contius ſcribi juſſit, ſed librarij culpa eſt. Nam quæ erant Lotharij, dedit Leoni. Hic Lotharius primus fuit, Ludovici filius, Caroli nepos. Mox de Leone alia dicuntur perperam edita. Minùs probo quod capite proximo ait, Joannem VII. fuiſſe feminam. Sunt alia nonnulla in hoc libro quæ Contij famam lædunt, de quibus aliàs. Tertium caput Joanni VIII. ad Ludovicum Imperatorem adſcribit Ivo *a* & quidam veteres libri apud Contium, Joanni VII. Gratianus *b*. Ivoni autem magis credere debemus, quia prior fuit, & quia plura verba ex eadem epiſtula adfert, quæ idem Gratianus *c* Joanni VIII. adſcribit, item Ivo *d* in epiſtulis. (13) Quartum caput Gelaſio Papæ ad Rufinum & Aprilem Epiſcopos adſcribunt Ivo *e* & Gratianus *f* & liber Cæsarauguſtanus *g*. Scribendum verò eſt, *Quis aut leges*, non, *Quis autem leges.* Item *admonitiones paternas*, non *modernas.* (14) Quintum eidem Pontifici ad Theodoricum

a *Ivo par.* 4. *c.* 230. *& par.* 6. *c.* 115. *decret.*
b *c.* 10. Vides. *d.* 10.
c *Diſt.* 86. *cap.* 3. Facientis.
d *Ivo epi.* 71. *vel* 38. *Decano Belvacen.*
e *Ivo libr.* 2. *tit.* 12. *c.* 3. *pan. & par.* 4. *c.* 179. *& par.* 6. *cap.* 104. *decr.*
f *c.* 11. Quis autem. *d* 10. *& d.* 54. *cap.* 11. Quis aut.
g *Cæſ. lib.* 1. *c.* 55.

Regem iidem tres adscribunt Ivo *h* & Gratianus *i* & Cæsarauguſtanus liber *k*. (15) extremum, Auguſtine, mihi concede laborem. De extremo capite dicendum eſt, quod eſſe Leonis quarti dicitur ad Lotharium Imperatorem, quod latiùs Ivo *l* refert quàm Gratianus. Conjungi autem poſſunt eadem verba cum verbis capitis IX. hujus diſtinctionis decimæ, de quo antea diximus, & cum capite XVI. & XXXI. diſtinctionis LXIII. *m* quamvis hæc duo ad Lotharium & Ludovicum Auguſtos inſcribantur. Hæc de ſex incertis capitibus hujus diſtinctionis. (16) A. Placet mihi tuum conſilium, ut hic tuus ſit hujus diei labor extremus.

h *Ivo d. tit.* 12. *c.* 14. *panor. & d. par.* 4 *c.* 180. *decr.*

i *c.* 12. Certum. *c. d.* 10.

k *Cæſ. d. li.* 1. *c.* 56.

l *Ivo d. tit.* 12. *c.* 15. *pan. & d. par.* 4. *cap.* 181. *decr.*

m *Diſt.* 63. *c.* 16. Reatina. *&* 31. Inter nos.

ADDITIONES.

(1) HOc eſt initium Gratiani voluminis in editione Gregoriana: *Concordia diſcordantium canonum. Ac primùm de jure divinæ & humanæ conſtitutionis. Diſtinctio prima. Humanum genus duobus regitur &c.* ut in dialogo. In Notis hæc ſunt: *Ac primùm*] *Hoc loco in manuſcriptis codibus magna eſt varietas. Nam partim nulla eſt hoc loco inſcriptio; partim verò legitur:* De jure ſcripto & non ſcripto, & quod cui præponatur, & legum auctoribus, & duorum malorum electione, ſive diſpenſatione. *Aut:* Ac primùm de jure conſtitutionis naturæ divinæ & humanæ. *Aut:* De jure naturæ, & humanæ conſtitutionis. *quam Dominicus de Geminiano agnoſcit, & extat in nonnullis antiquioribus editionibus. Aut:* De jure naturæ, & conſtitutionis. *quæ inſcriptio maximè videtur convenire tractationi Gratiani, qui ſæpe ad hæc capita revertitur, ut initio diſtin.* 5. 7. 8. 15. & 11. *q.* 1. *c.* Si quæ cauſæ, *hunc totum locum indicans*

scribit: Require in principio, ubi differentia signatur inter jus naturale & jus constitutionis. *Veruntamen in hac tanta varietate, quæ, ut aliæ conjecturæ mittantur, argumento esse potest nullam hic à Gratiano ipso positam esse rubricam, satis visum est, retenta vulgata lectione, ceteras indicare.* Distinctione quinta in principio hæc verba sunt: *Nunc ad differentiam naturalis juris & ceterorum revertamur &c. Sed cùm naturale jus in lege & evangelio suprà dicatur esse comprehensum &c.* In Notis est: *Nunc ad differentiam*] *In vulgatis legebatur*, Nunc autem ad doctrinam. *Emendatum est ex vetustis codicibus & ex principio dist. 15. ubi hoc repetitur.*

(2) Verba capitis 7. distin. 1. cujus initium, *Ius naturale*, in eodem libro hæc sunt: *ut viri & feminæ conjunctio, liberorum successio, & educatio &c. item depositæ rei vel commendatæ pecuniæ restitutio &c.* In Notis est: *Successio*] *In tribus codicibus manuscriptis Isidori & aliquot Gratiani legitur*, liberorum susceptio & educatio. *quæ lectio convenit cum l. 1. ff. de just. & jur. vers. hinc descendit.* Ad vocem *commendatæ* additur in margine: *Al. commodatæ restitutio.*

(3) Capitis extremi ejusdem distinctionis primæ in eodem libro verba sunt: *Ius Quiritum est propriè Romanorum; quod nulli tenent nisi Quirites, id est, Romani. In quo agitur de legitimis hereditatibus, de cretionibus, de tutelis &c.* In Notis hæc sunt: *Cretionibus*] *Antea legebatur*, vel curationibus, vel de contractibus. *Emendatum est ex codicibus Isidori tam impressis quàm manuscriptis. Quid autem sit cretio, declarat Vlpianus in suis titulis c. 22. & ipsemet Isidorus in eodem lib. 5. etymo. c. 24.* In margine est: *Alciatus 3. disjunct. c. 7.*

(4) Nihil eorum quæ dicuntur addita fuisse à selectis viris dist. 6. in editione Romana invenitur. Fieri autem potuit ut ea postea improbata sint. Sic etiam dist. 7. c. 1. & 2. nihil in Notis adscriptum est. Quædam tamen nomina Decemvirorum sunt mutata. non rectè autem *Curatius* pro *Curiatius* scribitur. De voce *differentiam* pro *doctrinam* diximus in additione prima, in fine.

(5) Distin. 8. cap. 1. in eo libro inscriptio est: *Vnde Augustinus ait tract. 6. ad c. 1 Ioannis. Quo jure defendis villas Ecclesiæ? divino, an humano? &c.* In margine est: *Ansel. l. 12. c. 62. Ivo p. 3. c. 194. Pann. l. 2. c. 63.* In Notis: *Ecclesiæ] Hæc dictio non est apud beatum Augustinum. Nam ibi agit contra Donatistas, qui legibus Imperatorum villas sibi ademptas & Ecclesiæ catholicæ attributas esse querebantur. Quare cùm Donatistæ dicerent* villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt, *ut eos ipse convincat nullum jus in illis habuisse aut habere, quibusdam præpositis, addit ista*: Quo jure defendis villas? divino &c. Et *infrà* 11. *q.* 1. *c.* Si quæ causæ. *ubi Gratianus citat initium hujus capitis, ista dictio* Ecclesiæ *non habetur. Est tamen apud Anselmum, Ivonem, & in Pannormia locis indicatis. Tolle*] *Quoniam glossa obstitit ne omnia emendarentur, aut adderentur quæcumque addenda videbantur, placuit integrum apponere locum beati Augustini. Apud ipsum igitur, post verbum* humano *antecedentis paragraphi hæc sequuntur:* Vultis legamus leges Jurisperitorum &c. vultis recitemus leges, ut gaudeatis quia vel unum hortum habeatis &c.

(6) Verba capitis quarti ejusdem distin. 8. in eodem libro hæc sunt: *Item Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas c. 6. Veritate manifestata, cedat consuetudo veritati; planè respondeo, quis dubitet veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere.* In margine hæc sunt: *Sub persona Liboſi Vagensis.* Et: *Ivo par. 4. c. 208. Pann. l. 2. c. 165. infrà ead. c.* Qui contempta. *Et vers.* Item. Nemo. *additur in* margine: *Ibid. c. 8. sub persona Felicis à Bustacensis.*

(7) Inscriptio capitis 5. ejusdem distinctionis est in eodem libro: *Item Gregorius Vvimundo Aversano Episcopo. Si consuetudinem fortassis opponas &c.* Et in margine est: *Al. Guitmundo.* Et: *Ivo p. 4. c. 213. Pann. l. 2. c. 166.* Et in Notis: *Gregorius.*] *In aliquot manuscriptis & apud Ivonem est,* Gregorius VII. *Et in hujus pontificatu Guitmundus Aversanus Episcopus scripsit de corpore & sanguine Domini contra Berengarium. qui liber extat.*

(8) Hæc in eodem libro verba sunt cap. 5. distinct. 9. *Idem* (Augustinus) *ad Hieronymum epist. 19. Ego solis eis scriptorum qui jam canonici appellantur didici hunc timorem honorémque deferre ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere &c.* In margine est: *Ivo p. 4. c. 74. Pann. l. 2. c. 119. scripturarum lib. ori. & Pann.* eorum auctorem in scribendo aliquid erasse firmissimè credam] *orig. Ivo, & Pan.* Et in fine: *non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores vel canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* In Notis est: Mihi per alios] *Sic etiam in manuscriptis & in glossa. Apud beatum Augustinum est:* mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione. *nec multò secùs apud Ivonem. Alias verò nonnullas varietates satis visum est in margine indicare.*

(9) Ejusdem Augustini verba sunt in eodem libro à Gratiano relata cap. 9. *Noli.* ead. dist. 9. cujus inscriptio est: *Idem* (Augustinus) *ad Vincentium epist. 48. contra Donatistas. Noli frater &c. colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, sive nostrorum, sive Hilarij, sive* (*antequam pars Donati separaretur*) *ipsius unitatis, sicut Cypriani, & Agrippini, primò quia hoc genus litterarum ab auctoritate canonis distinguendum est.* In margine hæc sunt: *Deus-dedit p. 2. Ansel. l. 4. c. 58. Ivo p. 4. c. 236.* Et in Notis: *Sive antequam*] *Antea legebatur*, sive Cypriani, & Agrippini, antequam pars Donati separaretur. *Restituta est vera lectio ex beato Augustino & aliquot exemplaribus Gratiani & Ivone. Cyprianus enim & Agrippinus multò ante Donati schisma in Ecclesiæ unitate decesserant. qua in re erravit auctor glossæ.* Ad extrema verba (*Deus vobis revelavit*) additur: *Ita etiam originale & Ivo & aliquot editiones novi testamenti. Sed idem beatus Augustinus in Ioannem tract. 5. 45. 53. & 98. & alibi ferè semper legit*, revelabit, *& explanat.* Græcè est ἀποκαλύψῃ. In scholiis: *Donati*] *Donatus primò fuit catholicus; sed postea est in hæresim lapsus; cujus hæresi adhæserunt Cyprianus & Agrippinus.* Hæc falsa sunt.

(10) In eodem libro inscriptio capitis 1. distin. 10. hæc est: *Vnde Nicolaus Papa scribit Episcopis in Concilio apud Convicinum congregatis: Lege Imperatorum non in omnib. &c.* Et in margine est: *Ivo p. 4. c. 87. Pann. l. 2. c. 138. Ans. l. 1. c. 97. Polyc. l. 1. tit. 27.* Et in Notis: *Lege*] *Caput hoc sumptum est ex epistola Nicolai, quæ extat in codice bibliothecæ Dominicanæ. de quo dictum est suprà dist. 8. c.* Mala. *Titulus autem epistolæ hic est:* Nicolaus servus servorum Dei reverendissimis ac sanctissimis confratribus nostris Metropolitanis Episcopis & ceteris diversarum provinciarum ac urbium præsulibus qui in Convicinum villam publicam secus civitatem Silvanectis convenistis. *Eadem epistola nuper impressa est in Appendice bibliothecæ sanctorum patrum.* Obviare] *Apud Nicolaum sequitur continenter*, ad quod ostendendum &c. *Quæ autem apud Gratianum sunt interjecta, non sunt hoc loco in epistola, neque in Polycarpo, neque apud Anselmum. sed verba illa*, Lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus, *à Burchardo & Ivone citantur ex decretis Pij Papæ c. 3. Habentur autem in Capitularibus adjectis c. 17. reliqua autem habentur infrà in hoc eodem capite p.* Ecce quemadm.] Ad illa verba, *Item. Lex Imperatorum &c.* in margine hæc sunt: *Al. Idem.* Et: *In cap. adjectis cap. 17. Burch. l. 15. c. 10. Ivo p. 16. c. 11. Pann. l. 2. c. 139.* Ad illa verba, *Ad quod ostendendum duorum horum*, in margine additur: *heroum. orig.*

(11) Capitis tertij ejusdem distinctionis 10. in eodem libro inscriptio est: *Item Felix Papa. Certum est hoc &c.* In margine hæc sunt: *In exemplari Veronensi est*, Felix III. Et: *Ansel. l. 4. c. 11. Polyc. l. 1. c. 18.* fortè, tit. 18.

(12) Eadem distin. 10. capitis 9. in eodem libro verba sunt: *Item Leo IIII. Lothario Augusto. De Capitulis vel Præceptis Imperialibus vestris vestrorúmq. Pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis & conservandis &c.* Et in margine est: *Ivo p. 4. c. 176. Pann. l. 2. c. 149.* Et in Notis: *Vestrorúmq.*] *Epistola hæc non est inventa; & in istis verbis videtur subesse mendum. ex quo auctor glossæ errandi*

occasionem sumpserit, qui Christianis Imperatoribus, cujusmodi fuerant prædecessores Lotharij, attribuat illud quod Isidorus de ethnicis dicit, nimirum Imperatores solitos fuisse appellari Pontifices. de qua re optimè Gelasius in tomo de anathematis vinculo, & infrà 21. c. Cleros. *Apud Ivonem legitur*, vestris nostrorúmque etiam Pontificum prædecessorum; *in Pannormia*, nostris nostrorúmque Pontificum & prædecessorum. *Sed fortasse cetera quidem rectè apud Gratianum habent. Tantummodo ante dictionem* prædecessorum *est addenda conjunctio* & , *quemadmodum est in Pannormia. Nam hoc significabitur, Imperatores illos solitos fuisse edere capitula, adhibitis in consilium Pontificibus regni. quod verissimum est. Omnino hæc quæ à Leone scribuntur spectare videntur ad capitula Caroli & Ludovici, quæ Lotharius in universa Italia servari mandaverat. Nam in legibus Longobardicis lib. 3. tit. 35. Lotharius ita constituisse traditur:* Placuit nobis ut capitula quæ excerpsimus de capitulari bonæ memoriæ glorioſissimi Domini nostri Caroli & genitoris nostri Ludovici Imperatoris invictissimi, his omnibus & fidelibus nostris & sanctæ Ecclesiæ in regno Italiæ consistentibus per legem teneantur & serventur, & quicumque horum capitulorum contemptor extiterit, sexaginta solidis componatur. *Id populo Romano, qui jure antiquo Romanorum uti prohiberetur, valde displicuit; sicut ex c. fin. infrà eadem dist. colligi potest: disseminatúsque etiam rumor fuit eandem esse Pontificis ac populi sententiam. De qua re Leo hac se epistola videtur purgare voluisse; & tamen postea pro conservando jure civili Romanorum cum eodem Lothario iterum diligentiùs egit. quod apparet ex d. c. finali.* Inscriptio capitis ultimi est: *Item Leo IIII. Lothario Augusto. Vestram flagitamus clementiam ut sicut hactenus Romana lex viguit &c.* In margine est: *Ivo p. 4. c. 181. Pann. l. 2. c. 152.* Et in Notis: *Vestram*] *Videtur Lotharius populo Romano, quod hic Leo petiit, concessisse. Nam in legibus Longobardicis lib. 11. tit. 57. sic habetur:* Ut interrogetur populus Romanus quæ lege vult vivere. *& sequitur constitutio;* Lotharius Imperator. Volumus ut

cunctus populus Romanus interrogetur qua lege vult vivere &c. eidem legi, qua profitentur vivere, per dispensationem Pontificis & nostram subjacebunt.]

(13) Verba capitis 10. e. dist. in eodem libro hæc sunt: *Item Ioannes VIII. Ludovico Imperatori. Vides, fili charissime, quia quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur.* In margine est: *Ivo p. 4.* (deest, *c.* 230.) Inscriptio cap. 3. *Facientis.* dist. 86. hæc est: *Item Ioannes VIII.* In margine est: *Greg. l. 7. reg. ep.* 114. *indict.* 2. *Pelagius* 2. *ep.* 3. *Eleutherius sup. dis.* 83. *c.* Error. 2. *q.* 7. Negligere. & 23. *q.* 3. *c.* Qui potest. *Ivo p.* 6. *c.* 115. Et in Notis: *Caput hoc ex variis sententiis hinc inde collectis confectum est, quarum prima usque ad vers.* emendare *sumpta est ex epistola beati Gregorij* 114. *lib.* 7. *ind.* 2. *Theodorico & Theoberto Regibus Francorum.*

(14) Ante caput 11. ejusdem distinctionis 10. hæc sunt in eodem Romano libro: *Item Gelasius Rufino & Aprili Episcopis. Quis autem leges Principum aut regulas patrum aut admonitiones paternas dicat debere contemni &c.* In margine est: *infrà dist.* 54. *c.* Quis aut. *Ivo p.* 4. *c.* 179. *Pann. l.* 2. *c.* 150. Ad vocem *autem* additur: *Al. aut.* Ad vocem *paternas*. *Al. modernas.* Inscriptio capitis 11. distin. 54. est: *Idem* (Gelasius) *Rufino & Aprili Episcopis. Quis autem leges Principum aut patrum regulas aut admonitiones modernas &c.* In margine est: *suprà dist.* 10. *c.* 11. *Iustin. novell. consti.* 123. *cir. fi. Deus-dedit p.* 4. *Ivo p.* 6. *c.* 104. & *p.* 4. *c.* 179. *Pann. l.* 2. *c.* 150.

(15) Inscriptio capitis 12. ejusdem distinctionis 10. est in eodem libro: *Item Theodorico Regi. Certum est magnificentiam &c.* In margine est: *Ivo p.* 4. *cap.* 180. *Pann. l.* 2. *c.* 151.

(16) Capitis ultimi inscriptio posita est in additione duodecima. Inscriptio capitis 16. *Reatina.* dist. 63. hæc est: *Item Leo quartus Lothario & Ludovico Augustis.* Et cap. 31. *Inter nos.* eadem inscriptio est semicirculis notata, & additur vox *Palea.* Et in margine: *S. Antoninus ibid.* (hoc est, *p.* 2. *tit.* 16. *c.* 2. *para.* 2.) *Ivo par.* 5. *c.* 52.

DE EADEM RE.

Dialogus vigesimus.

C. QUOD de Joanne VII. femina scripsit Contius, lippis & tonsoribus notum, cur improbetur, scire cupio. A. Fítne tibi verisimile quod nemo alicujus auctoritatis scriptor, nisi Martinus Polonus, & Marianus Scotus, sive quis alius tradidit, quod contra rerum naturam est, quia lippis & tonsoribus, ut dicis, notum videatur, ideo verum esse credere? C. Quo pacto contra rerum naturam esse dicis? Annon potuit accidere ut lateret femina inter viros? A. Potuisse non negabo; sed faciliùs Byzantij quam Romæ, ut Leo IX. scribit, ubi sæpe eunuchi Episcopi facti sunt. Christus verò, qui ne matrem quidem suam voluit sacerdotem fieri, non passus esset feminam Petri successorem fieri, claves regni cœlorum tenere, in suprema illa sede turpem illam meretricem sedere quæ tot habuit martyres & confessores; de qua illud dicitur, aut sanctos recipere, aut sanctos facere. C. Quasi verò non aliquot fuerint peccatores electi, qui postea non meliores vitam turpiter egerint. A. Id si accidit aliquando, peccatis populorum adscribitur. At contra rerum naturam esse dixi, quia sicut nullum ordinem sacrum recipere potuit, ita neque sacerdos neque Pontifex fieri, & electio nulla

Leo IX. epist. 1. cap. 23.

atque irrita fuit. C. Quid si utriusque sexus erat? A. Si in virili sexu incaluisset, ut Jurisconsultus ait, Pontifex fieri potuit. B. At hæc peperisse dicitur. A. Nunquam Leo IX. (qui multis annis posterior fuit Joanne VII. & IIX.) feminæ electæ Constantinopoli fecisset mentionem, si idem crimen in Romanum Pontificem obici posset. B. Placet hoc quidem. Sed quid dicis de Episcopa, Presbytera, Diaconissa, & Hypodiaconissa, quarum mentio fit in Conciliis, & de Diaconissis apud Justinianum & alios scriptores? A. Episcopi uxorem, Episcopam dictam invenio, non quam duxit Episcopus, sed quam antea habuit, quæ continentiam vovit cùm is sacros ordines suscepit. Sic Presbytera dicebatur Presbyteri uxor similis, sic Diaconissa Diaconi, & Hypodiaconissa Hypodiaconi uxor. Harum tamen duplex significatio est: quia præter has uxores, erant aliæ viduæ, quæ in baptismo feminarum & in oblationibus & quibusdam aliis ministeriis honestiùs inter sui sexus personas versabantur quàm Clerici. Sed redeamus ad Gratianum nostrum. B. Distinctione undecima tria incerta capita notantur, caput secundum, septimum, & octavum. Secundum Nicolao primo in epistula ad Michaëlem Imperatorem adscribunt Ivo in excerptionibus *a* & Gratianus *b* & Democharis & Contius. Ejus capitis verba in Conciliis non inveni. Alia verba, quæ conjunxit Ivo *c*, inveniuntur in Panormia adscripta esse Leoni quarto ad Lo-

l. Quæritur. *de status hom.*

a *Ivo par.* 4. *c.* 211. *decret.*

b *Dist.* 11. *c.* 2. Consequens.

c *Ivo lib.* 2. *tit.* 12. *c.* 19. *panorm.*

tharium Imperatorem. Fieri igitur potest ut omnia sint eidem Leoni adscribenda. A. Non Leonis sunt, sed Nicolai in epistula ad Photium CP. quæ lecta est in synodo octava sub Hadriano, actione quarta. (1) B. Capitis septimi pars invenitur apud Augustinum epist. XXCVI. ad Casulanum Presbyterum. quæ inscriptio est apud Burchardum *d* & Ivonem *e* & Gratianum *f* & in libris Cæsaraugustano *g* & Tarraconensi *h*. Verba illa *Et sicut prævaricatores &c.* cujus sint ignoramus, licèt ab omnibus sint relata. (2) Caput octavum Augustino adscribit Gratianus *i* in libro de fide Christiana; sed nusquam extat. (3) A. Quid de aliis capitibus dicis quæ certa sunt? Memini enim caput quoddam inveniri Augustino adscriptum in libro ex dictis Basilij, quod est Basilij in libro de Spiritu sancto cap. XXVII. ad Amphilochium. B. Rectè admones. Est id caput V. *k* cujus initium *Ecclesiasticarum*. Basilio adscribunt Burchardus *l* & Ivo *m* rectiùs. Pro, *in ministerio*, scribendum est, *in mysterio*. & pro, *par ritus*, *par virtus*. Illud etiam mendosum est: *Benedicimus fontem baptismatis oleo unctionis. Huic accedit quòd ter oleo inungimus quos baptizamus*. Pro quibus apud Burchardum est: *Benedicimus fontem baptismatis, oleum unctionis. Huc accedit quòd ter immergimus quos baptizamus; oleo ungimus*. Apud Ivonem in Panormia priora verba mendosa sunt. Hæc posteriora ita concepta sunt: *Huc accedit quòd ter mergimus, quòd baptizatos oleo ungi-*

d *Burc. lib. 3. c. 126.*
e *Ivo d. ti. 12. c. 22. panor. & par 4. cap. 78. dec. & epis. 179. vel 79. ad Galterium Belvacem Bibliothecarium.*
f *Dist. 2. c. 7.* In his.
g *Cæs. lib. 1. cap. 19.*
h *Tarr. lib. 6. c. 125.*
i *Dist. 11, c. 8.* Catholica.
k *Dist. 11. c. 5.* Ecclesiasticar.
l *Burc. lib. 3. c. 127.*
m *Ivo d. tit. 12. cap. 23. panorm. & d. par. 4. c. 69. decr.*

mus. Hæc Democharis probavit. Ivo in excerptionibus Burchardi scripturam in his sequitur. A. Cum Græcis fontibus hæc sunt conferenda, quibus scio Burchardi & Ivonis varietates confirmari. C. Quid illud est? *Vel quæ trifariam digesta super panem & calicem.* A. *Multifariam*, non *trifariam*, scripsit vetus interpres; ut ex Burchardo apparet & ex Nomocanone. B. In extremo capite *in mysteriis observata silentio quàm publicata scripta* habet Burchardus, *in ministeriis observata magis &c.* Gratianus. A. Id etiam Græcis verbis confirmatur. Totum verò caput præclarum est ad hæreticorum impugnationes tollendas ex traditionibus Apostolorum. Id credo Græcè & Latinè Romanos edituros. B. Quid facturi sint ignoro. (4) De reliquis videamus. Caput decimum sumitur ex epistula Leonis quarta ad Episcopos Siciliæ capite sexto; licèt neque Anselmus *n* neque Gratianus *o* neque Democharis locum certum indicarint. (5) Caput secundum distinctionis duodecimæ Gregorio adscribunt Anselmus *p* & Gratianus *q* & liber meus Tarraconensis *r*, Anastasio secundo Democharis & Contius. Romani Gregorij quarti esse aiunt in epistula ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, cujus initium est: *Divinis.* A. Exstat apud me epistulæ ejusdem exemplum; & in Corpore canonum, & initio Conciliorum Colonienſis editionis, in ea collectione quæ inscribitur *De primatu Romanæ Ecclesiæ*, & initium & aliquot fragmenta sunt ejusdem epistulæ. Ini-

n *Ans. lib.* 1. *c.* 45.
o *Dist.* 11. *c.* 10. Hoc vestræ.
p *Ans. libr.* 1. *c.* 20.
q *Dist.* 12. *c.* 2. Præceptis.
r *Tarr. lib.* 1. *c.* 287.

tium etiam invenies apud Anſelmum *s* & in libris Cæſarauguſtano *t* & Tarraconenſi *u*, licèt hi omnes ita inſcripſerint: *Gregorius omnibus Epiſcopis per diverſas provincias conſtitutis.* Ex eadem ſunt varia fragmenta apud Gratianum *x*. de quibus poſtea dicendum erit. (6) B. Caput tertium inſcriptum eſt *y*: *Nicolaus Michaëli Imperatori.* Sed apud Ivonem variè inſcriptum invenitur; & mihi videtur ex duobus capitibus conſtare quæ tam in Panormia quàm in excerptionibus pleniùs ſcripta ſunt. Prius caput inſcribitur in Panormia *z* ut apud Gratianum; ejúſque extrema verba ſunt, *pro loco & tempore conſuetudines, ſi illis canonica non obſiſtat auctoritas, quando una fides per dilectionem operans uni Deo omnes commendat.* In excerptionibus *a* parte quarta inſcribitur: *Leo IX. Michaëli Imperatori Conſtantinopolitano.* Parte verò quinta: *Leo IX. Michaëli Patriarchæ Conſtantinopolitano.* Et in hac quinta magna pars epiſtulæ Leonis IX. refertur. In verbis hujus capitis tertij, de quo agimus, tam in parte quarta quàm in quinta ſcriptum eſt: *diverſæ pro loco & tempore conſuetudines, quando una fides per dilectionem operans uni Deo commendet omnes*, ſive *commendat omnes.* Eadem inſcriptio Leonis IX. ad Michaëlem Patriarcham Conſtantinopolitanum, & eadem verba quæ eſſe diximus in excerptionibus Ivonis, exſtant in libro Cæſarauguſtano. Hæc pars poteſt Leoni IX. adſcribi. Poſterior pars poteſt retinere Nico-

s *Anſ. lib.* 1. *c.* 17.
t *Cæſ. libr.* 5. *c.* 6.
u *Tarr. lib.* 1. *c.* 286.
x 2. *q.* 6. *c.* 11. Decreto. *diſt.* 19. *c.* 5. Nulli.
y *c.* 3. Scit ſancta. *diſtinct.* 12.
z *Ivo d. tit.* 12 *c.* 18. *panorm.*
a *Idem par.* 4 *c.* 223. & *part* 5. *c.* 44. *decr.*
Cæſar. lib. 1. *c.* 23.

lai nomen in epistula ad Photium Patriarcham Constantinopolitanum, non ad Michaëlem Imperatorem, ubi hæc verba sunt ab Ivone quoque relata: *De consuetudinibus quidem quas nobis opponere nisi estis, scribentes per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua eis obviare debeamus, nihil judicamus vel eis resistimus.* A. Ex his quæ refers apparet malè apud Gratianum scribi *constitutiones vel consuetudines.* sed vox *consuetudines* retinenda est, cetera tollenda. Malè quoque in Panormia verba illa *De consuetudinibus &c.* Leoni quarto adscribuntur, & & in excerptionibus Nicolao in epistula ad Michaëlem Imperatorem, & cum illis conjunguntur *Consequens est &c.* quæ Gratianus refert distinctione undecima. Sunt enim omnia ex epistula eadem ad Photium; quæ etiam lecta est in synodo octava sub Hadriano minore, actione quarta. (7) Nunc cetera videamus. B. Caput quintum Nicolai ad Ignatium vel Igmarum Episcopum esse dicitur apud Gratianum *b.* Igmarum Archiepiscopum appellat Ivo *c* in Panormia. Igmarum Remensem Archiepiscopum idem in excerptionibus, Hicmarum in epistulis. Alij Hincmarum dicendum esse contendunt. Id confirmatur in epist. 111x. ejusdem Nicolai ad eundem, cujus initium est *Omnium nos portare:* ex qua addi possunt hæc verba, post vocem *dedecus; ut temporibus nostris vel falsò insimulari sanctam Dei Ecclesiam permitta-*

Ivo d. tit. 12. c. 19. & 20. pan. & d par. 4. c. 211. decr.

Dist. 11. c. 2. Consequens.

b c 5. Ridiculum. *dist. 12. c Ivo d tit. 12 c. 20. in pan. & par. 4. ca. 212. decret. & in epist. 54. vel 65. ad Hugo. Lugdunen Archiepiscopum.*

mus, vel eas traditiones &c. & pro illis, *à patribus ſuſcepimus*, illic eſt, *à patribus noſtris ſuſcepimus, pro libitu ſemper errantium.* (8) Caput undecimum *d* ex duabus tribúſve Auguſtini epiſtulis ſumptum videtur. Nam initium eſt ex epiſtula CXIIX. Pars illa, *Quod enim neque contra fidem*, ex epiſtula CXIX. In fine quædam ſunt ex eadem, alia ex epiſtula XXCVI. extrema. Illa verba tollenda eſſe Romani cenſuerunt: *Auguſtinus idem ex auctoritate Ambroſij aſſerit.* quæ ex ſcholio inſerta ſunt. (9) Capite duodecimo *e* extremo, quod ex eadem CXIX. epiſtula eſt, vox *ſacramentis* in vocem *ſarcinis* mutanda eſt, licèt eam Ivo *f* probaverit & liber Cæſarauguſtanus *g*. Loquitur enim de Judæis, qui legalibus ſarcinis, non humanis præſumptionibus, ſubiciuntur. Romani non omnino vocem *ſacramentis* improbant, ſed illam alteram in margine ponendam ſtatuunt. (10) Nunc liceat mihi ad diſtinctionem XVI. venire. Nam quamvis multa in aliis dixerint eſſe mutanda, in hac ſcheda tantùm invenio de capite illo Gelaſij cum LXX. Epiſcopis, ex Conciliis eſſe totum deſcribendum, & ſcio Epiſcopum Segobienſem id multis mendis purgaſſe. At poſtrema pars, cujus initium *Ceterùm qui libri*, licèt ſuperioribus conjungant Burchardus *h*, Ivo *i*, & Gratianus *k*, non eſt in Conciliis, & pars eſſe videtur alicujus libri de divinis officiis. A. Rectè dictum eſt. Namque Amilarij librum habeo, in quo hæc ſunt, & alia quædam nomine fragmentorum Caroli

d *c.* 11 Illa autem. *diſt.* 12.

e *c.* 12. Omnia. *e. diſt.*

f *Ivo d. tit.* 12. *ult. panor. & par.* 4. *cap.* 206. *decret.*

g *Cæſ. libr.* 1. *c.* 9.

h *Burc. lib.* 3. *c.* 222.

i *Ivo lib.* 2. *tit.* 11. *c.* 2. *& lib.* 8. *tit.* 11. *c.* 1. *pan. & par.* 4. *c.* 63. *decr.*

k *Diſt.* 15. *c.* 3. Sancta. *p.* Ceterùm.

Magni edita. Ea verò verba, *Ceterùm qui*, usque ad illa, *in septuagesima*, non invenies apud Burchardum & Ivonem neque in veteribus Gratiani libris. B. Idem Romani notarunt. (11) Distinctione XVI. duo incerta capita ferebantur, caput primum & XIII. *l.* Sed primum à te acceperunt, quod ex Isidoro erat in præfatione Conciliorum veteri, non ex hac quæ vulgo nota est Isidori Mercatoris, ut alio die explanasti *m*. Caput XIII. Stephano Papæ ad Luthobium Episcopum Maguntinum adscribunt Ivo *n* & Gratianus. Et quia LXX. capitum Nicæni Concilij & Athanasij epistulæ facit mentionem apud Ivonem in excerptionibus, constat non esse Stephanum primum, sed aliquem ex posterioribus; præsertim cùm Maguntini Episcopi à Bonifacio martyre cœperint, qui fuit temporibus Gregorij tertij & Zachariæ & Stephani minoris. Sed quod hic dicit Antiocheno Concilio insertos esse plurimos arbitrari Nicænos illos LXX. canones, velim scire à te an verisimile putes? A. Quod ait plurimos arbitrari, ita ipsum Stephanum inveniisse existimo, licèt ego non meminerim alibi legisse. Itaque *Sardicensi* pro *Antiocheno* sufficerem. Namque Antiocheni canones XXV. tantùm fuerunt, quorum auctores si illi sunt ad quos Julius scripsit, hostes erant Athanasij & aliorum patrum CCCXIIX. Qua de caussa nihil de fide Nicæni Concilij, sed de Paschate tantùm statuunt capite primo id Concilium esse observandum. At Sardicen-

1 *Dist.* 16. *c.* 1. *& c.* 13. Viginti.

m *Dial.* 6.

n *Ivo lib.* 2. *tit.* 11. *c.* 19. *panor. & par.* 4. *c.* 232. *decr.*

ſes patres catholici aliquot canones ſcripſerunt, qui pro Nicænis habiti ſunt, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi ſexto. (12) B. Caput tertium Leoni IX. adſcribunt Ivo *o* & Gratianus *p* contra epiſtulam Nicetæ Abbatis monaſterij Studij. Exſtat libellus Humberti Cardinalis Silvæ Candidæ Epiſcopi (qui Legatus fuit Leonis IX.) contra eundem Nicetam & alios Græcos; in quo libello hæc eadem verba inventa ſunt. Caput ſeptimum *q* Pſeudotrullianorum eſt patrum, ut à te ſuperioribus diebus dictum eſt. Cenſura Romanorum fuit: *Hic canon eſt ex reiciendis, præſertim ob finem de Concilio Cypriani.* (13) Capite octavo *r* de re notiſſima maximi errores ſunt non apud Gratianum ſolùm, ſed etiam in utraque Ivonis *ſ* collectione & apud Democharem. Verba autem ſunt hæc: *tertium Epheſinum, Chalcedonenſe* IV. *&* V. *Item Conſtantinopolitanum* VI. *Item Nicænum* VII. Neque enim Chalcedonenſe fuit quartum & quintum; ſed quintum & ſextum fuerunt Conſtantinopoli habita. Quamobrem ita ſcribunt Romani: *poſt Chalcedonenſe* IV. *item quintum CP. & ſextum.* Contius non malè: *& quintum item CP. & ſextum.* Fontes quærendi ſunt. Sic autem inſcribunt: *Ex libro diurno profeſſio Romani Pontificis.* A. Is liber non exſtat, quod ſciam, hoc titulo. Profeſſionis tamen vidi aliquot exempla. (14) B. Capite nono ex Beda ſumpto bis erratum eſt in Julij nomine. Namque & Nicænam ſynodum & quintam ſub Julio Papa habitam eſſe

o *Ivo lib.* 2. *tit.* 11. *c.* 37. *panorm. & par.* 4. *c.* 105. *decr.*

p *Diſt.* 16. *c.* 3. Clementis.

q *cap.* 7. Quoniam *d.* 16.

r *c.* 8. Sancta. *e. diſt.*

ſ *Ivo d. tit.* 11. *c.* 15. *panor. & par.* 4. *cap.* 132. *decret.*

c. 9. Sexta, *e. d.*

scriptum est, cùm annis CCXXX. & amplius inter se distent, & Julius secundus patrum nostrorum memoria fuerit. Rectè tamen Democharès Julij nomen in Vigilij mutavit posteriori loco, in priori nihil mutavit. de quo velim scire quid sentias. Nam Romani in Silvestri Julij nomen mutant. A. Ego suspicor Bedam Julij nomen edidisse, ut alij nonnulli fecerunt. Et inveni in quadam Julij epistula quædam verba quæ huic opinioni occasionem aliquam præbere viderentur. Sed si sub Julio habita est Nicæna synodus, falsa sunt quæ de confirmatione Nicenæ synodi à Silvestro feruntur. Marci quoque Papæ rescripta, in quibus Nicenæ synodi & illorum LXX. canonum mentio fit. & Athanasij de eisdem consultatio inepta est. Sed præstat aliorum opinionem sequi, quæ recepta est, ut sub Silvestro prima synodus fuerit habita. Ivo *t* in excerptionibus Julij in prima, Vigilij in quinta nomen edidit; in Panormia pro Vigilio Julium scripsit. de prima nihil dixit. Liber Cæsaraugustanus *u* Vigilium habet in quinta, Julium in prima, ut Ivo. (15) B. Sequitur de Conciliis provincialibus; de quibus nihil dicam. Expecto enim historiam Conciliorum, quam à te multi flagitant. A. Hac de re aliquando agemus. Tu verò perge de reliquis hujus distinctionis capitibus dicere. B. Duo tantùm mihi dicenda sunt: quorum alterum est de inscriptione extremi capitis *x*, quod Nicolao ad Photium adscribendum est, non ad clerum Constantinopo-

t *Ivo par.* 4. *c.* 125. *decret. & d. tit.* 11. *cap.* 23. *pan.*

u *Cæs. libr.* 1. *cap.* 45.

x *c. ult. d.* 16.

litanum, ut malè Gratianus solus scripsit. Rectè enim est apud Ivonem *y* & in libro Cæsarauguſtano *z* & in regiſtro Romæ edito Nicolai vel potiùs edi inchoato. Permultæ enim epiſtulæ deſiderantur. (16) Alterum eſt de Contiano ſcholio addito capiti XII. *a* Contio XIII. quod conſtat ex verbis Athanaſij ad Marcum Papam, quod etiam Ivo *b* in Panormia & in excerptionibus refert, & Anſelmus *c* & liber Cæsarauguſtanus *d*. In eo ſcholio refert Marci ad Athanaſium reſcriptum ex Ivone. quod etiam alij habent. Et poſt alia de numero canonum Nicæni Concilij, addit hæc: *Citantur & in epiſtula Julij Papæ* XXIV. *canones, præter illos* XX. *qui vulgò exſtant. Sed illos eſſe ſuppoſititios vel id oſtendit quòd nemo, ne Gratianus quidem ipſe, eos allegare auſus eſt.* De his verbis quid tibi videatur exſpecto. A. Ex Julij epiſtula ſecunda ad Orientis Epiſcopos plures canones referuntur, & quibuſdam numerus additur, quos ſuſpicor eſſe XXVII. Apud Ivonem *e* XXVI. ſunt. LXX. apud Iſidorum Mercatorem in præfatione Conciliorum, ut etiam idem Ivo refert. Falſum autem eſt neque Gratianum neque alios eorum verba referre. quod vel ex Notis meis ad Hadrianum conſtat. Et qui adhuc alia teſtimonia quærit, legat Burchardum lib. I. cap. CXLIV. & Ivonem parte V. cap. CCLVII. Sic non debuit Contius, ſive quis alius, ſuppoſiticios eos affirmare. Sed fortaſſe id dicere voluit, Gratianum non hac epiſtula uſum in hac diſtinctione XVI. aut

y *Ivo d. tit.* 11. *cap.* 12. *&c.* 30. *panor. & par.* 4. *c.* 135. *decr.*

z *Cæſ. lib.* 2. *c.* 22.

a *Diſt.* 6. *c.* 12. *ſeptuaginta.*

b *Ivo d. tit.* 11. *c.* 18. *panor. & par.* 4. *c.* 108. *&* 109. *decr.*

c *Anſ. lib.* 1. *c.* 59. *& c.* 60.

d *Cæſ. lib.* 1. *c.* 30. *&* 31.

e *Ivo d. par.* 4. *c.* 110. *&* 111.

etiam alibi non appellasse verba Concilij Niceni hæc verba Julij. Sed quàm leve hoc sit argumentum, nemo non videt. Et fortasse falsum est. Diximus enim, cùm de fragmentis ageremus *f*, esse fragmentum quoddam sumptum ex hac epistula Julij, quod Gratianus *g* & Ivo *h* Nicæno Concilio adscripserunt. B. Franciscus Turrianus tuus Arabicos nuper xxc. canones edidit, & eos esse dicit legitimum illius Concilij partum, hos verò Julij canones ex aliis actionibus ejus synodi sumptos esse, extra numerum canonum. A. Neutrum mihi adhuc persuasit, aut illos esse veros, aut hos ex aliis actionibus sumptos. Sed quid Romani tui de scholio Contiano censent? B. Delenda esse illa verba, *Sed illos esse supposititios*, & quæ sequuntur. Multò verò magis eis displicuerunt quæ postea scripsit: *Multas autem suprà in præfatione rationes adduxi &c.* Ea verba mihi videntur Molinæi esse, non Contij. Nihil enim ea de re Contius in præfationibus editis scripsit; & his contrarium scholium Contius cap. 11. distinct. xxii. addidit. (17) A. Librariorum fortasse erratum est. Sed surgendum est. alioqui libenter eram te de his rebus auditurus. Tantùm mihi indicem ostendas velim selectorum virorum quorum opera in Gratiani emendatione tres Romani Pontifices sunt usi. B. Ecce tibi, minùs tamen perfectum, indicem. Dum enim absum, alios adscriptos fuisse accepi.

f *Sup. dial.* 14

g 11. *q.* 1. *c.* 4. judices.

h *Ivo lib.* 4. *tit.* 11. *ca.* 2. *panorm.*

INDEX SELECTORUM VIRORUM SUB PIO IV. ET Pio V. emendationi Gratiani ab eisdem præfectorum hic est.

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ Cardinalium nomina.

M. Antonius Columna, Romanus.
Hugo Boncompagnus, Bononiensis, postea Gregorius XIII. dictus P. M.
Alexander Sfortia, Romanus.
Guilielmus Sirletus, Calaber.
Franciscus Alciatus, Mediolanensis.

HIS ADDITI SUNT AB EODEM Pio V.

Guido Ferrerius, Vercellensis.
Antonius Carrafa, Neapolitanus.

DOCTORUM NOMINA.

Felix Montaltus Generalis ordinis S. Francisci, postea Cardinalis, hodie P. M. Xystus V. dictus.
Christophorus Patavinus Generalis ordinis S. Augustini eremitarum.
Thomas Manricus, ordinis S. Dominici, Magister sacri Palatij.

Eustachius Lucatellus, Bononiensis, postea Regij Lepidi Episcopus.
Josephus Pamphilus Veronensis, ordinis S. Augustini, postea Sacrista Palatij, & Episcopus Signinus in Campania.
Franciscus Turrianus, Hispanus, postea Societatis Jesu.
Marianus Victorius, Reatinus, postea Episcopus Amerinensis.
Michaël Thomasius, Majoricensis, postea Episcopus Ilerdensis.
Hieronymus Parisetus, Regiensis.
Antonius Cuccus, Mediolanensis.
Joannes Marsa, Hispanus.
Franciscus Leo, Hispanus, postea Societatis Jesu.

ADDITI SUNT.

Melchior Cornelius, Lusitanus.
Latinus Latinius, Viterbiensis.
Arnaldus Pontacus, Gallus.
Petrus Ciacconius, Hispanus.
Franciscus Pegna, Hispanus; cujus sunt additiones Decretalium sine nomine, quia templum Dianæ incendisse visus est.

ADDITIONES.

(1) DISTINCTIONE XI. capitis secundi inscriptio in libro Gregoriano hæc est: *Item Nicolaus Papa I. Michaëli Imperatori. Consequens est &c.* In margine hæc sunt: *Sententia elicitur ex epistola cujus initium* Proposueramus. *Ivo p. 4. c.* 111. Certiora sunt in dialogo scripta. Vid. li. 2. dial. 14. add. 1.

(2) In eadem distinctione, capitis septimi *In his rebus.* inscriptio in eodem libro est: *Item B. Augustinus ad Casulanum epist.* 86. In margine est: *Ansel. l. 4. c. 43. Burch. l. 3. c. 126. Ivo p. 4. c. 68. Pann. l. 2. c. 158. Poly. l. 3. tit. 23. c. fin.* In Notis: *Et sicut*] *Hinc usque ad finem non sunt in epistola indicata; sed à Burchardo etiam & Ivone & in Pannormia referuntur.*

(3) Proximi capitis inscriptio in eodem libro hæc est: *Idem in libro de fide Christiana. Catholica Ecclesia &c.* In Notis additur: *Hodie inter opera B. Augustini nullum extat hoc titulo. In epistola verò ad Ianuarium (quæ est 118.) c. 1. & 2. hæc eadem sententia copiosè exponitur.*

(4) Capitis quinti ejusdem distinctionis undecimæ inscriptio est in eodem libro: *Vnde ex dictis Basilij. Ecclesiasticarum institutionum &c.* In margine hæc sunt: *Basilius in libro de Spiritu sancto. c. 27. Burc. l. 3. c. 127. Ivo p. 4. c. 69. Pann. l. 2. c. 159.* Et in Notis: *Ex dictis*] *Hoc caput antea citabatur* ex Augustino in lib. ex dictis Basilij. *In codice Vercellensi est:* Unde Augustinus ait, vel ex dictis Basilij. *& retenta est posterior pars hujus disjuncti, quoniam ita citant Burchardus & auctor Pannormiæ. Ivo autem citat ex lib. Basilij de Spiritu sancto 27. quomodo in margine est indicatum. Ceterùm quoniam multis locis glossa obstitit ne emendaretur, necessarium visum est integrum B. Basilij locum & Græcè & Latinè afferre.* ΠΡΟΣ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ *&c.* id est, *Dogmatum & institutorum &c.*

(5) Ejusdem distinctionis XI. cap. 10. inscriptio

in eadem editione est : *Item Leo Papa ad Episcopos per Siciliam constitutos epist. 4. c. 6. Hoc vestræ indicimus caritati &c.* In margine est : *Ans. l. 1. c. 45. Polyc. l. 1. tit. 17.*

(6) Distin. 12. capitis secundi inscriptio est in eodem libro : *Item Gregorius Papa quartus. Præceptis apostolicis non dura superbia resistatur &c.* In margine est : *Anselm. l. 1. c. 20. Polyc. l. 1. tit. 17.* In Notis : *Gregorius*] *Integrum hoc caput invenitur in epistola Gregorij quarti universis Episcopis per Galliam, Germaniam, Europam, & universas provincias constitutis, quæ est in codice suprà citato bibliothecæ monasterij Dominicanorum. Initium verò est etiam in epistola Anastasij II. ad Anastasium Aug. c. 6.* Inscriptio capitis undecimi *Decreto nostro. 2. q. 6.* est : *Sed cùm Gregorius scribat omnibus per diversas provincias.* In margine est : *Poly. l. 1 tit. 7. Ivo p. 5. c. 349. Ansel. l. 2. c. 19.* Et in Notis : *Vt honoretur*] *Hinc usque ad vers.* auctoritas *addita sunt ex ipsa epistola, quæ extat in bibliotheca Dominicana ; & videtur esse Gregorij quarti ; ex qua etiam sumptum est caput* Nulli fas. *dist. 19. & apud Ivonem utrumque caput simul habetur. Istius autem Aldrici (ut ex catalogo Episcoporum Ecclesiæ Cœnomanensis colligitur) mentio est in Concilio apud S. Medardum, quod paulò post Gregorium IV. habitum fuit. Itaque defensio ipsi à Gregorio præstita profuit.* Inscriptio capitis 5. *Nulli fas.* dist. 19. hæc est : *Item Gregorius IV.* In margine hæc sunt : *Poly. l. 1. tit. 17. Ansel. l. 2. c. 21. Ivo par. 5. c. 11. & 349.* In Notis : *Caput hoc est in eadem epistola Gregorij IV. ex qua sumptum est caput* Decreto nostro. *infrà 2. q. 6. Extat autem in codice sæpe memorato bibliothecæ Dominicanæ.*

(7) Caput tertium *Scit sancta.* dist. 12. in eodem libro ita inscriptum est : *Item Leo IX. Michaëli Episcopo Constantinopolitano epistol. 1. c. 29. & Nicolaus I. epist. 2. ad Photium.* In margine est : *Ivo p. 4. c. 223. & par. 5. c. 44. Pann. l. 2. c. 155.* Et in Notis : *Caput hoc confectum est ex duobus longè diversis locis. Nam usque ad vers.* Si illis *sumptum est ex prima epistola seu libello Leonis IX. adversùs inauditas præsumptiones*

sumptiones Michaëlis Constantinopolitani & Leonis Atridani Episcoporum c. 29. ubi loquens de Romana Ecclesia ait: Scit namque quia nihil obsint saluti credentium diversæ pro loco & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes. *& hæc ferè ab Ivone & in Pannormia referuntur. Altera verò pars accepta est ex epistola secunda Nicolai ad Photium, quæ incipit:* Postquam beato Petro. *Ibi enim habentur hæc:* De consuetudinibus quas nobis opponere visi estis, scribentes per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistat auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus, vel eis resistimus.] De capite 2. dist. 11. dictum est in addit. 1. hujus dialogi.

(8) Ante caput quintum distin. 12. hæc inscriptio est in eodem libro: *Item Nicolaus Hincmaro Archiepiscopo.* Ridiculum est & satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris vel falsò insimulare sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus, pro libitu semper errantium infringi patiamur.] In margine est: *Ivo p. 4. c. 212. Pann. l. 12. c. 156.* Et in Notis: *Habetur in epistola scripta Hincmaro & ceteris Archiepiscopis & Episcopis in regno Caroli Ecclesias regentibus, quæ extat in codice jam memorato bibliothecæ Dominicanorum. & ex ea caput hoc locupletatum est. Nam antea brevius erat, ut etiam apud Ivonem & in Pannormia.*

(9) In eadem distin. 12. cap. 11. *Illa autem.* in eodem libro Romano inscriptio est: *Item Augustinus ad Ianuarium epist. 118. c. 1.* Et vers. *Alia verò quæ,* est in margine: *Ibid. c. 2.* Et vers. *Quod enim neque* est in margine: *Ferè idem epist. 119. c. 18.* Et vers. *Mater mea.* hæc in Notis sunt: *In hoc capite, quemadmodum & in sequenti, multa sunt emendata ex B. Aug. ac nonnulla etiam addita. Ab hoc tamen loco usque in finem, quoniam verba B. Augustini aptè erant in epitomen redacta, nihil additum est.*

(10) Proximum caput *Omnia.* hanc habet in eodem libro inscriptionem: *Vnde Augustinus scribit ad inquisitiones Ianuarij ep. 119. c. 19.* In margine est:

Ivo p. 4. c. 206. Pann. l. 2. c. 168. Ad vocem *universalis* est in margine: *universa. ori. Ivo, Pann.* Ad voces *servilibus oneribus* est: *Al. adeo servilibus operibus.* Ad vocem *sacramentis* est: *sarcinis. orig.*

(11) Capite tertio, *Sancta Romana*, vers. *Cetera qui libri.* dist. 15. in libro Romano hæc in Notis adscripta sunt: *Hinc usque ad finem neque in collectione Isidori neque in ullo veteri codice Gratiani eorum quæ collata sunt inveniuntur. A verbo (verbis scribo) tamen*, in septuagesima ponunt, *referuntur à Burchardo & Ivone sine auctoris nomine, in Pannormia ex Gelasio ipso cum* LXX. *Episcopis. Ferè autem omnia habentur sparsim in libro qui Ordo Romanus nuncupatur.* In margine, vers. *Quidam quod in septuagesima*, hæc sunt: *Burch. l. 3. c. 222. Ivo par. 4. c. 63. Pann. l. 2. c. 90.*

(12) De capite primo distinctionis 16. vide in additione undecima dialogi sexti. Ante caput 12. ejusdem distinctionis hæc verba sunt in Romano libro: *Vnde Stephanus scribit dicens Luythobio Episcopo Moguntino: Viginti tantum capitula Nicæna synodi &c.* In margine est: *Ivo p. 4. c. 232. Pann. l. 2. c. 107.* Et in Notis: *Apud Ivonem parte quarta c. 232. habetur magis integrum hoc caput:* Capitula Nicæni Concilij testimonio Athanasij septuaginta in figuram septuaginta discipulorum scripta non dubitamus, & quibus viginti tantùm in Ecclesia sancta Romana. *& quæ sequuntur.*

(13) Inscriptionem cap. 3. *Clementis.* ejusdem dist. vide dial. 6. addit. 13. & de cap. 7. *Quoniam.* vide additiones dial. 7. & 8.

(14) Ejusdem distin. 16. cap. 8. *Sancta octo.* in eodem libro ita inscriptum est: *Item ex diurno libro professio Romani Pontificis.* In margine est: *Ivo par. 4. c. 132. Pan. l. 2. c. 103.* Et in Notis: *Item ex diurno*] *Integram professionem fidei, quando quis in Romanum Pontificem promovebatur, refert Deus-dedit Cardinalis in collectione canonum, quæ servatur in bibliotheca Vaticana. Verba de quibus agitur sunt hæc:* quartum Chalcedonense, item V. Constantinopolitanum, & VI. Item Nicænum VII. Octavum quoque Constantinopolitanum.

(15) In eadem dist. 16. capitis 9. *Sexta synodus.* in eodem libro hæc inscriptio est: *Beda in libro de temporibus c. 65. scripsit dicens.* In margine est: *Ivo par. 4. c. 125. Pann. l. 2. c. 112.* Vers. *Prima.* ad illa verba, *temporibus Iulij Papæ*, hæc in Notis sunt: *Iulij*] *Certum est synodum Nicænam primam celebratam esse tempore Silvestri. Sed in illa temporum obscuritate mirandum non est Bedam & alios errasse.* Vers. *Quinta item Constantinopoli temporib. Vigilij Papæ &c.* in margine est: *Pann. l. 2. c. 111.*

(16) Quod ad caput ultimum ejusdem distinctionis attinet, in eodem libro inscriptio ejus est hæc: *Sardicense quoque Concilium auctoritate Nicolai Papæ recipitur. Vnde idem scribit clero Constantinopolitano. Quod dicitis &c.* In margine hæc sunt: *Clero. al. electo. Habetur in epistola 6. quæ prima ad Photium est. Ivo p. 4. c. 135. Pann. l. 2. c. 117. vers. Quod dicitis.*

(17) Gratiani verba sunt in eodem libro ante caput 12. *Septuaginta.* ejusdem dist. 16. *Scribit enim Athanasius Alexandrinus Episcopus Marco Papæ ita dicens.* In margine est: *In epist. Athanasij & universorum Ægypti Episcoporum ad Marcum Papam, sed copiosius quàm hic. Ivo par. 4. c. 108. Pann. l. 2. c. 106. Ans. l. 1. c. 59. Polyc. l. 3. tit. 20.* Et in Notis: *Septuaginta*] *Ex his Athanasij verbis constat non omnes Nicænæ synodi canones aut Græcè aut Latinè nunc haberi. Et Iulius Papa ad orientales, & Innocentius Victricio, & alij multos ex illa canones citant qui non sunt in his viginti qui in manibus omnium versantur. De qua re scribit Isidorus in præfatione Conciliorum tomis inserta. Et ex epistola quadam Gregorij X. ad Regem Armeniorum, cùm Concilium Lugdunense indixisset, (quam manuscriptam habet Cardinalis Sirletus) intelligitur integrum Nicænum Concilium in lingua Armeniorum eo tempore extitisse. Sic enim scribit:* Quia verò multipliciter expedit ut in ejusdem celebratione Concilij antiquorum Conciliorum copiam habeamus, Celsitudinem regiam rogamus & hortamur attentè quatenus integrum Nicænum Concilium & alia Concilia quæ habere diceris in Armenica littera cum aliquibus peritis interpreta-

tionibus nobis cum ea qua poteris celeritate transmittas. *Tuneti quoque & Alexandriæ inventi sunt octoginta canones Arabicè scripti sub nomine hujus Concilij, qui Romæ in Arabica & Armenica lingua scripti penes eundem Cardinalem Silertum sunt, & nuper etiam in Latinam linguam conversi sunt & impressi.*

ANTONII AUGUSTINI ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

DE EMENDATIONE GRATIANI dialogorum liber posterior.

DE GRATIANI EMENDATIONE ex Conciliis non editis.

Dialogus primus.

In hoc libro A. Antonium Augustinum significat, B. Franciscum Edoardum, C. Martinum Augustinum Joannis filium.

C. Cum ad te venirem, Ilerdæ apud Vincentium fratrem consobrinum meum commoratus, intellexi ab eo te cum Petro Galesio de Gratiani emendatione aliquot diebus egisse ipso præsente; cujus sermonis summam fuerat is scriptis complexus, quam ab eo accepi. Sed aiebat, cùm aliquot distinctiones percurrere cœpisset Galesius, classis cujusdam nuntio interpellatum, Barcinonem

profectum, ut in ea, si posset, in Italiam perveniret, ipsum autem Ilerdam paullò pòst rediisse ad studia intermissa. Ejus sermone incensus, à te petere &, si pateris, flagitare cogor ut me de ceteris Gratiani locis edoceas. Percommodè autem accidit ut cùm hoc tibi desiderium meum vellem exponere, cum B. nostro rem communicaverim. Is mihi dixit se Barcinonem iviſſe, ut veteres quosdam Conciliorum & aliorum scriptorum libros describi tibi curaret & alia quædam ad Gratiani emendationem maximè pertinentia. Itaque ambo accessimus, ut nos dignos arbitreris quos vel reliquiis illius splendidi convivij, quod apparatissimum fuisse didicimus, satures. A. Ego verò vos non reliquiis saturare, ut dixisti, sed splendidissimis conviviis accipere dignos arbitror. Hoc autem ipsum, quod cupis, meliùs hic B. noster præstare poterit: quippe qui acta ipsa selectorum illorum patrum legit qui Romæ Gratiano mendis expurgando præerant, & veteres illos libros descripsit, & diù multùmque est in hoc genere litterarum versatus. B. Negare non possum me his delectari studiis, & te potissimùm duce, cum magna mea voluptate, in Conciliorum decretis & Pontificum epistulis perlegendis dies noctésque consumere. Neque etiam recuso quin, quod sciam poteróque, C. nostri desiderio satisfaciam. Te verò præsente id agi, utrique nostrum utilius & gratius est. Sunt enim multa obscura & incerta, in quibus etiam illi selecti Roma-

ni hærent. Sunt etiam variæ quædam lectiones, quæ collatione librorum veterum aut collectorum acciderunt; in quibus & in aliis permultis tuum nobis erit auxilium implorandum. A. Video me non posse effugere quod exoptatis. id eo libentiùs faciam, ut C. faveam, & quid à te petere debeat admoneam. Obscura verò & varia à Romanis relicta auditurus libenter sum; non quo sperem me illa certa & aperta redditurum; sed, ut ingenia hominum sunt, id ipsum dubitare, trepidare, & labi sæpe delectat. Et ut si quis aliquid medicamenti attulit desperato jam & morienti ægroto, voluptatem magnam capiat necesse est, sic qui jam deploratis mendosis locis scriptorum medicinam tulit, suavissimos capit laboris sui fructus. Sed age, videamus quid auxilij ex veteribus Conciliis non editis Gratiano adferri potest? B. Qua ratione si quis quærat fontes singulorum capitum in editis Conciliis, & conferat eorum verba, multùm juvatur quòd hæc ab illis manaverint, ita etiam in non editis eveniet. Sed illud pluribus notum est, & faciliùs sanari loca mendosa potuerunt; hæc minùs nota sunt, & paucis patuit aditus ut ea cum Gratiano conferrent. Exemplum sumam ex hoc libro, quem ad te adfero, cujus partem ad te Roma missum scio. Apud Gratianum caput hoc Zachariæ Papæ adscribitur: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi sæcularibus indumentis non utantur &c.* Hoc in Conciliis aut epistulis editis Zachariæ non invenies; sed est in Con-

21. q. 4. c. 3. Episcopi.

Dist. 93. cap. 4. Iuxta.

cilio Romano Zachariæ capite tertio. (1) Sic distinctione XCIII. Anacleto & Zachariæ adscribuntur illa verba: *Juxta sanctorum patrum &c.* Sed meliùs Anselmus refert ex Concilio Zachariæ Papæ. Est autem caput quartum illius Concilij. A. Ego cùm verba Gratiani cum Anselmi verbis contulissem, inveni meliorem scripturam videri illam Anselmi quàm vulgarem Gratiani. Scire cupio an eam confirmet vetus hoc Concilium. B. De illis fortasse verbis dicis: *Omnes Episcopi qui hujus apostolicæ sedis ordinationi subjacent, & qui propinqui sunt.* In eo Concilio *subjacebunt qui propinqui sunt* scriptum est, & voce omissa. A. *subjacent qui propinqui sunt* habet Anselmus apertiùs. Et ideo postea dicitur: *Qui verò de longinquo sunt, juxta chirographum suum impleant.* C. Estne hoc illud chirographum cujus formula exstat sub titulo de jurejurando: *Ego N. &c.* A. Ea formula à Gregorio VII. concepta est, qui posterior fuit Zacharia. sed fortasse priores Pontifices simile sacramentum Episcopos suos præstare jubebant. C. Cur adicitur in hoc capite, *qui hujus apostolicæ sedis ordinationi subjacent?* An sunt alij qui non subiciantur? A. Hodie nulli ferè sunt. Sed illis temporibus electi Episcopi à clero, à Metropolitano confirmabantur, & ab eodem consecrabantur, aut, eo consentiente, ab aliis Episcopis. Metropolitanorum electio à Patriarcha confirmabatur; quibus Pallium quoque dare permittit Innocentius III. in Con-

De jurejuran. c. 4. Ego. Grego. IX. c. 10. de elect. in 1. collect.

cilio generali capite quinto. Ordinationi igitur, hoc est, consecrationi, vel confirmationi sedis apostolicæ illi non erant subjecti qui ab inferioribus confirmabantur & consecrabantur. B. Cur autem venire cogebantur in urbem quotannis omnes? An ad synodos quotannis habendas? A. Neque quotannis omnes venire cogebantur, sed aliqui; longiùs habitantes intra biennium aut triennium veniebant; neque synodi causſa solùm, sed etiam ob lites aut inter ipsos Episcopos sedandas aut cum aliis Clericis vel laicis, & ut cum eorum consilio Pontifex Romanus difficiliora negotia explicaret atque dirimeret. Sed ad Gratianum redeamus. (2) B. Zachariæ Papæ adscribit Gratianus verba illa posita causſa XXVI. extrema: *Si quis Kalendas Ianuarij ritu paganorum colere &c.* quæ ex decretis Zachariæ cap. XI. Burchardus *a* & Ivo *b* referunt. Magna cum varietate sunt hæc in Romano Concilio Zachariæ cap. IX. *Si quis Kalend. Ianuarias & broma colere præsumpserit, aut mensas cum dapibus in domibus præparare, & per vicos & plateas cantationes & choros ducere, quod maxima iniquitas est coram Deo, anathema sit.* A. In epistula quadam Bonifacij martyris ad Zachariam inveni conqueri illum quòd dicerent barbari se vidisse Romæ juxta Ecclesiam sancti Petri Kalendis Januarij paganorum consuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes & cantiones sacrilegas audivisse, & mensas illa die vel nocte dapibus onerare, & alia fie-

c. 23. Antiqua. *de privil.*

26. *q.* 7. *c.* 14. Si quis.

a *Burc. lib.* 10. *c.* 16.

b *Ivo par.* 11. *c.* 43. *decret.*

ri. Cui Zacharias reſcribit tam ſe quàm Gregorium Pontificem, cui ſucceſſerat, qui à nobis Gregorius tertius appellatur, illa prohibuiſſe. C. Quid vox *broma* ſignificat? an pro *bruma* poſita eſt? A. Capite LXII. ſextæ ſynodi repetitæ in Trullo brumalia prohibentur, quæ videntur eſſe à bruma dicta. Incidere autem bruma ſolebat Saturnalibus diebus, non longè à Kalendis Januariis. B. Tertullianus in libro de idololatria hoc confirmare videtur, cùm de brumæ honorario & de Kalendis Januariis & Saturnalium celebratione agit. Ambroſius tamen in epiſtula ad Galatas ad Jani cultum refert has Januarias Kalendas. *Menſas* verò, non *menſes*, ut apud Ivonem eſt, ſcribendum eſſe rectè ex Bonifacij verbis colligitur. (3) Sequitur illud quod Macario Papæ Gratianus *c*, Zachariæ Burchardus *d* & Ivo *e* & liber Cæſarauguſtanus *f* adſcribunt. Eſt autem in hoc ipſo Romano Concilio cap. XIII. & XIV. C. Hac de re invenio in dialogis cum V. & G. *g* fieri mentionem, ut etiam de Anacleti & Zachariæ capite diſtinctione XCIII. à te commemorato. B. Sunt quædam meliùs ſcripta in Concilio quàm apud Gratianum, ut illud, *ab alio Epiſcopo*, non *ab aliquo*. Et poſt illa, uſque in finem, additur: *quia ſcriptum eſt h: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* (4) Alia exempla ſumamus ex duabus Romanis ſynodis non editis Eugenij ſecundi & Leonis quarti. Conjunguntur autem in veteri libro, quòd magna ex parte eiſdem verbis

c *De conſec. d. 1. c. 56. Nullus.*
d *Burc. lib. 3. c. 230. & 231.*
e *Ivo par. 3. ca. 270. & 271. decr.*
f *Cæſ. lib. 4. c. 48.*
g *Dial. 4. li. 1. & dialogo 13.*
h *Mat. 10. c.*

scripta sint. Nam si quis quærat quid sibi velit hæc Gratiani inscriptio caussa XII. *i Item Eugenius Papa & Leo nonus: Necessaria etenim res &c.* aut illa Anselmi *k Ex synodo Eugenij Papæ*, quid respondeat non habebit. Invenitur autem in hoc duplici Concilio cap. VII. (5) At Leonis Papæ esse dicuntur illa verba *l*: *Sine ornatu sacerdotali extra domos apparere nullo modo convenit.* Ea nullo modo in beati Leonis Papæ registro quisquam inveniet. sed hujus Concilij sunt capita duodecim. A. Sumpsit Gratianus ab Anselmo *m.* sed Ivo *n* & liber Cæsaraugustanus *o* ex synodo Eugenij esse scribunt. Ivo autem solus pleniùs quædam retulit. B. Plura sunt in ipso Concilio. (6) Sic etiam Ivo *p* caput XI. hujus Concilij refert ut ex synodo Eugenij Papæ tempore Ludovici & Lotharij Augustorum habitæ, & liber Cæsaraugustanus *q* ex synodo Eugenij Papæ. Sed plenius est id caput in eodem Concilio. Caput XIII. posuit Gratianus caussa XIV. *r* cum hac inscriptione: *Vnde in synodo habita Romæ ab Eugenio Papa statutum est.* Pro illis verbis *tamen in ipsis sæcularibus negotiis &c.* scribendum: *tamen ipsi in sæcularibus negotiis pro testimonio aut conficiendis instrumentis non rogentur.* C. Ante ea verba vox *credibilius* est in Concilio, *credibile* apud Gratianum. B. Ita est ut dicis. (7) Distinctione XXCI. *s* caput VII. (cujus initium *Sacerdos aut quivis*) Eugenio Papæ adscribitur. Id in his Eugenij minoris & Leonis IV. synodis invenio capite XIV. & scriben-

i 12. *q.* 1. *c.* 3. Necessaria.

k *Ans lib.* 7. *c.* 5.

l 21. *q.* 4. *c.* 4. Sine.

m *Ansel. lib.* 7. *c.* 103.

n *Ivo par.* 13. *c.* 7. *dec.*

o *Cæs. libr.* 8. *c.* 25.

p *Ivo par.* 11. *c.* 76. *decr.*

q *Cæs. lib.* 8. *cap.* 81.

r 14. *q.* 2. *c.* 2.

s *Dist.* 81. *c.* 7. Sacerdos.

dum est: *in ordinem ecclesiasticum provectus, si in eo scelere inveniatur, quo abiciendus existat.* (8) In eadem distinctione [t] caput adjectum à Palea cum hac inscriptione, *Ex decreto Eugenij Papæ*, quod etiam apud Anselmum [u] & Bernardum Papiensem refertur [x], hujus Concilij est caput decimumquintum. Varietas magna est, ut in Notis tuis ad Papiensem ex libro Veronensi à te relata est. A. Pergratum mihi est quòd fontem illius capitis indicaveris, ut etiam aliorum quæ à te narrata sunt. (9) B. Caput XVI. Gratianus [y] refert ut ex synodo habita Romæ ab Eugenio Papa. Melius est in libro Cæsaraugustano [z]: *In Concilio primo Eugenij Papæ cum Episcopis* LXXII. *& Leonis IV. cum Episcopis* LXVI. A. Si addidisset cujus Eugenij id Concilium esset, nihil desiderari aptius posset. Cupio tamen scire abs te, num conveniat in Episcoporum numero? B. In Leonis synodo nulla differentia est, in Eugenij tamen decem Episcopi plures in Cæsaraugustano sunt quàm in veteri libro ejus Concilij. A. In verbis quænam varietas est? B. Quod apud Gratianum est, *res mobiles aut immobiles*, in eo Concilio est, *res mobiles*, in libro Thomasiano Gratiani *res immobiles*, in Cæsaraugustano sola vox *res* invenitur. A. Nihil mutandum censeo. B. In extremo capite, *coartandus existat*, est in Concilio, *coartatus existat* habet Gratianus, *coërceatur* liber Cæsaraugustanus. A. Scriptura Concilij recipienda est. (10) B. Caput XIIX. Leoni Papæ adscribit Gratianus

[t] *Ead. dist. c. 22. Si quispiam.*

[u] *Ansel. li. 8. cap. 9.*

[x] *c. 3. de cohab. cler. in 1. collect. & apud Greg. IX. c. 2. c. tit.*

[y] *12. q. 1. c. 27 Nulli.*

[z] *Cæs. lib. 7. cap. 61.*

a distinctione LXXII. ut Anselmus *b*, Eugenio Papæ liber Cæsarauguſtanus *c*. Pro illis, *niſi ab ipſo poſtulatus*, ſcribendum eſt, *niſi ab alio poſtulatus*; ut in his tribus libris eſt; quamvis Anſelmus habeat *poſtuletur* pro *poſtulatus*. Pars ejuſdem capitis omiſſa eſt, qua cavebatur ut dimiſſoriæ litteræ univerſalis Pontificis aut Imperialis vel Metropolitani bulla roborentur. C. An etiam Metropolitani bulla utebantur? A. Sigillum arbitror ſignificari. Sed & Venetorum Dux bulla utitur plumbea in quibuſdam litteris. Et Græci Imperatores χρυσόβουλλον appellabant litteras eorum aurea bulla exornatas. Cetera poterunt alio die conferri. Noſtis enim occupationes meas. B. Ita fiat.

a *Diſt.* 71. *c.* 1.
b *Anſ. lib.* 6. *c.* 122.
c *Cæſar. lib.* 4. *c.* 87.

Vid. Balſamo ad Photium, cum ſcholiis.

ADDITIONES.

(1) IN editione Gregoriana cap. 3. *Epiſcopi.* 21. q. 4. inſcriptio eſt: *Item Zacharias Papa in ſynodo Romana c.* 3. In Notis eſt: *Hæc ſynodus à Zacharia Papa habita extat in bibliotheca Vaticana & Regienſi.* Et in indice librorum eſt: *Zachariæ decreta ex bibliotheca Ormaneti Epiſcopi Patavini, Synodus Romana ex Vaticana, Francica ex Dominicana ſupra Minervam.*

(2) De inſcriptione cap. 4. *Iuxta.* diſt. 93. dictum eſt in dialogo 13. additione 2. libri prioris. In verbis hæc leguntur: *Ordinationi ſubjacent, qui propinqui ſunt.* Capitis 4. *Ego N.* de jurejur. inſcriptio eſt: *Idem* (Gregorius) *Petro Subdiacono.* In margine eſt: *cap.* 10. *tit. de electione in* 1. *compil.*

(3) Ante cap. 14. cau. 26. q. 7. in eodem libro hæc ſunt: *Vnde Zacharias Papa in Concilio Romano c.* 9. Si quis Calendas Januarias & brumam ritu paganorum colere vel aliquid plus novi facere propter no-

vum annum, aut mensas cum dapibus &c.] In margine hæc sunt: *Polyc. ibidem.* (hoc est, *l.* 6. *tit.* 12.) *Burch. l.* 10. *c.* 16. *Ivo par.* 11. *c.* 43. Et in Notis: *Hoc est caput nonum in Concilio Romæ à Zacharia habito, quod asservatur in Vaticana bibliotheca; & inde nonnulla sunt emendata & addita. De hac autem superstitione Bonifacius Legatus Germaniæ epistola secunda, quæ est in tomis Conciliorum, ad ipsum Zachariam multa scribit: cui Zacharias ultima epistola respondens, mentionem hujus Concilij videtur facere his verbis:* Et quia per instigationem diaboli iterum pullulabant, à die qua nos jussit divina clementia (quamquam immeriti existamus) Apostoli vicem gerere, ilico omnia hæc amputavimus. *Idem prohibetur pluribus verbis in canonibus qui sexta synodo adscribuntur c.* 62. *Et multa in hujusmodi superstitionem scribit Tertullianus in libro de Idolatria & alij græci auctores.* Vel aliquid plus novi facere propter novum annum] *Hæc non sunt in codice istius Concilij Vaticano.*

(4) In dialogo quarto addit. 12. dictum est de inscriptione capitis 57. Romanis, de consecr. dist. 1. cujus initium *Nullus Episcopus.* Editum est, *ab alio Episcopo.* Et post vocem *finem* hæc sunt: *quia scriptum est:* [*qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*] *Si quis verò &c.* Et in margine: *Mat.* 10.

(5) Cap. 3. *Necessaria.* 12. q. 1. in libro Romano inscriptio est: *Item Eugenius Papa II. & Leo quartus c.* 7. In margine est: *Ans. l.* 7. *c.* 5. *& l.* 4. *c.* 2. Et in Notis: *Est caput septimum Concilij Romæ ab Eugenio II. primùm habiti, & postea à Leone IV. renovati. Antea citabatur Leo nonus.*

(6) Hæc inscriptio est in eodem libro capitis 4. *Sine ornatu.* 21. q. 4. *Item Leo Papa IV. in synodo Romana c.* 12. In margine est: *Ans. l.* 7. *c.* 162. *Ivo par.* 13. *c.* 7. Post verbum *patiantur* addita sunt hæc: *Sed ea solummodo quæ per patres constituta videntur observet. Contrarius &c.*

(7) Inscriptio capitis secundi sive posterioris 14. q. 2. in eodem libro hæc est: *Vnde in synodo habita Romæ ab Eugenio Papa II. statutum est c.* 13. *Quam-*

quam sacerdotum testimonium credibilius habeatur, tamen ipsi in saecularibus negotiis pro testimonio aut conficiendis instrumentis non rogentur &c. In margine est: *Poly. l. 4. tit. 31.* In Notis: *Pro testimonio*] *Sic est emendatum ex Conciliis Eugenij II. & Leonis IV. & Polycarpo. Antea enim legebatur*, pro conficiendis instrumentis ad testimonium non rogentur. *Et si autem*] *In Conciliis ipsis & Polycarpo legitur*, si enim eventæ causæ aliquid viderint &c.

(8) Caput 7. distin. 81. ita in eodem libro inscribitur: *Item Eugenius Papa. Sacerdos aut quivis alius in ordine ecclesiastico provectus, si in eo scelere invenitur quo abjiciendus comprobatur &c.* In margine est: *Ans. l. 5. in prin.* Imperfecta hæc sunt.

(9) Ejusdem distinctionis caput 22. *Si quispiam sacerdotum*, in eodem libro hanc habet inscriptionem: [*Ex decreto Eugenij Papæ*] *Palea.* In margine hæc sunt: *Polyc. l. 4. tit. 31. ex. Lucio. Ans. l. 8. c. 9. ex pœnit. Romano.* In Notis: *Ex decreto*] *Hic canon in Concilio Romano primùm ab Eugenio secundo editus, & postea à Leone quarto etiam in Concilio fuit repetitus, & citatur in decretalibus tit. de cohabit. cleric.... (deest, &) mul. Et in plerisque vetustis exemplaribus est sine nomine. Admonitionem*] *In eodem canone sequitur*, Metropolitani vel alterius Episcopi aut ejus cui subjacere videatur.] Desideratur numerus canonis Romani, hoc est, c. 15. Inscriptio capitis 2. de cohab. cleric. est: *Ex decreto Eugenij Papæ. Si quisquam sacerdotum &c.* In margine est: *Cap. 3. eod. tit. in 1. compil.*

(10) Quod ad caput 27. attinet 12. q. 1. ejus in cod. libro Romano inscriptio est: *Item ex synodo habita Romæ ab Eugenio Papa II. c. 16. Nulli Episcoporum liceat res mobiles aut immobiles &c.* In fine est: *coarctatus existat.*

(11) Distin. 72. capitis 1. hæc in eodem libro inscriptio est: *Unde Leo Papa ait: Episcopus subjecto sibi Sacerdoti vel alij Clerico, nisi ab ipso postulatus &c.* In margine est: *Ans. l. 6. c. 122.* Imperfecta hæc sunt. Vide lib. 1. dial. 16. add. 3. in fine.

DE EADEM RE EX EODEM Concilio Eugenij & Leonis.

Dialogus secundus.

B. CUM à te heri discessimus, petebat C. à me cur bullas existimarem dictas pontificias litteras. Dixi ab illo sigillo quod in singulis pendere soleret, sed cur sigillum id bulla diceretur, à te petendum esse. A. Nonne meministis bullam dici Romanis quam pueri supra togam prætextam ferrent è collo pendentem, quod cordis sive lunæ speciem obtineret, sive à Græca voce βουλὴ, quæ consilium significat, sive à Latina *bulla* pro tumore; ut cùm dicimus, *homo bulla*, aut cùm in vestibus auream bullam, aut in aquæ ferventis spuma ebullire, appellamus bullas illas facere. C. Credo me apud Plutarchum, Festum, & Macrobium hoc ipsum legisse. Sed non suspicabar inde pontificias litteras nomen sumpsisse. Nunc vocis illius abs te heri usurpatæ memor χρυσόξουμον, facile inducor ut credam illam fuisse originem bullarum apostolicarum. B. In eandem ego sententiam accedo. A. Quid nobis reliqui est ex illis duorum Pontificum Conciliis? B. Caput XIX. Anacleto Papæ adscribit Gratianus, Lothario Imperatori collectio legum Longobardicarum. A. Magnam tu varietatem narras, Sed quid in aliis verbis lucri est? B. Initio

5 q. 3. cap. ult.

Longob. de advocat. libr. 2. tit. 47.

Episcopi

Episcopi scribendum est, non *Episcopus*, & *actionem*, non *actiones*. cetera levia sunt; ut *propriis suis actionibus*, quod Gratianus habet, *pro suis actionibus*. (1) Quod sequitur caput xx. conjungi debuit à Gratiano, ut discuteret Episcopus cur Sacerdos advocatum non inveniret. Sed venio ad caput xxi. quod ex Romana synodo appellat Gratianus; & evangelia sive εὐρετὰ solvenda sunt ei qui invenerit quænam ea synodus fuerit. A. Vide C. quid Anselmus & liber Cæsaraugustanus scripserint. C. Leoni adscribit Anselmus, in Cæsaraugustano inscriptio desideratur. B. Plura sunt in his Conciliis quàm in tribus collectionibus. Anselmus tamen plura refert quàm ceteri; & liber Cæsaraugustanus Gratiano plenior est. Post illa verba, *pro sacro officio illius diœcesis*, sive *diœceseos*, ut in Conciliis est, additur, *& bonæ auctoritatis dimissoriam*, sive, *& idoneos auctoritate dimissoriam. Et bonæ auctoritatis dimissoriæ* habet Anselmus, *dimissione* Cæsaraugustanus. A. Prior scriptura placet magis, *& bonæ auctoritatis dimissoriam*. B. Post verbum *commendare* additur in utroque Concilio: *ita ut ad placita & ad justam reverentiam ipsius Episcopi obedienter Sacerdos recurrat*. Eadem cum aliqua varietate sunt in Cæsaraugustano. Major varietas est apud Anselmum. Sed neutrius habendam rationem existimo. Illud addit Leo quartus: *Si verò superbia elevatus, vel alio quolibet modo, à propriis se subtrahere maluerit mandatis Episcopi, canonicis eum decer-*

16. q. 7. c. 33. Monasterium. *Ans. lib. 5. c. 73.* *Cæs. li. 8. c. 43.*

nimus ultionibus subjacere. C. Horum verborum pars est apud Anselmum. A. Ex his facilè cognosces quantum interfit ex fonte haurire, aut ex rivulis & stagnis ac lacubus. (2) B. Caput XXIII. non ad Gratianum sed ad veterem illam Bernardi Papiensis tui collectionem primam Decretalium pertinet. Quod enim sub titulo de religiosis domibus ex decretis Eugenij Papæ refertur, hujus Concilij est. A. Recita mihi Concilij verba, sunt enim in nostris libris parum aptè scripta. B. *De xenodochiis & aliis similibus locis. Eugenius in titulo. De xenodochiis, ptochotrophiis, nosocomiis, & orphanotrophiis, eremocomiis, & monasteriis tam monachorum quàm sanctimonialium. Leo quartus.* C. Legi nuper in Juliani epitome Novellæ VII. horum nominum differentiam. illud solum *eremocomiis* illic non est. A. Fortasse *gerontocomiis* scribi oportet. quod illic esse non dubito. B. Quid si hæc vox ad eremitas educandos referatur? A. Non rectè composita videtur. Sed perge tu, & quod cœperas refer. B. Capitis ipsius verba sunt hæc: *Per sollicitudinem Episcoporum hæc, quorum diœceseos existunt, ad eosdem utilitates quibus constituta sunt ordinentur, ut debiti panes atque curæ pertinentibus revertantur.* In his ultimis verbis est aliqua varietas. *dediti panes aquæ* est alicubi. *debitis atque curæ revertantur* alibi, omissa voce *pertinentibus. recitantur* pro *revertantur* invenio etiam scriptum. Mihi *reddantur* non ineptum videretur. A. Ego vocem *curæ* in *rogæ* mu-

cap. 2. de relig. dom. in 1. collect. c. 3. e. tit. Greg. IX.

Capit. li. 2. c. 29. Ivo part. 17. c. ult. decret. Cæs. lib. 7. c. 80.

tarem. C. Quid ea vox significat? A. Ita dicebatur quod erogari solebat, ut ex Pontificali & Anastasij historia cognovimus. Sic igitur lego: *ut debiti panes atque rogæ pertinentibus reddantur*, seu *revertantur*. B. Mihi id vehementer placet. Sequuntur Leonis verba: *qualiter Deo vacantes inopia vel necessitatibus nullatenus occupentur; sed omni expulsa cura, puriùs in Dei servitio valeant mentibus permanere*. A. *Purioribus* pro *puriùs* mutandum censeo. (3) B. Caput XXVI. refert Gratianus *a* ut ex Concilio Leonis Papæ. Quarti addit Anselmus *b* non malè. A. In libro Cæsaraugustano *c* est: *Ex Concilio Gregorij primi Papæ*. ineptissimè. sed varietatem audiamus. B. *Superposita* pro *suppositа*, *prospector* pro *perspector*; & pro illis, *non illicitis exactionibus opprimantur*, in eo Concilio est, *quam illicitis exactis dationibus opprimantur*. C. Anselmus habet *super posita* & *perspector*, cetera ut Concilium. A. Vide librum Cæsaraugustanum. C. Convenit cum Anselmo, una excepta voce. est enim illic, *quam illicitis exactis vel dationibus opprimantur*. A. Vox *quam* pro *magis quàm*, vel *potiùs quàm*, posita esse videtur. B. Ita existimo; ut illud: *Bonum est sperare in Domino quàm sperare in Principibus*. & alia sexcenta quæ in emendationibus refers. Leonis verba sunt illa: *Quia Dominus pascere & docere nos docuit*. & quæ sequuntur. (4) Caput XXIX. ex decreto Eugenij Papæ refert Gratianus *d*, ex decretis ejusdem liber Tarraconensis *e*. capite XXVIII.

a 16. q. 1. c. 62. Nulli.
b *Ans. lib. 6. c. 166.*
c *Cæs. lib. 4. c. 89.*
Psal. 117. b.
d 27. q. 1. c. 31. Mulieres.
e *Tarra. li. 6. c. 232.*

f *Burc. lib.* 8. *cap.* 54. g *Ivo par.* 7. *c.* 72. *dec.*

addit Burchardus *f*, cap. XXVI. Ivo *g* in excerptionibus. Omnes epitomen, non verba, referunt, quæ ita initio concepta sunt: *Fœminæ verò quæ habitum religiosum aut velamen obtentu religiositatis susceperunt, cùm essent viri potentes, deinceps viro sociari non permittantur; sed eligentes monasteria regulariter vivant, aut in domibus susceptum habitum castè observent. contrà autem turpes inventæ providentia Episcopi emendentur.* His Eugenij minoris verbis addit alia Leo non contemnenda. (5) Caput XXXII. à Gratiano refertur ex synodo habita ab Eugenio Papa.

.o. q. 1. c. 9. Sicut qui.

Cæs. li. 9. c. 12.

A. Eidem Eugenio adscribit partem ejusdem capitis liber Cæsarauguſtanus. B. Pro illis verbis, *qui inviti sine justa offensionis causa sunt intromissi*, illic est, *qui in monasterio inviti, & injustè sine ostensione sunt intromissi*; aut ut alius liber habet, *qui invitè sine justa ostensionis crimine monasteriis sunt intromissi.* A. Vide quid in Cæsarauguſtano sit. C. *Si qui sine ostenso crimine inviti in monasterium mittuntur.* A. Sententia eadem est in omnibus. Illud tamen eligo: *qui invitè sine justa ostensionis crimine monasteriis sunt intromissi.* Sed quid est quod extremo capite dicitur: *sicut in decreto sanctissimi Leonis Papæ continetur libro sexto.* Quis ille sextus Leonis liber est? B. Rectè Contius notam addidit illis verbis, *libro sexto:* quæ nulla sunt in Concilio Eugenij. Videtur autem Leonis mentio fieri quia Leo capite XXVI. & XXVII. (ut in Corpore canonum est) ex epistula XC. ad Ru-

sticum Narbonensem Episcopum cap. XII. & XIII. idem statuisset. (6) Caput XXXIII. Clementi adscribit Gratianus *h*. quod à te credo esse relatum *i*. Quod dicitur, *à laicorum loco*, illic est, *à laicorum*, voce tertia omissa. & pro verbis extremis, *sacra officia exercere*, habet id Concilium in margine, *sacra officia celebrari*. Adduntur postea à Leone quarto plura non inutilia. Hujus capitis mentio fit à Sigiberto historico, sed falsò Leo V. appellatur auctor. In libro Cæsaraugustano Eugenio Papæ aliis verbis eadem sententia adscribitur. (7) Venio ad XXXIV. caput, quod inscribitur de scholis reparandis pro studio litterarum. Id Gratianus ex synodo Eugenij Papæ refert distin. XXXVII. Non rectè Eugenio tertio Contius adscripsit, à quo nescio an aliquid Gratianus acceperit. Ivo Carnotensis ita inscripsit: *Synodus Eugenij Papæ tempore Ludovici*. Pro illis verbis, *ab universis Episcopis, subjectis plebibus*, scriptum invenio in Concilio & apud Ivonem: *universis Episcopis subjectisque plebibus*, voce *ab* omissa. At in Gratiani libro Thomasiano, *universis Episcopis subjectisque plebibus*. A. Mutatio placet. B. Quod verò postea est, *qui studia litterarum liberaliumque artium dogmata assiduè doceant*, pleniùs est in his duobus Conciliis: *qui studia litterarum liberaliumque artium ac sancta habentes dogmata, assiduè doceant*. A. Hæc recipienda esse ostendunt quæ sequuntur verba. *Quia in his maximè divina manifestantur atque declarantur*

h *De consec. d.* 2. *c.* 30. Sacerdotum.
i *Dial.* 13.

Cæs. lib. 8. *c.* 27.

Dist. 37. *c.* 12. De quibusdam.

Ivo par. 4. *c.* 214.

mandata. Sed quid apud Ivonem est? C. Post vocem *artium* tantùm est: *habentes dogmata doceant.* B. Vide quid Leo addiderit: *Et si liberalium artium præceptores in plebibus, ut assolet, rarò inveniuntur, tamen divinæ scripturæ magistri & institutores ecclesiastici officij nullatenus desint &c.* A. Hæc omitti non debuerunt. (§) De ceteris cras aut perendie videbimus.

ADDITIONES.

(1) INSCRIPTIO capitis ultimi 5. q. 3. in editione Romana hæc est: *Item Anacletus Papa. Quia episcopus &c.* In Notis hæc sunt: *Hoc capitulum, quod ex Anacleto citatur, habetur in Concilio Eugenij Papæ secundi tempore Ludovici ac Lotharij Imperatorum habito c. 19. Quod etiam à Leone quarto est repetitum. Ex quo canone Lotharius lib. 2. legum Longobard. tit. de Advocatis & Vicedominis octavum Capitulare composuit. In verbis nihil est mutatum.*

(2) Capitis 33. *Monasterium.* 16 q. 7. hæc in eodem libro inscriptio est: *Item ex Romana synodo Eugenij II. & Leonis IV. c.* 21. Nulla varietas notatur, præter ad vocem *invito, al. invitè,* in margine. Anselmi verò nomen non est adjectum.

(3) Hæc inscriptio est capitis tertij de relig. domib. *Ex decretis Eugenij Papæ. De xenodochiis & aliis &c.* In margine est: *Hoc reperi in 1. compilatione t. tit. c. 2. & hic, non alibi.* Fons omittitur.

(4) Ante caput 62. *Nulli Episcopor.* 16. qu. 1. hæc verba sunt in libro Romano: *Vnde in Concilio Leonis Papæ IV. cap. 26. statutum est.* In margine hæc sunt: *Polyc. l. 4. tit. 21. Anselm. l. 6. c. 166.* Ad verba *superposita in angariis* est in margine: *In vulgatis erat* suppositа] & ad vocem *prospiciat, al. perspiciat.* & ad vocem *exactionibus, al. exactis dationibus.*

(5) In eodem libro inscriptio cap 31. *Mulieres obtentu.* 27. q. 1. hæc est: *Item ex decreto Eugenij Papæ secundi in Concilio Romano c.* 29. Et in margine est: *Polyc. l.* 4. *tit.* 34. *Burch. l.* 8. *c.* 54. *Ivo par.* 7. *c.*72. Et in Notis: *In Concilio quod extat in bibliotheca Vaticana hæc sunt ipsa decreti verba. Feminæ verò &c.* usque ad verbum *observent* ut in dialogo.

(6) Gratiani verba sunt ante caput 9. *Sicut qui.* 20. q. 1. in eodem libro: *Sic & illud intelligendum est quod est statutum in synodo habita ab Eugenio Papa* II. *c.*32. In verbis nulla varietas notatur. *Qui inviti sine justa offensionis causa sunt intromissi.* Et postea: *sicut in decreto sanctissimi Leonis Papæ manifestissimè continetur.*

(7) De inscriptione capitis 30. *Sacerdotum.* de consecrat. dist. 2. scriptum est in dialogo 13. addit. 1.

(8) Caput 12. *De quibusdam.* dist. 37. in eodem libro ita inscribitur: *Item ex synodo Eugenij Papæ secundi.* In margine est: *Ivo p.* 4. *c.* 214. *Anselm. lib.* 7. *c.* 2. *Polyc. l.* 4. *tit.* 32. In Notis: *Eugenij*] *Apud Anselmum citatur ex synodo habita Romæ in consist. Lateran. à Beato..... In Polycarpo eodem modo, & additur nomen Eugenij; ex quo etiam citat Ivo. Inventum verò est in synodo Eugenij Papæ II. & in synodo Leonis IV. quarum synodorum, ut alibi dictum est, exemplaria sunt in Vaticana bibliotheca. In indice etiam synodi à Gregorio VII. Romæ habitæ talis cujusdam capitis hæc ponitur summa:* Ut omnes Episcopi artes litterarum in suis Ecclesiis doceri faciant.] In verbis nulla est varietas. Editum autem est: *Idcirco in universis episcopiis sujectisque plebibus.* Et postea: *Qui studia litterarum liberalium que artium dogmata assiduè doceant.*

DE EADEM RE.

Dialogus tertius.

A. QUA de re nunc inter vos agebatis? B. De tempore quo hæc duo Eugenij & Leonis Concilia habita sunt. A. Quid igitur certi est? Dixisti enim heri Ivonem Carnotensem tempore Ludovici affirmasse habitam esse Eugenij synodum. Eum Ludovicum existimo Pium cognomento esse dictum, Caroli Magni filium. B. Ita est ut existimas. Namque sub Leone tertio Pontifice Maximo Carolus moritur. Leoni Stephanus, Stephano Paschalis, Paschali Eugenius hic suffectus est. Et in ipso Eugenij Concilio dicitur anno XIII. Ludovici Aug. Indict. IV. mense Novemb. haberi Concilium. Sed & Lotharij filij novi Imperatoris mentio fit. annus omissus est. Si numeros Panuinij sequamur, Christianæ salutis annus est DCCCXXVI. pontificatus Eugenij minoris annus tertius. A. Ex Indictione videtur unus annus detrahendus. Leonis quarti synodus quo anno habita esse dicitur? B. Anno septimo Leonis, Lotharij verò & Ludovici Imperatorum anno quinto & tricesimo septimo, (quod ex alio loco sic intelligitur ut vox *quinto* referatur ad Ludovicum, cetera ad Lotharium) mense Decembri, Indictione secunda. Panuinius anno quarto Leonis, Lotharij verò anno XI. Chri-

sti DCCCL. synodum Romanam habitam esse scribit. A. Ex Indictione & anno septimo pontificatus apparet annum fuisse DCCCLIII. Lotharij decimum quintum. C. Estne Ludovicus ejusdem Lotharij filius qui eidem successisse dicitur, an Pius ille Lotharij pater? B. Apud Sigibertum invenio hunc Ludovicum Lotharij filium à Sergio minore Pontifice Maximo Regem Longobardorum factum esse, eundémque postea Imperatorem fuisse appellatum. Idem anno Christi DCCCXLVII. anno septimo Lotharij decretum hujus Concilij, de quo heri locuti sumus, refert. A. Redeundum est tibi ad ea capita quæ reliqua sunt. B. Caput xxxv. apud Ivonem, non apud Gratianum inveni cum hac inscriptione: *Ex synodo Eugenij Papæ tempore Ludovici & Lotharij Augustorum cap.* xxxv. In libro Cæsaraugustano est: *Ex synodo Eugenij Papæ cap.* xxxii. Imperfectè autem utrubique est. Omittuntur enim Leonis verba maximè necessaria. Capitis xxxvi. pars refertur à Gratiano *a* ex synodo Eugenij Papæ; cui addunt hæc *tempore Ludovici & Lotharij cap.* xxxvi. Ivo *b* & liber Cæsaraugustanus *c*. Omissum est initio: *Nulli liceat, excepta caussa fornicationis, adhibitam uxorem relinquere & deinde aliam copulari, alioquin transgressorem priori convenit sociari conjugio.* C. An si fornicationis caussa relinquat, poterit aliam ducere? B. Minimè gentium. Sed exceptio illa ad priorem partem est referenda, *ne quis uxorem relinquat,*

Ivo par. 11. *c.* 77. *decr.*

Cæs. lib. 8. *c.* 82.

a 27. *q.* 2. 22. Si vir & uxor.

b *Ivo libr.* 6. *tit.* 5. *c.* 2. *panorm. & par.* 8. *c.* 227. *decr.*

c *Cæsar. lib.* 10. *c.* 98.

d *Matt.* 5. ut in verbis Domini *d.* Extremo capite addebantur Leonis verba: *ut districta pœnitentia coërceantur qui religionis causſa ſeparati ex utriuſque conſenſu fidem fregerint.* (1) Caput XXXIIX. refert Ivo ut Zachariæ Papæ verba. Neque omnino fallitur. Nam in ſynodo Romana Zachariæ, de qua alio die locuti ſumus, capite ſexto pars eorundem verborum eſt. Quæ poſt hoc caput ſequuntur, Leonis quarti tantùm ſunt capita quattuor, ex quibus nihil invenio apud Gratianum. Poſtea dicitur acclamatum fuiſſe ab omnibus, & deinde Theodorum Notarium & Scriniarium legiſſe depoſitionem Anaſtaſij Preſbyteri Cardinalis Tituli ſancti Marcelli hoc initio: *Imperantibus Dominis piiſſimis perpetuis Auguſtis Lothario à Deo coronato pacifico & magno Imperatore anno* XXXVII. *ſed & Ludovico à Deo coronato ejus filio nuvo Imperatore anno quinto, menſe Decembrio, die octava, In dictione ſecunda, in civitate nova cujus vocabulum Leoniana eſt, intra Eccleſiam ubi corpus beatiſſimi Petri Apoſtolorum principis conditum eſt, Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei &c.* A. Hæc igitur eſt illa depoſitio cujus mentio fit in Gregoriana collectione, titulo de Clericis non reſidentibus, de qua pluribus verbis agit Bernardus Circa Papienſis in prima collectione, ſed malè tertio Leoni adſcribebatur quod ad quartum pertinebat. B. Bernardi verba ſunt: *Ex geſtis Romanorum Pontificum. Leo tertius natione Romanus conſilio Lotharij & Lodovici*

Ivo par. 9. c. 21. decr.

c. 2. de cler. non reſ. in 1. collect. & apud. Gregor. 2.

Imperatorum ſanctam & venerandam LXVII. *Epiſcoporum in Eccleſia beati Petri ſynodum congregavit. In hac ſynodo Anaſtaſius &c.* C. De numero Epiſcoporum ex Cæſarauguſtano libro dictum eſt fuiſſe LXVI. (2) Urbem Romam Leonianam dictam fuiſſe nunc primùm audio. B. Non tota urbs ita dicta eſt, ſed ea pars quæ ultra pontem & molem Hadriani eſt, quæ Tranſtiberina dicebatur, in qua Vaticanus mons fuit, nunc ædes ſacra beato Petro, & magna domus pontificia conſiſtit. Invenies ea de re multa in Pontificali volumine de vitis Pontificum, in quo etiam de hac depoſitione Anaſtaſij in Concilio LXVII. Epiſcoporum agitur. A. Quo pacto XXXVII. annus eſt Lotharij & quintus Ludovici, cùm Ludovicus Pius Lotharij pater Imperatoris nomen acceperit & coronam à Stephano quarto anno DCCCXVI. ut Panuinius ſcribit, qui eſt XXXVII. à ſeptimo anno Leonis quarti. An eodem anno pater & filius Imperium obtinuerunt? B. Segefredus de Ludovico idem dicit, ſed Paſchalem ait Stephani ſucceſſorem Lotharium Imperatorem appellaſſe anno DCCCXXIII. Quod ſi non eo anno, ſed primo, id geſtum eſt à Paſchali, minus laboraremus. A. Malo huic Concilio credere quàm ceteris ſcriptoribus. Habéſne aliud ſive ex hoc ſive ex alio libro veteri quod ad Gratianum pertineat? B. Ex Bonifacij martyris Archiepiſcopi Maguntini epiſtulis duo capita ſunt apud Gratianum, quorum alterum inveni, alterum alibi quæ-

Cæſarau. lib. 7. cap. 61.

rendum est. Quod enim distinctione XL. e *ex dictis Bonifacij martyris* inscribitur, & ab Ivone *f ex gestis Bonifacij martyris Legati Romanæ Ecclesiæ*, à nobis repertum non est. (3) At quod est distinctione LVI. *g* ita inscriptum *Bonifacius martyr scribens Regi Anglorum*, & apud Ivonem *h Bonifacius martyr Hiltribaldo Regi Anglorum*, in bibliotheca Michaëlis Thomasij invenimus in epistula integra Accheldobaldo Regi missa, cujus initium fuit: *Confitemur coram Deo.* Appellat autem se Bonifacium Archiepiscopum Legatum Germanicum. A. Gratissimum est quod dicis, tum ob alia multa, tum quòd inveneram nuper partem ejus epistulæ libro septimo Capitularium sine ulla inscriptione, & propter mentionem Hispanicæ cladis verba ex fontibus ipsis accipere cupiebam. C. Quibus verbis ea de re Bonifacius egit? Totam enim epistulam perlegere aveo. B. Poteris id quidem postea facere, cùm commodum erit. est enim lectu digna. sed longior est, & magnam diei partem nobis auferret. Brevibus referam quod in ea continetur. Initio laudat Regem quòd multa pauperibus largiatur; laudat etiam quòd furta, rapinas, perjuria, & alias iniquitates & crimina prohibeat, quòdque viduarum & pauperum defensor sit, & pacis amator. Acriter autem eum reprehendit quòd uxorem non accipiat, cùm minùs castè vivat, & sacrarum virginum violator esse credatur. Tum addit ea quæ Ivo & Gratianus referunt, ostendens

e *Dist.* 40. *cap.* 6. Si Papa.

f *Ivo par.* 5. *c.* 23. *decr.*

g *Dist.* 56. *ca.* 10. Si gens.

h *Idem Ivo par.* 8. *cap.* 224. *decr.*

Capit. lib. 7. *c.* 285. *in addit.*

quid periculi ex malo Regis exemplo ad populum perveniat. quod ex Anglorum & Hispanorum & Burgundionum clade propter libidinem earum gentium ostendit. In verbis non magna varietas est. pro illis, *improperium nobis obicitur*, illic est, *improperium est*. & pro *nec bello*, *nec in bello*. pro *Hispaniæ & Provinciæ*, omissa voce *&*, *Hispaniæ provinciæ*. Sic autem fortasse non Galliæ pars, quæ Provincia dicitur, accipietur. Pro illis, *vindex talium*, illic est, *judex omnipotens talium*. A. Ego *vindex omnipotens talium* scriberem. B. Denique pro illis, *per ignorantes legem Dei, id est, per Sarracenos*, scriptum est, *per ignorantiam legis Dei & per Sarracenos*. A. Quid apud Ivonem sit videamus. C. Ivo *improperium est* habet, & *nec in bello*. Retinet tamen, *& Provinciæ*, atque voce *vindex* sive vocibus *judex omnipotens* caret. ad extremum habet, *per ignorantiam legis Dei per Sarracenos*. A. Capitularia conferamus. C. Contuli. *Et Provinciæ* solùm habent. cetera ut in ipsa Bonifacij epistula (4) A. Habésne aliquid ex Callisti minoris Concilio, quod frequens fuisse traditur? B. Nihil omnino legi. Immo multis capitibus quibus Callisti nomen Gratianus adscripsit, selecti viri Romæ eam notam addiderunt, qua ostenderent nusquam esse reperta. A. Cras volo ut ex Anselmi Lucensis collectione id Concilium restituamus.

ADDITIONES.

(1) INSCRIPTIO capitis 23. Romanis. 17 q. 2. hæc est : *Item ex synodo Eugenij Papa secundi in synodo Romana c. 36. Si vir & uxor &c.* In margine est : *Sent. ibid.* (hoc est, *Sent. 4. dist. 27 Ivo p. 8. c. 127. Pann. l. 6. c. 76.* Numeri differentia oritur, quia à nobis non habetur ratio capitis *Quia conditio*, quod est Romanis 7. nobis inscriptio capitis septimi *Quicumque.*

(2) Hæc etiam est in Romano libro inscriptio capitis 2. de Clericis non residentibus : *Leo tertius, Et gestis. & infrà. In synodo Anastasius &c.* In margine est : *Cap. 2. eod. tit. in 1. compil.*

(3) Ante caput sextum *Si Papa.* distin. 40. in Romana editione hæc inscriptio est : *Item ex dictis Bonifacij martyris.* Et in margine est : *Al. gestis*, pro *dictis.* Et : *Ivo par. 5. c. 23.* In Notis : *Dictis Bonifacij Nauclerus gen. 26. testatur hoc fuisse dictum Bonifacij martyris. Verùm Deus-dedit Presbyter Cardinalis tit. Apostolorum in Eudoxia tempore Victoris Papæ III. libros quatuor de rebus ecclesiasticis composuit, qui in bibliotheca Vaticana servantur. Et lib. 1. c. 231. ex gestis [sic habent etiam multi Gratiani codices & leg. Bonifacij martyris & Archiepiscopi Moguntini sedis Apostolicæ Legati hæc sanctissimi illius viri de Romano Pontifice ac sede Apostolica verba refert ; in quibus est hoc caput. & quidem ex antecedentibus & sequentibus valde illustratur.* Sancta Romana Ecclesia privilegio specialis auctoritatis divinitus & humanitus caput omnium Ecclesiarum post Christum Jesum effecta, secundùm antistitis vel rectoris sui qualitatem & solitudinem afficit totius Christianitatis membra &c.] In indice librorum est : *Deus-dedit Cardinalis collectio canonum, & libri quattuor de rebus ecclesiasticis, ex Vaticana.*

(4) Distin. 56. cap. 10. in eodem libro ita inscribitur : *Contrà Bonifacius martyr scribens Ethelbaldo Regi Anglorum. Si gens Anglorum, sicut &c.*

In margine est: *Ivo p. 8. c. 224.* Verborum varietas nulla est in illis: *sicut aliis gentibus Hispaniæ & Provinciæ & Burgundionum.* At in illis est: *donec judex omnipotens talium &c. al. vindex*, pro *judex*. Et ad illa verba, *per ignorantes legem Dei, id est, per Saracenos &c.* in margine est: *al. etiam* pro *id est*. Et in Notis: *Per ignorantes*] *In epistola B. Bonifacij martyris (quæ unà cum multis aliis extat manuscripta in codice sæpe memorato bibliothecæ Dominicanæ) legitur:* per ignorantiam legis Dei & per Saracenos &c. *cum quæ lectione concordant aliquot vetusta Gratiani exemplaria & ferè etiam Ivo.*] In indice librorum est: *Bonifacij martyris epistola ex bibliotheca monasterij B. Mariæ supra Minervam.*

DE CALLISTI SECUNDI Romana synodo.

Dialogus quartus.

A. TRIA volumina ejus collectionis, quam Anselmi Lucensis appellamus, ad manus meas pervenerunt sine nomine collectoris. Primum ex Ludovici Gometij Episcopi Sarnensis, cui ego Romæ suffectus fui sacri Palatij auditor, bibliotheca accepi; idque contuli cum alio exemplo Nicolai Ormaneti Episcopi Patavini. Tertium nuper ex Michaëlis Thomasij Ilerdensis Episcopi libris nactus sum. quod exemplum recens est ex bibliotheca Vaticana nuper, ut suspicor, exscriptum. Duo illa volumina satis antiqua visa sunt. In hoc igitur exemplo, post ea quæ in aliis libris leguntur, sunt quædam in singulis libris addita, ut mihi videtur, à poste-

rioribus ſcriptoribus aut dominis ejus voluminis, ſive illius à quo id ſumptum eſt. In his ſunt canones Concilij Romani Calliſti minoris, de quibus hodie ſumus dicturi. Aperi C. hunc librum, & quære librum quartum extremum. B. Cur Romani ſelecti viri in hoc libro emendationem Calliſti capitum non fecerunt, præſertim cùm ipſe Thomaſius & Petrus Ciacconius ejus ſodalis eodem libro fuerint uſi? A. Cur id factum ſit, planè ignoro. In cauſſa tamen fuiſſe exiſtimo, quòd ſine ulla inſcriptione canonum verba poſita ſint, ipſáque canonum diſtinctio nulla ſit, ut veſtris oculis inſpicere poteſtis. C. Qua igitur de cauſſa hæc hujus Concilij eſſe dicis? A. De ſingulorum capitum diſtinctione videamus. Simul enim & de ſcriptore ipſo ſive canonum auctore cognoſcemus. Capitis primi verba ſunt: *Sanctorum patrum exempla ſequentes*, & quæ ſequuntur. Hæc Calliſti Papæ verba eſſe Gratianus ſcribit. (1) Capitis ſecundi verba eſſe exiſtimo: *Nullus in Præpoſitum &c.* quæ etiam Gratianus eidem Calliſto Papæ adſcripſit. In verbis eſt aliqua varietas. Namque apud Anſelmum mendoſè ſcriptum videtur: *Nullus & in Præpoſitum, nullus in Archiepiſcopum, nullus in Decanum, nullus in Preſbyter vel Diaconus.* Aptiùs apud Gratianum eſt: *Nullus in Præpoſitum, nullus in Archiepiſcopum, nullus in Archipreſbyterum, nullus in Decanum, niſi Preſbyter vel Diaconus.* Mihi tamen videtur tollenda eſſe ab hac Gratiani ſcriptura illa verba, *nul-*

1. *q.* 1. *c.* 10. Sanctorum. *Diſt.* 60. *c.* 2. Nullus.

lus

lus in Archiepiscopum. Cur enim magis de Archiepiscopis quàm de Episcopis statuatur, aut cur Archiepiscopus post Præpositum scribatur, caussa nulla est. B. In Anselmi verbis vocem *Archiepiscopum* ex compendio vocis *Archipresbyterum* confectam arbitror. Hac de re agitur in synodo Innocentij minoris capite octavo. Illa autem verba, *nullus in Decanum*, Urbani minoris in Concilio Claromontano esse videntur. Hæc duo capita Callisti minoris videri notarunt selecti viri. Nihil enim, inquiunt, Callistus primus scripsit, & tertius Gratiano multò posterior fuit. A. Callisti primi epistulas cur reiciunt? B. Caussam nullam accepi. (2) A. Capitis tertij verba esse existimo: *A Presbyteris, Diaconibus &c.* quod apud Gratianum non inveni. Capitis quarti initium est: *Præterea juxta beatissimi Papæ Stephani sanctionem statuimus ut laici &c.* Hoc quoque caput non inveni apud Gratianum. Sed Stephani Papæ verba sunt epist. II. cap. IX. & Eulalij Episcopi Syracusani in synodo tertia Romana contra Symmachum, cujus verba posuit Gratianus *a* non semel, Trosleianum Concilium cap. III. Paschalis minor cap. II. vel IV. Capitulare Caroli & alior. lib. V. & VI. *b* Burchardus *c*, Ivo *d*, Deus-dedit *e*, Anselmus *f*, & liber Cæsaraugustanus *g*, & Tarraconensis *h*. (3) Quod sequitur *sed secundùm Apostolorum canones &c.* ad caput XXXIIX. Apostolorum refertur, quod in septima synodo cap. XII. insertum est. Id apud Gratianum *i* refertur quasi ex hi-

a *Dist. 96. c. 1. p.* Eulalius. *& 16 q. 7. c. 24.* Laicis.
b *Cap. lib. 3. c. 249. & lib. 6 c. 294.*
c *Burc lib. 15. c. 35.*
d *Ivo par. 16. c. 36. decret.*
e *Deus-de. c. 4.*
f *Anſ. lib. 5. c. 10.*
g *Cæſ. lib. 7. c. 112.*
h *Tarrac. lib. 1. c. 59.*
i *12. q. 2. c. 19.*

storia Eusebij Episcopi Cæsarienſis cap. XII. ut aliquando diximus *k*. Illa autem verba *Si quis ergo Principum &c.* Calliſti Papæ esse Gratianus *l* auctor est ; eáque conscripsit post verba Eulalij , quem falsò Gelasium appellat Syracusanum. de quibus nunc dicebamus. Sumpsisse videtur hæc Calliſtus minor ex decretis Paschalis minoris capite quinto. In verbis Gratiani & Anselmi hoc interest. quam *dominationem* Gratianus appellat, alter *donationem* vocat. (4) Quinti capitis initium esse existimo : *Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus &c.* B. Hæc Calliſti primi verba sunt in epistula secunda ad Episcopos Galliæ , Isidoro Mercatore teste & aliis collectoribus , Burchardo *m*, Ivone *n*, Anselmo *o*, & Gratiano *p*, & libro Tarraconensi *q*. A. Negasse viros selectos Romæ dicebas quicquam Calliſtum primum scripsisse; fortasse quia Isidoro parum credendum putarent , cujus auctoritate illæ epistulæ fulcirentur. Quòd si Calliſti epistulas reicimus, hæc verba posterioris tantùm sunt. Sed malo credere secundum Calliſtum à primo verba hujus capitis sumpsisse. B. Idem mihi videtur , præsertim cùm eo tempore jam Isidori collectio recepta esse videretur. A. Ineptè apud Gratianum est *prohibentur. quare ; quia has &c.* Meliùs in hoc canone , *prohibemus, quoniam eas.* & apud Isidorum , *prohibentur, quando has.* Quod etiam Gratianus habet, *Leges ergo divinæ*, & postea , *Leges ergo sæculi* , quod etiam apud Isidorum est, meliùs hic

k *Dialo. 9. lib. 1.*

l 16. *q.* 7. *c.* 25. Si quis.

m *Burc. lib.* 7. *c.* 1.
n *Ivo part.* 9. *c.* 22. *decret. & in epist.* 39.
o *Ans. lib.* 11. *c.* 84.
p 35. *q.* 2. *c.* 2.
q *Tarrac. lib.* 5. *c.* 71.

noster scripsit: *Leges enim divinæ.* & postea, *Leges verò sæculi.* (5) Venio nunc ad sextum caput, quod hujus Callisti esse negaverit nemo. *Ordinationes*, inquit, *quæ à Burdino hæresiarcha, postquam à Romana Ecclesia est damnatus, quæque & à pseudoepiscopis per eum postea ordinatæ sunt, nos esse irritas judicamus.* C. Quis hic Burdinus hæresiarcha fuit? A. Sic appellare solent Romani Pontifices eos qui in schismate electi sunt & se adversùs veros Pontifices Episcopos Romanos sive Papas vocari passi sunt. Hic Burdinus Archiepiscopus olim Bracarensis, in schismate adversùs Gelasium minorem factione Henrici IV. Imperatoris electus est; & cùm priùs Mauritius Burdinus diceretur, mox se Gregorium VIII. appellavit. Gelasio mortuo, à Callisto captus, & quasi in triumpho in urbem ductus est. B. Non dubium est quin hæc aut Gelasij, aut Callisti sint. A. Callisti nomen vides superioribus capitibus additum. Sic etiam additur verbis capitis septimi: *Nullus omnino Archidiaconus &c.* In verbis pænè convenit cum Gratiano. Tantùm pro *sicut à sanctis* scribi debet *sicut sanctis*; & pro *contra hoc*, *contra hæc.* (6) Capite IIX. de possessionibus Ecclesiæ Romanæ agitur. Quam ob rem facilè credis hoc fuisse Concilium Romæ habitum. Capitis IX. verba sunt: *A suis Episcopis excommunicatos ab aliis Episcopis, Abbatibus, & Clericis in communionem recipi proculdubio prohibemus.* Caput X. apud Gratianum invenietis Callisto adscribi distinct.

16. q. 7. c. 11. Nullus.

Distin. 62. c. ult.

LXII. *Nullus in Episcopum nisi canonicè electum consecret &c.* (7) Alio die de ceteris agemus.

ADDITIONES.

(1) CAPITIS decimi *Sanctorum patrum.* 1. q. 1. hæc inscriptio est in Gregoriana editione: *Item Calixtus Papa.* In Notis additur: *Est Calixti secundi, qui paulò ante Gratianum vixit, & aliquot Conciliis à se habitis contra Simoniam & investituras Ecclesiarum, quas Germanici Imperatores usurpaverant, multa decrevit. de quibus Abbas Vrspergensis ab anno Domini* 1118. (*in quo electus est Pontifex*) *usque ad annum* 1124. *accuratè scribit.* Callisti II. omnia capita imperfectè edita sunt. Et in toto volumine Gratiani, cùm solum nomen est Pontificis aut synodi, neque additur epistula vel caput, signum est fontes non fuisse repertos.

(2) In eodem libro inscriptio capitis 2. distin. 60. hæc est: *Item Calixtus Papa. Nullus in Præpositum, nullus in Archipresbiterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter, nullus in Archidiaconum nisi Diaconus ordinetur.*

(3) Gratianus distin. 96. cap. 1. ita inscripsit, ut in libro Romano est: *Vnde Symmachus Episcopus catholicæ Ecclesiæ urbis Romæ synodo præsidens dixit: Bene quidem fraternitas vestra &c.* In margine est: *In synodo Rom. 3. sub Symmacho c. 1. & seq.* Inscriptio capitis 24. *Laicis.* 16. q. 7. est hæc: *Item ibidem* [hoc est, *in synodo Romana tertia Symmachi Papæ*] *Eulalius Episcopus Syracusanæ Ecclesiæ dixit.* Et in margine est: *Et epi. 2. Stephani. I. c. 9. & in decretis Paschalis II. manuscrip. Pol. l. 6. tit. 1. Deus-dedit p. 4.* In Notis: *Facultatibus*] *Antea legebatur* dignitatibus. *Emendatum est ex originali* [*ut sup. dist. 96. Bene quidem*) *epistola Stephani primi & decreto Paschalis II. manuscripto. quibus locis hoc idem repetitur.*

(4) Hæc etiam inscriptio in eodem libro est capitis 25. *Si quis principum.* 16. q. 7. *Item Calixtus Pa-*

pa. In margine pro voce *dominationem* est, *al. donationem*. Et in Notis: *Inter decreta Calixti, ex quo citatur, non est inventum. Habetur in decretis Paschalis II. manuscriptis c. 5. Sed non est mutatum nomen Calixti, quia Pontifices isti, qui iisdem ferè temporibus fuerunt* (De Calliſto ſecundo & Paſchali intellige) *frequenter eadem decreta ſuorum anteceſſorum repetebant.*

(5) Quod ad caput ſecundum attinet 35. q. 2. & 3. ejus inſcriptio in eodem libro eſt: *Item Calixtus Papa epiſtola ſecunda ad Epiſcopos Galliæ. Conjunctiones conſanguineorum fieri prohibete, quando has &c. Leges ergo divinæ &c. Leges verò ſæculi &c.* In margine hæc ſunt: *Poly. ibid.* (hoc eſt. *Poly. l. 6. tit. 4.*) *Burc. l. 7. c. 1. Ivo p. 9. c. 22.* Et verſ. *Nos verò. Simile in Concilio Innocentij II.* Et ad vocem *Imperatorum, al. Imperator Romanorum.*

(6) Ante caput 11. *Nullus omnino.* 16. q. 7. hæc in eodem libro verba ſunt: *Item Callixtus Papa.* In margine eſt: *al. Ex Concilio Rothomagenſi.* In verbis nulla varietas. *Sicut ſanctis canonibus* editum eſt, & *contra hoc facere.*

(7) Inſcriptio capitis ultimi diſt. 62. in eodem libro eſt: *Vnde Calixtus PP. II. Nullus in Epiſcopum &c.* In margine eſt: *In Pontificali eſt mentio hujus decreti.*

DE EADEM RE.

Dialogus quintus.

C. LICET ne paucis antequam alia Calliſti capita percurras? A. Et paucis & multis licet. C. Cur hæc Calliſti capita, ut Gratiani verbis confirmaſti, non ſic etiam Burchardi & Ivonis & alior. collectorum locis confirmas? A. Si Burchardus & Ivo &

ceteri antiquiores sunt, quî possunt Callisti verba referre? C. Apud Ivonem in extrema Panormia Innocentij minoris verba referuntur, qui Callisto posterior fuit. A. Negare possum Ivonis eum librum esse. Sed malo hoc affirmare, additum esse Concilium Innocentij Panormiæ, non esse partem ejus collectionis. Ostendere possum veterem librum in quo neque id Concilium neque nomen Ivonis neque excerptionum præfatio continetur. Et in epistulis Ivonis ea præfatio temporibus Paschalis minoris scripta est. Deus dedit Urbani secundi tempore scripsit, item Anselmus Lucensis, sive is cujus collectionem habemus. In libris Cæsaraugustano & Tarraconensi nihil scimus ex Callisto & Innocentio sumptum esse. Itaque solus Gratianus utriusque Pontificis verba refert. C. His contentus sum. Redde cetera. A. Initium undecimi capitis ad bellum sacrum pertinet, quod tempore Urbani minoris inchoatum est. *Eis*, inquit, *qui ad Hierosolymam proficiscuntur &c. suorum peccatorum remissionem concedimus &c. sicut à Domino nostro Papa Vrbano statutum fuit.* Et postea non solùm Hierosolymitani belli, sed etiam Hispanici, facit mentionem. Habuit autem in Hispania Callistus fratrem Raimundum Comitem Alfonsi Regis generum & alterius Alfonsi patrem qui Imperator Hispaniæ appellatus est, à quo Reges omnes originem ducunt. B. Exstare librum audio Callisti de miraculis beati Jacobi Apostoli, cujus sepulchrum is quæ-

situm in Hispaniam venit. C. Verba mihi recitare libet, si pateris, de Hispanico bello. A. Recita. C. *Eos autem qui vel pro Hierosolymitano vel pro Hispanico itinere cruces sibi in vestibus posuisse noscuntur &c.* A. Capitis duodecimi sententiam non potero vobis explicare. Verba sunt hæc: *Illam verò pravam defunctorum porticanorum consuetudinem, quæ hactenus ibi fuit, ex fratrum nostrorum & totius curiæ consilio, necnon & voluntate atque consensu Præfecti, removendam censemus &c.* Fratres interpretor Cardinales & Episcopos, curiam verò, curiam Romanam, non Clericorum, sed civium Romanorum, Præfectum autem, urbis Romæ Præfectum. Sic hoc fuisse Concilium Romæ habitum comprobatur. Porticanos suspicor fuisse ineptè dictos, non à porticibus, sed à portu Ostiensi & aliis, qui portoria exigerent. Consuetudo prava fuisse videtur ut eis morientibus sine heredibus, eorum bona diriperentur. Caput decimumtertium de induciis scriptum est, quas treuguas appellabant: *Si quis treugam diffregerit &c.* Eadem ferè verba ab Innocentio secundo & Alexandro tertio repetita sunt. Caput XIV. Gratianus Calliſto Papæ adscribit. Ejus initium est: *Sanctorum patrum canonibus consona sentientes, oblationes &c.* Agitur autem de Ecclesiis urbis Romæ. *sentientes* melius est quàm *sancientes*, ut apud Gratianum. Pro *aut aliis* apud Anselmum est *aut de aliis*. (1) Capite XV. agitur de falsa moneta: *Quicumque monetam falsam se scien-*

10. q. 1. c. 14. Sanctorum.

te fecerit &c. Hoc apud Gratianum non inveni. Caput XVI. invenio Calliſto Papæ ab eodem adſcribi: *Si quis Romipetas & peregrinos & Apoſtolorum limina &c.* Hac de re quotannis interdicitur. Pro *teloneorum & pedagiorum* eſt apud Anſelmum *teloneorum & pedaticorum.* (2) Sic etiam caput XVII. Gratianus Calliſto Papæ adſcripſit: *Interdicimus & Abbatibus & monachis publicas pœnitentias dare &c.*] *etiam Abbatibus* habet Gratianus, & *conſecrationéſque altarium.* Anſelmus, *conſecrationes altarium.* B. Hoc etiam Calliſti minoris eſſe videri, adſcriptum à ſelectis viris inveni. (3) A. Caput XVIII. non inveni; cujus initium eſt: *In parochialibus Eccleſiis Presbyteri per Epiſcopos conſtituantur &c.* Urbano tamen ſecundo adſcribit Gratianus illa verba: *Decimas & Eccleſias à laicis &c.* qui addit vocem *monachi*, ea omiſſa, ad Preſbyteros refertur. (4) Sic initium capitis XIX. non inveni: *Servitium quod monaſteria aut eorum Eccleſiæ à tempore Gregorij Papæ ſeptimi uſque ad hoc tempus Epiſcopis facere & nos concedimus.* Quæ ſequuntur, Urbano ſecundo Gratianus adſcribit: *Poſſeſſiones Eccleſiarum & Epiſcoporum triennales &c.*] *tricennales* tamen ſcribit. (5) Sequitur caput XX. quod Urbano Papæ inſcribitur apud Gratianum: *Paternarum traditionum exemplis commoniti &c.* B. Vidi in quibuſdam ſchedis Urbano ſecundo adſcribi, addito numero capitis primi. A. Fieri poteſt ut idem ambo decreverint, ut Eugenius & Leo,

24. q. 13. c. 23. Si quis.

16. q. 1. c. 10. Interdicimus.

16. q. 7. c. 39. Decimas.

16. q. 4. c. 1.

24 q. 3. c. 24. Paternarum.

de quibus à te relatum est. Duæ illæ voces, *vel commissos*, neque in veteribus Gratiani libris neque apud Anselmum sunt. ex scholiis, ut fit, addita sunt. B. Idem selectis viris placuisse, ut reicerentur, inveni. (6) A. Capitis XXI. verba Calliſto Papæ adscribit Pœnitentiale Romanum *a* meum & Gratianus *b*: *Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & monachis concubinas habere penitùs interdicimus &c.* B. Urbano secundo capita duo adscripta sunt in Romanis schedis veteribus, quæ à Pariseto docto viro inventæ sunt. C. Antonius Contius Calliſti secundi verba esse existimat. A. Illa verba Gratiani & Pœnitentialis sunt, *seu matrimonia contrahere.* apud Anselmum non inveni. Vox quoque *personas* ab eodem omittitur. (7) Initium extremi capitis, hoc est, *Alienationes quæ ſpiritualiter* (*ſpecialiter* malo) *per Othonem, Guidonem, & Hieremiam, seu fortè Philippum ubilibet de possessionibus Ravennatis Exarchatus factæ sunt damnamus.* B. Súntne hæc nomina Archiepiscoporum Ravennæ? A. Id mihi incertum est. Quæ sequuntur, inveni apud Gratianum Urbano Papæ adscripta: *Generaliter autem omnium per intrusionem &c.* B. Hoc etiam caput tertium in illis schedis Urbano minori adscribitur, & sine nomine est in extremo hoc Anselmo Romano; in quo pro Othone est Attone, & *ſpecialiter* pro *ſpiritualiter.* A. Gratianus scribit: *Alienationes omnium per intrusionem &c.* & mox *alienationes dico.* Sed apud Anselmum non est vox *di-*

a *Pœnit. Rom.* tit. 8. c. 8.
b *Dist.* 27 c. 8. Presbyteris.

12. q. 2. c. 37. Alienationes.

co utrubique. Ab illis verbis *Illud etiam per omnia &c.* initium capitis quarti est in Anselmo extremo. In verbis nulla varietas est. (8) Hæc de Callisti Concilio dicere habui. Fuisse autem frequens apparet ex verbis Pandulfi in Pontificali: *Illo anno* DCCCCXCVII. *Episcoporum sive Abbatum numero Laterani Concilium celebravit, in quo vir regali stirpe progenitus ferè jam deperditam mundo pacem restituit.* In chronicis additis Sigeberto id actum fuisse dicitur anno Christi MCXXIII. in quo pax inter regnum & sacerdotium reformatur, & jus investiturarum episcopalium ab Imperatore exfestucatur. his enim verbis utitur. C. Festuca quid sit, scio: sed exfestucari, sputatilicum verbum videtur, ut illud apud Ciceronem. A. Finge festucam significare furcam vel furcillam, & exfestucari esse furcillis expelli. vel translatione sumpta à paleis vel festucis à tritico separatis, furcis adhibitis, exfestucari est festucas tolli. C. Nunc demum intellego. A. Velim scire B. de octava synodo quid attuleris. Habebam enim Romæ exemplum canonum sanè mendosum. Neque ei auxilio fuit epitome Conciliorum Toletani Archiepiscopi, quam secutus esse videtur Surius in editione Conciliorum. In indice librorum Michaëlis Thomasij erat octava synodus Hadriani tempore Constantinopoli habita interprete Anastasio Bibliothecario. Hanc suspicor te attulisse. B. Ita est ut dicis. Sed & Græcum librum audio in Hispania esse qui ad te deferat. C. Venisse accepi

Græcum scriptorem hodie cum libris. Is fortasse est. A. Omnes libros alio die adferamus, & Gratiani capita conferre poterimus. B. Ita fiet. Sed non solùm de octava, sed etiam de nona synodo, quæ octava quoque dicitur, sub Joanne octavo, erit agendum. A. Rectè admones.

ADDITIONES.

(1) CAPUT 14. *Sanctorum patrum.* 10. q. 1. in Romana editione ita inscribitur: *Item Calixtus Papa secundus.* In margine est: *Poly. l. 3 tit. 9.* Et in Notis: *Secundus*] *Additum hoc est ex plerisque vetustis. Neque verò primus esse potest, cujus tempore nondum Pantheon vocabatur templum sanctæ Mariæ rotundæ. Bonifacius enim fuit, qui tempore Phocæ Imperatoris illud beatæ Mariæ & omnibus sanctis dicavit.* Est autem editum *sancientes*, & *aut aliis*, sine ulla varietate.

(2) Hæc in eodem libro inscriptio est capitis 23. *Si quis Romipetas.* 24. q. 3. *Item Calixtus Papa.* Ad illa verba, *teloneorum & pedagiorum*, additum est in margine. *Al. pedaticorum.*

(3) Ante caput decimum *Interdicimus etiam.* 16. q. 1. hæc in eodem libro inscriptio est: *Item Calixtus Papa II.* Pro voce *ordinationes* est in margine: *Al. ordines.*

(4) In eodem libro inscriptio capitis 39. *Decimas.* 16. q. 7. hæc est: *Vnde Vrbanus Papa II.* Vox *monachi* retinetur sine ulla varietate.

(5) Capitis primi 16. q. 4. inscriptio in eodem libro est: *Quod Vrbanus Papa II. prohibuit dicens: Possessiones Ecclesiarum & Episcoporum tricennales &c.*

(6) Hæc etiam est in eodem libro inscriptio capitis 24. *Paternarum traditionum.* 24. q. 3. *Item Vrbanus Papa.* In Notis: *Conversos*] *In codicibus impressis sequebatur*, vel commissos. *quæ sunt expuncta, quia absunt à plerisque manuscriptis Gratiani exem-*

plaribus & vetusto quodam codice. in quo quidem extremo & hic & alij tres canones descripti sunt tanquam fragmentum alicujus Concilij.

(7) Inscriptio capitis octavi *Presbyteris.* distinctione 27. in Romano libro hæc est: *Item Calixtus Papa II.* In Notis additur: *Hic canon inventus est in codice Vaticanæ Bibliothecæ in fragmento cujusdam Concilij ab Vrbano secundo habiti c. 2. Ex eodem verò Concilio sunt canones* Alienationes. 12. q. 2. & Paternarum. 24. q. 3.] Illa verba sine varietate edita sunt, *seu matrimonia contrahere. & personas &c.*

(8) Gratiani verba sunt in eodem libro ante caput 37. *Alienationes.* 12. q. 2. *Item Vrbanus Papa.* In Notis hæc sunt: *Post collectionem Anselmi in codice perantiquo habetur fragmentum cujusdam Concilij Vrbani secundi, in cujus initio hæc leguntur:* Alienationes quæ specialiter per Ottonem, Guidonem, Hieremiam, seu fortè Philippum ubilibet de possessionibus Ravennatis exarchatus factæ sunt damnamus. Generaliter autem omnium per intrusionem seu canonicè electorum sub Episcopi nomine vel Abbatis... Ecclesiæ suæ consecrandus est, alienationes quocumque modo factas &c. *usque ad finem hujus capitis sine ulla varietate.*

DE DUPLICI OCTAVA synodo.

Dialogus sextus.

C. ET Græcos libros duorum Conciliorum & Latinos attulimus. Sed priùs velim scire abs te cur utrumque octavum appelletur. Nonum enim qui dicunt quod posterius est, ordinem temporum sequuntur. A. Tertiam opinionem omittis. Sunt qui Florentinum Concilium octavum quoque gene-

rale vocent, illis duobus, ut opinor, rejectis. Qui verò Hadriani minoris pro Ignatio contra Photium Concilium ut à posteriori Joannis synodo abrogatum reiciunt, octavam generalem synodum hanc appellant. Illam tamen octavam fuisse, antequam ab hac improbaretur, negare non possunt. B. Qui Florentinum Concilium octavum dicunt, quo pacto interpretantur verba professionis Romanorum Pontificum apud Ivonem *a* & Gratianum *b* relata, & in Concilio Constantiensi sessione xxxix. *Sancta octo universalia Concilia, primum Nicænum &c. octavum quoque Constantinopolitanum, usque ad unum apicem immutilatè servare profiteor.* A. Non video quid dicere possint. (1) Sed major difficultas ex eisdem verbis nascitur, num de priore octavo sub Hadriano minore, an de posteriore sub Joanne, quod illud prius abrogat, intelligantur. C. Si utrumque Concilium generale est, ex auctoritate Romani Pontificis habitum, & prius Concilium à posteriore abrogatur, posterius solum obtineat necesse est. A. In Græco libro nuper ex Italia ad me perlato multa continentur contra Photium à Romanis Pontificibus acta post utramque octavam synodum. Quæ me facilè in eam sententiam trahunt ut credam non confirmasse Joannem synodum à Legatis Constantinopoli habitam. B. Hoc ipsum testatur Joannes de priore synodo, non fuisse ab Hadriano confirmatam. A. Quid si hoc falsum est & à Photio effictum, ut in aliis

a *Ivo lib. 2. tit. 11. c. 15. panorm. & par. 4. c. 132. decr.*
b *Dist. 16. c. 8. Sancta.*

fictis subscriptionibus & falsis legatis Patriarcharum à synodo convincitur? Huc accedit quòd si totam eam synodum Hadriani reicimus, quæ Photius contra Nicolaum Pontificem & Ignatium Patriarcham egit approbari videntur. Sunt igitur magis consentanea & veri magis similia, ut quæ pro auctoritate Romanæ Ecclesiæ à prioribus Pontificibus, non solùm Nicolao & Hadriano, sed & ante eos à Leone quarto & Benedicto tertio, contra Photium & Gregorium Syracusanum Episcopum Photij consecratorem acta & scripta sunt, eadem à Joanne VIII. Marino, Hadriano tertio, Stephano sexto, & Formoso comprobata sint. quod Græcè scriptum invenio, verbis rescriptorum eorundem Pontificum allatis. Quibus adduntur Joannis noni litteræ ad Stylianum Neocæsariensem: qui cum multa contra Photium ad Stephanum sextum Pontificem scripsisset, postea mutare sententiam visus est aliis litteris ad hunc Joannem datis. In illis ad Stephanum missis ait deceptos esse à Photio Paulum & Eugenium Episcopos à Joanne VIII. missos ad Ignatium de Bulgarorum regione: quem cùm mortuum inveniissent, à Photio donis, ab Imperatore minis persuasi sunt ut coram clero & populo CP. dicerent se missos esse contra Ignatium & ut Photium absolverent. Postea Petrum ab eodem Pontifice missum esse, & hunc cum Paulo & Eugenio Photium receptum esse à sede apostolica Romana publicè dixisse. B. Horum trium Legatorum nomina

inveni ab Ivone *c* & Gratiano *d* esse relata. A. Quærantur eorum verba. B. Ivonis verba sunt: *Ex actione* v. *synodi Constantinopolitanæ* CCCLXXXIII. *patrum sub Ioanne Papa* VIII. *cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis & Paulus Anconitanus Episcopus & Eugenius Ostiensis Episcopus Apocrisarij Papæ dixerunt: Hoc nequaquam apud nos habetur &c.* C. Eadem ferè verba Gratianus refert: *Vnde in quinta actione CP. civitatis synodo &c. Apocrisarij Papæ dixerunt &c.* A. In libro Cæsarauguſtano ita est: VI. *synodi CP.* CCCLXXXIII. *patrum sub Ioanne Papa* VII. *Apocrisarij Papæ dixerunt &c.* Hæc mendosa sunt. Neque enim hæc sexta synodus est, sed octava, vel nona habita ratione aliarum generalium, aut quarta vel quinta habita loci ratione. (2) C. Non satis intellego cur eam quartam vel quintam dicas. A. Fuere ante hanc generales septem, quæ vel à locis nomen habent, ut Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensis, & quinta CP. iterum, & sexta item CP. tertium, & septima Nicæna posterior. Vides ante hanc tres Constantinopolitanas. Quarta est quam octavam sub Hadriano appellant, quinta hæc sub Joanne octavo, non septimo. Quòd si illa octava ut abrogata tollitur è medio, hæc erit octava generalis, & ratione loci quarta Constantinopolitana. C. Jam rectè hæc mihi explanata sunt. Sed incidi in librum Dominici Jacobatij de Conciliis; in quo referebat veterum canonistarum (sic

c Ivo par. 7. c. 149. decret. *d 7. q. 1 c. 45.* Hoc nequaquam.

Cæs. lib. 9. c. 62.

enim dicere solet) opinionem fuisse nihil differre octo an quattuor dicas fuisse generalia Concilia. Et quod Gregorius *e* ait, *sicut sancti evangelij quattuor libros, sic quattuor Concilia suscipere & venerari me fateor*, (quod repetit Gregorius VII. lib. VII. registri) & Ivo *f* & Anselmus *g* & Gratianus *h* & alij *i* referunt. Et beatus Isidorus *k* ait: *Quattuor sunt venerabiles synodi, quæ totam principaliter fidem complectuntur, quasi quattuor evangelia vel totidem paradisi flumina.* Hæc, inquiunt, verba non ad sola quattuor priora Concilia pertinent, sed etiam ad quattuor posteriora. Octo enim esse generalia Concilia fatentur ex verbis professionis Romani Pontificis, de quibus hodie dictum est. B. Quo pacto Gregorius & Isidorus, qui sexta, septima, & octava synodo fuerunt priores, de his cogitare potuerunt? C. Ratione & auctoritate moventur. Rationem adferunt, quòd quattuor loca fuerint generalium Conciliorum, in quibus quattuor locis octo generalia Concilia habita sunt, Nicæa, Constantinopolis, Ephesus, & Chalcedon. Ut cum dicimus quattuor esse Patriarchas, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum, nullam habemus rationem successionis personarum, quæ permultæ fuerunt. B. O plumbeum pugionem! Hac ratione generalia non erunt Lateranensia Concilia, Lugdunensia, Viennense, Constantiense, Florentinum, Tridentinum, quòd non eisdem locis habita fuerint quibus illa

e *Lib. 1. epist. 24. registri.*

f *Ivo par. 4. c. 117. decret.*
g *Ans. lib. 6. c. 52.*
h *Dist. 15. c. 2.*
i *Cæs. lib. 1. c. 36. Tarrac. lib. 1. c. 150.*
k *Isid. lib. 6. 16. etymol. Grat. dist. e. c. 1.*

illa quattuor prima. (3) A. Dic de auctoritate. C. Utuntur auctoritate Innocentij tertij, quæ utrique vestrum maxima est; cujus verba tam in tertia collectione quàm in Gregoriana inveniuntur; quos etiam libros reicere non licet. A. Magnam tu quidem moves exspectationem. Recita verba. C. *Verùm postulationi hujusmodi videbatur Concilij Constantinopolitani capitulum obviare, in quo statutum est ut quicumque de pontificali dignitate ad monachorum vitam & pœnitentiæ locum descenderit, nequaquam ulteriùs ad pontificatum resurgat.* B. Hoc idem caput est Concilij octavi sive noni, cujus verba referunt Ivo *l* & Gratianus *m* & Cæsarauguſtanus *n* liber. Et verè Innocentius ait esse hoc Concilij Constantinopolitani capitulum. C. Audi reliqua: *Vnde contra dictum Concilium, cùm sit unum ex quattuor principalibus, quæ sicut quattuor evangelia Ecclesia catholica veneratur, nullatenus videbatur eorum postulatio admittenda.* Vides hic Gregorij verba ad hoc posterius Concilium referri. Audis hoc Concilium, de cujus auctoritate dubitabamus, quasi unum ex quattuor evangeliis esse venerandum. B. In rescriptis Pontificum multa sunt ex Advocatorum allegationibus accepta. Sic hoc fuit ab Innocentio scriptum, quòd putaret illum verum dicere qui abusus est illa veterum canonistarum tuorum opinione. Canones autem Concilij Constantinopolitani primi non erant Latinis noti, ut Nicolaus ad Michaëlem scribit, licèt in Cor-

De renum. cap. 5. Post translationem. *in 3. collect. & c.* 11. *c. tit. Gregor. IX.*

l *Ivo d. par.* 7. 6. 149.

m 7. *q.* 1. *c.* 45. *hoc nequaquam.*

n *Cæsar. d. li.* 9. *c.* 62.

pore canonum inveniantur. Unde facilè impositum est huic Pontifici, ut crederet id caput esse ejus Concilij, cùm sciret esse alicujus Constantinopolitani. C. Ivo & Gratianus apertè dicunt esse Concilij Constantinopolitani sub Joanne octavo, non sub Damaso. (4) A. Hoc etiam confirmatur ex Græca synodo & ex Nomocanone Joannis Zonaræ & Theodori Balsamonis & Alexij Aristeni, in quibus tres canones sunt hujus Concilij, quod in templo sanctæ Sophiæ habitum esse dicitur. Illic etiam sunt XVII. canones alterius Concilij Constantinopolitani in templo beatorum Apostolorum habiti, quod ex prima & secunda synodo dicunt. Credo propter duas quasdam synodos contra Ignatium habitas, quæ improbatæ sunt à Nicolao & Hadriano minore, licèt in posteriore interfuerint Rodoaldus & Zacharias Legati Nicolai, quos ut prævaricatores Nicolaus in synodo Romana deposuit. Ex his XVII. capitibus nihil est apud Gratianum, quod sciam. Ex illis verò tribus primum caput vix ferendum est de Italis excommunicatis à Joanne Papa non recipiendis à Photio, item ut excommunicati à Photio non recipiantur à Joanne Papa neque à Romana Ecclesia, salvis privilegiis Romanæ Ecclesiæ & ejus Pontificis. Alterum caput est id de quo agitur, pleniùs apud Græcos scriptum quàm apud Latinos: *Et si antea*, inquit, *aliqui Episcopi in monach. habitum demissi, in pontificali coacti sunt permanere, & id agentes contemnebantur, sancta synodus*

decernit hæc esse corrigenda juxta ecclesiasticam disciplinam. Statuit igitur ut si quis Episcopus aut alius antistes ad monachorum vitam velit pervenire &c. B. Quæ Latini referunt, non ex verbis canonis initio concepta esse videntur, sed ex actione quinta & ex verbis Apocrisariorum sive Legatorum. A. Sic etiam est ante verba canonis in Græco libro. Interrogante enim Photio Legatos Romanos, ipsi respondent, quos, non Apocrisarios, sed τοποτηρητὰς Græcus vocat liber: τῦτο παρ' ἡμῖν ὐκ ἔστιν &c. Nunc, si placet, varietatem trium librorum Latinorum videamus. Pro voce *habeatur* Ivo & Cæsaraugustanus *habetur* scribunt aptiùs. Græcè est, ὐκ ἔστιν, ὐδὲ σώζεται. Quod Gratianus scribit *ordine & habitu*, illi scribunt *ordine*, aliis omissis: Græci πήματος. Quod Gratianus, *ad monachorum*, addunt illi, *id est, pœnitentium*. Græci, τυτέστι τῶν μετανοούντων. Pro voce *vitam*, qua Latini utuntur, Græci χώρων, hoc est, locum scribunt. pro, *in episcopatum reverti*, Ivo & Cæsaraugustanus habent *ad pontificatum reverti*. Græci τὸ δ' ἀρχιερωσύνης ἑαυτῷ διεκδικεῖν ἀξίωμα. *Item præcepit sancta synodus &c.* Hæc sunt ex canone secundo ita scribenda: *Item. Præcepit &c.* ut Ivo & Cæsaraugustanus notant. Quod Gratianus ait, *de pontificali dignitate habitúque*, in Cæsaraugustano est *de pontificatu*, apud Ivonem *de pontificali dignitate*, aliis omissis. Græcè est, τὸ ἀρχιερατικῦ ἀξιώματος. Pro illis, *& pœnitentiæ descenderit locum*, in Cæsaraugustano est *descenderit*, apud

Ivonem, & *ad pœnitentiæ descenderit locum*. Græci habent, ἐν τῇ μετανοίας τόπον ἀναπηρῶσαι. Pro voce *nequaquam* habet Cæsaraugustanus *ne jam*, & Ivo *nequaquam jam*. Græci μηκέτι. & pro *resurgat*, ἀντιποιεῖσθαι. Quod sequitur, *Monachorum enim vita subjectionis habet verbum*, subobscurum efficit vox *verbum* pro ratione positum, quòd vox λόγου utrumque significet. Ivo *vitam* pro *vita* non rectè habet. In libro Cæsaraugustano hæc verba desiderantur. Illud Gratiani est: *Hoc ad pœnitentiam &c.* quæ Ivo non habet. Apud Græcos alia quoque sunt ex quibus videtur hoc idem confirmari. Tertio canone anathema dicitur laico verberanti aut capienti ex quacumque caussa Episcopum. De capitibus octavæ synodi sub Hadriano cras agemus, quamvis ordine perturbato.

ADDITIONES.

(1) DE inscriptione capitis octavi *Sancta*. dist. 16. scriptum est lib. 1. dial. 20 addit. 14.

(2) Ante caput 45. *Hoc nequaquam*. 7. q. 1. hæc verba sunt in eodem libro: *Vnde in quinta actione Constantinopolitanæ synodi* CCCLXXXIII. *patrum sub Ioanne Papa octavo, cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis & Paulus Anconitanus Episcopus & Eugenius Ostiensis Episcopus. Apocrisarij Papæ dixerunt.* In margine est: *Ivo p. 7. c. 149.* Et in Notis: *In quinta*] *Apud Ivonem par. 7. c. 149. pro indice hujus capituli leguntur hæc:* Ex actione quintæ synodi Constantinop. CCCLXXXIII. patrum sub Joanne Papa VIII. cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis & Paulus Anconitanus Episcopus & Eugenius Ostiensis Episcopus. *Initium verò ipsius capitis est:* Apocrisa-

rij Papæ dixerunt: Hoc nequaquam.] In extremo hoc capite additur etiam in Notis: *Hæc synodus sub Ioanne octavo extat Græca in Vaticana bibliotheca. Cujus synodi tres tantùm canones cum explanatione Balsamonis editi sunt Lutetiæ, & apud ipsum inscribitur*, Synodus in templo sapientiæ habita sub Photio Patriarcha. *In secundo autem trium illorum capitulo habetur sententia hujus capitis. Visum autem est, ut omnia meliùs percipiantur, locum hunc Græcè & cum nova interpretatione esse adscribendum.* Φώτιος ὁ πατριάρχης, &c. id est: *Photius Patriarcha dixit &c.*

(3) Initium capitis primi dist. 15. in eodem libro est: *Canones generalium Conciliorum (ut Isidorus ait lib. 6. etymol. c. 16.) à tempore Constantini cœperunt &c.* In margine est: *Pann. l. 2. c. 104.* Ante caput 2. ead. dist. hæc sunt: *De quattuor verò Conciliis scribit B. Gregorius ita dicens lib. 1. regesti epist. 24. Sicut sancti evangelij &c.* In margine est: *vero) Al. quoque.* In scholio capitis 8. *Sancta octo.* dist. 16. hæc sunt: *Sancta*] VIII. (mendose pro *Sancta octo*) *hæc Concilia dicuntur octo, quia octies sunt celebrata, ut hic dicuntur; & quattuor, quia in quattuor locis celebrata, ut sup. dist. proxi. Sicut.* Hæc censura carent.

(4) Hæc inscriptio est capitis undecimi *Post translationem.* de renuntia. in editione Romana: *Idem* (Innocentius III.) *Episcopo Faventin. in Archiepiscopum Raven. electo.* In margine est: *Cap. 5. eod, tit. in 3. compilatione.* In scholiis, ad illa verba, *cùm sit unum ex quattuor principalibus &c.* Ex quatuor] *Et sunt hæc, scilicet Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Chalcedonensem,* (scribe, *Chalcedonense*) *15. dist. Sicut.*

DE EADEM SYNODO octava Hadriani.

Dialogus septimus.

B. NOLUI te heri interpellare. Sed hodie peto abs te, cur putes Petrum Presbyterum ante duos Episcopos Legatos Joannis nominari; quorum alter Ostiensis est, cui datum est ut Pallio utatur cùm Pontificem Maximum consecrat. Nunc eum Decanum Cardinalium appellant, & princeps totius ordinis est. A. Quærendum etiam erit cur postremus Ostiensis appelletur. Fortasse tunc Episcopi non dicebantur Cardinales, sed soli Presbyteri & Diaconi. Et si quis eorum Episcopus eligeretur, non ampliùs ex collegio Cardinalium erat; sed Episcopus, Anconitanus putà, vel Bononiensis, vel alterius civitatis dicebatur. Et inter Episcopos ordo temporis servabatur. Quod dixi de Cardinalibus Episcopis electis, Innocentij tertij exemplo comprobatur, qui noluit Ravennatem Archiepiscopum fieri eum qui Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis erat, ne ab Ecclesia Romana discederet. Sed videamus quid in Græca synodo sit. In ea enim & Joannis litteræ sunt & sæpius nomina horum Legatorum. C. De numero quoque Episcoporum velim scire, an Græca cum Latinis conveniant. B. In prima actione ante adven-

c. 3. de postul. prælat. in 3. collect. & apud Gregor. IX. incip. Ponæ mem.

tum Legatorum erant cum Photio & Legato Hierosolymorum Patriarchæ CCCLXXVI. Episcopi, nisi à me erratum est. Possumus igitur fidem adhibere Latinis Ivoni & Gratiano, qui omnes CCCLXXXIII. numerant. In eadem actione Petrus Presbyter Cardinalis priùs quàm Paulus & Eugenius nominatur. Is quoque priùs ad Photium alloquitur nomine Joannis Pontificis. A. Heri dicebamus hunc missum fuisse à Joanne ad Photium, illos duos ad Ignatium. Idem ostendunt Joannis litteræ, in quibus Eugenius ante Paulum nominatur. Sed in commonitorio dicitur: *Commonitorium fratribus Paulo & Eugenio Episcopis & Petro Presbytero Cardinali missis Constantinopolim.* Ita autem cetera scripta sunt ut videantur omnes simul mitti. In actione quoque quinta Paulus & Eugenius Episcopi ante Petrum Presbyterum appellantur. Et in subscriptione Concilij primus Paulus Episcopus Anconitanus, postea Eugenius Episcopus Ostiensis, postremus Petrus Presbyter Cardinalis subscripserunt. omnes ut Legati, sed non ut Cardinales. B. Quando hæc duo conveniunt, commonitorium Joannis, & subscriptio, malo his credere quàm Ivoni & Gratiano. A. Canones octavæ synodi sub Hadriano videamus. Et omissis aliis, de his quæ apud Gratianum sunt dicamus. Caput XV. quod in Græco libro desideratur, & à Gratiano *a* sextæ synodi universalis esse dicitur, in libro Cæsaraugustano *b* septimæ synodi CCXL.

a 12. q. 2. c. 13 Apostolicos.
b *Cæs. lib.* 7. *c.* 74.

c *Anſ. lib. 6. c. 169.*

patrum actione x. apud Anſelmum *c* rectè octavæ ſynodo univerſali adſcribitur. C. De numero actionis & patrum convenítne cum Græcis? A. In actione convenit. Sed Stylianus, de quo heri diximus, centum & duos patres fuiſſe ſcribit. Nos de varietate verborum videamus. Mendosè eſt apud Gratianum *venerabilis ſynodus* pro *univerſalis ſynodus*, quod alij habent. Pro *cimilia & vaſa ſacrata*, quod etiam Anſelmus habet, *cimilia*, *id eſt*, *vaſa ſacrata* Cæſarauguſtanus. *civilia* pro *cimilia* eſt in quodam Anaſtaſij libro, non rectè. Ego nihil muto, ſed Græcis litteris ſcribo κειμήλια, aut Latinis *cimelia*. unde cimeliarchus eſt, ut Democharis notat, qui cimeliis vel theſauro Eccleſiæ aut Principis præeſt. Quod Gratianus ait *pro redemptione captivorum*, alij habent pleniùs, *quæ accipiuntur in redemptionem captivorum*. Quod dicitur, *ſed non tradere ſalaria Eccleſiarum in emphitheotica pacta*, non facilè intelligitur. *nec* pro *non* habent alij. *pauca* pro *pacta*. Cæſarauguſtanus mendosè. *neophitæ ubi compacta*, Anaſtaſij mendoſus liber. *emphyteutica pacta*, Anſelmus aptiùs. *Solaria* pro *ſalaria* ſcribendum puto. Sic enim ſcio appellari à Juriſconſultis quæ pro ſolo penduntur. Simile erratum eſſe quidam putant cap. VII. de uſufructu. Sed id incertius. B. Mihi vox *ſolaria* magis placet. Sed poſtea eadem vox *ſalaria* bis eſt. A. Eadem ratione mutari poterit. Pro illis verbis, *& poſt pauca*, quæ habent etiam Anſelmus & Cæſarauguſtanus,

Vide lib. 1. dial. 9. ad. 8.

cap. 2. p. Si quis nemine. D. Ne quid in loco. & c. 15. D. Qui potior.

sunt alia in Anastasij libro non inutilia. *Omnem verò ecclesiasticarum rerum potestatem habentem, & has meliorare ac dilatare, prout oportuerit, ecclesiastica loca, qua per † reddius fiant, & insuper propriarum rerum dispositionem distribuere ac committere seu conferre quibuscumque voluerit & judicaverit, juxta propriam potestatem ac dominatum. Quisquis autem apparuerit post hanc &c.* Vox *apparuerit* à Gratiano est omissa. habent alij. Illud quoque ineptum est, *huic sancta sedi.* Tollenda est vox *sedi*, quam solus Gratianus habet. item vox *tentaverit*, quæ irrepsit pro illa *apparuerit*. de qua diximus. Pro *divinarum rerum* scribi debet *divinarum legum*, ut omnes habent præter Gratianum. Pro *cimiliorum & salariorum locorum* est apud Anselmum *cimiliorum scilicet & salariorum locorum. salarium* pro *salariorum* habet liber Cæsaraugustanus. cetera ut Anselmus. *sed* pro *scilicet* liber Anastasij. Ego malo *cimeliorum & solariorum & locorum.* De omnibus enim suprà dictum fuerat. B. Idem fiet si scripseris, *cimeliorum scilicet, solariorum, & locorum.* C. Vox *locorum* postea omissa est. Ex quo fit ut hic significare possit solaria locorum. A. Non magnopere repugno. Pro illis, *Qui verò ceperit aut emerit*, alij habent, *Qui verò emerit aut perceperit*, non malè. Pro *cimiliis vel salariis* scribo *cimeliis vel solariis. &* pro *vel* est in Cæsaraugustano. In extremo capite desiderantur hæc verba, ab Anselmo etiam & Cæsaraugustano omissa: *Si verò de propriis re-*

† *per quæ f.*

bus aut de aliis quibusdam conventionibus, habeat id secundùm propriam potestatem & voluntatem omni vita sua & post finem vitæ suæ dimittat & conferat hoc quibuscumque voluerit; non tamen sæculare diversorium fiat.

(1) Nunc de capite XVIII. videamus, quod etiam in Græco libro desideratur. Id Ivo *d* & Gratianus *e* Gelasio Papæ adscribunt, Anselmus *f* rectè synodo octavæ universali. In verbis non magna varietas est. Pro *etiam sive à divæ, & sive à piæ* habet Anselmus, *& sive à divæ* Anastasius & Ivo. Pro *præsulum eorum* ceteri habent *præsulum earum.* Pro *ac jussu præsulis*, quod habent Ivo & Gratianus, *ac usu præsulis* Anastasius & Anselmus. Quod Gratianus solus scribit, *Quisquis ergo Clericorum vel sæcularium*, in aliis libris est, *Quisquis ergo sæcularium.* Post verbum *restituerit* est in solo Concilio Anastasio interprete, & *reservaverit.* (2) Caput XXI. (quod Græcis est XIII. non rectè) Gratianus *g* post Anselmum *h* & Deus-dedit *i* octavæ synodo adscribunt. sed Anselmus omnia verba refert, Gratianus aliquot verba sumpta ex priore parte hujus capitis. Deus-dedit alia quædam ex posteriore cum hac inscriptione: *In synodo universali* CCXL. *patrum habita pro Ignatio Patriarcha, quæ quibusdam octava dicitur.* C. Couvenit in numero patrum cum Cæsarauguſtano. *k* A. Certiora poteris ex ipsa synodo cognoscere. (3) Mihi enim canere receptui necesse est propter quasdam occupationes.

d *Ivo in epist. 71. vel 30. ad Decan. Belvacen.*

e *16. q. 3. c. 9.* Placuit.

f *Inst. lib. 4. c. 30.*

g *Dist. 22. c. ult.*

h *Anselm. lib. 2. c. 72.*

i *Deus-d. c. 3. divisione 4.*

k *Cæs. lib. 7. c. 74.*

ADDITIONES.

(1) CAPUT 13. *Apostolicos.* 12. q. 2. in eodem libro ita inscribitur: *Item ex octava synodo universali c.* 15. In margine est: *Ans. l. 6. c.* 171. Et in Notis: *Octava*] *Sic est emendatum ex Anselmo, cùm antea legeretur* sexta. *Est autem canon decimus quintus synodi octavæ habitæ tempore Hadriani Papæ secundi contra Photium ex versione Anastasij Bibliothecarij. Videlicet pro redemptione*] *In Concilio ipso & apud Anselmum legitur,* quæ accipiuntur in redemptionem captivorum. *Decernimus*] *In ipso canone sequuntur hæc: Omnem verò &c.* ut in dialogo, præter voces *propriarum rerum*; pro quibus sunt, *proprium rerum.* Ad illa, *cimelia & vasa sacrata,* est in margine: κειμήλια *Græcè thesauri dicuntur, ope, pecunia repesita,* (scribe, *opes, pecuniæ repositæ*) *instrumenta pretiosa, aurea vasa, clinodia. Inde cimeliarchus C. de agri. & censi. l. lit.* 11. Vox *salaria* retinetur sine ulla varietate.

(2) Ante caput octavum *Placuit huic.* 16. q. 3. in eodem libro ita scriptum est: *Vnde Gelasius Papa ait.* In margine hæc sunt: *In synodo octava sub Hadriano secundo capite decimooctavo.* Et: *Poly. lib. 3. tit.* 12. *Anselm. lib. 4. cap.* 20. Ad illa, *& præsulum eorum; Abest ab orig.* Additur in margine vox *eorum,* ut puto. In Notis additur: *Quod hic tribuitur Gelasio, habetur in synodo octava habita ab Hadriano II. c.* 18. *& ex ea citatur apud Anselmum & Polycarpum. Sed manuscripti codices Gratiani concordant cum vulgatis. Sæcularium*] *In vulgatis legebatur:* Quisquis ergo Clericorum vel sæcularium. *Sed absunt illæ duæ voces,* clericorum vel, *ab aliquot vetustis & ab ipso Concilio manuscripto. In Concilio impresso legitur:* Qui contrà fecerit, ut sacrilegus judicetur, & donec talia privilegia &c.

(3) Distinctione 22. capitis ultimi inscriptio est in eodem libro: *Vnde in VIII. synodo habita sub Hadriano Papa II. can.* 21. *Diffinimus neminem &c.* In margine est: *Deus-dedit p. 3. Ansel. l. 2. c. 72.* Dictum est lib. 1. dialo. 9. addit. 6.

DE EADEM RE, ET DE FALSA inscriptione quorundam capitum Gratiani ex octava & nona synodo inscriptorum.

Dialogus octavus.

A. NUMERASTI centum Episcoporum nomina octavæ synodi? C. Actionis decimæ numeravi Archiepiscopos LV. Episcopos XLIV. præter Ignatium Patriarcham & Legatos Romanos & aliorum Patriarcharum Legatos. Subscriptionum par numerus est. Græci in additis ad octavam synodum hos centum & duos fuisse referunt, in synodo Nicolai contra Photium & Radualdum & Zachariam CLXX. interfuisse, in synodo Hadriani contra Photium centum viginti. In libro Deus-dedit Cardinalis ita scriptum est capite primo: *Ex* VII. *synodo universali habita à quinque Patriarchis cum* CCCL. *patribus sub primo Hadriano Pontifice Romano. Omnis electio Episcopi &c.* quod sumptum est ex capite tertio septimæ synodi. (1) Mox sequitur: *Ex* VIII. *synodo item universali habita item à quinque Patriarchis cum patribus* CCXL. *sub primo Nicolao Pontifice. Promotiones & consecrationes Episcoporum &c.* ut cap. XXII. hujus synodi de qua agimus. Utriusque capitis verba refert liber Tarraconensis. A. Certiora mihi videntur quæ ex subscriptionibus retulisti; & ex errore

Dist. 63. *c.* 7. Omnis.

Dist. e. c. 2.

Tarrac. lib. 1. *c.* 46. *&* 47.

notarum facilè pro CXI. ſcriptum eſt CCXL. Fient autem CXI. ſi Legatorum habeas rationem. Sed nos veniamus ad caput ipſum XXII. cujus tu mentionem feciſti. Id Gratianus bis poſuit, ut de ejus diligentia cognoſcatis diſtinct. LXIII. cap. I. & II. Namque Hadriano Papæ adſcripſit illa verba: *Nullus laicorum, Principum &c.* Item illa: *Quiſquis ſecularium Principum &c.* Mox addit: *Item ex octava ſynodo. Hadrianus Papa ſecundus, quod Nicolaus prædeceſſor ejus diſpoſuerat, Miſſos ſuos, Donatum ſcilicet Oſtienſem Epiſcopum, & Stephanum Nepeſinum Epiſcopum,* (Sic enim mutandum eſſe diximus) *& Marinum Diaconum S. R. E. ad Baſilium Imperatorem & ad filios ejus Conſtantinum & Leonem Auguſtos Conſtantinopolim direxit. cum quibus & Anaſtaſius Bibliothecarius Romanæ ſedis, utriuſque linguæ Græcæ & Latinæ peritus, perrexit.* B. Idem Anaſtaſius in præfatione ejuſdem ſynodi ad Hadrianum ait ſe miſſum fuiſſe à Ludovico Imperatore cùm eadem celebraretur ſynodus. A. Reliqua perſequamur: *Et ſynodo congregata, quam octavam univerſalem ſynodum illuc convenientes appellaverunt, exortum ſchiſma de Ignatij depoſitione & Photij ordinatione ſedaverunt, Photium anathematizantes, & Ignatium reſtituentes. in qua ſic ſtatutum eſt. Conſecrationes & promotiones Epiſcoporum &c.* Photium autem, non Fotinum, ſcribendum eſſe aperta res eſt: quamvis in eodem nomine errent aliquot hiſtorici. C. Unde hanc hiſto-

c. 1. & 2. c. d.

Lib. 1. dialog. 4.

riam didicit Gratianus ? A. Res mihi incerta est. Sed videamus an meliora dicant Ivo & Anselmus & alij collectores. C. In Panormia Ivonis ita scriptum est : *Ex canone Apostolorum* VIII. *synodus cap.* XI. *Promotiones & consecrationes &c.* B. Cur hic de Apostolorum canone dicitur ? A. In margine libri aliquis addiderat Apostolorum cap. xxx. cujus verba refert septima synodus, non octava. C. Idem Ivo in excerptionibus sic ait : *Octava synodus cap.* XI. *Promotiones &c.* Anselmus scribit : *Hadrianus Papa universali octava synodo præsidens dixit. Promotiones & consecrationes &c.* B. Quasi verò hæc præsente Hadriano constituta sint. C. Non meliora sunt quæ Deus-dedit & liber Tarraconensis referunt, sub Nicolao primo hanc synodum habitam esse, ut antea diximus. A. Vide Cæsarauguſtanum *a*. C. *In octava synodo cap.* XI. *Promotiones & consecrationes &c.* A. Videtis, opinor, horum omnium negligentiam qui neque fontes perquirunt, neque temporum historiam scire cupiunt, neque de auctoritate librorum laborant ; sed eis omnia pro oraculo sunt, quasi ea, ut Moses, duabus tabulis exarata Dei digito perceperint. (2) C. Súntne alia ex hac synodo apud Gratianum? A. Falsæ inscriptiones permultæ sunt, de quibus nobis certiora. B. noster dicet. Scio enim quædam selectos illos viros Romæ invenisse in regulis brevioribus Basilij. B. Apud Isidorum quædam etiam invenerunt, nonnulla incerta relicta sunt, quæ septimæ, octa-

Ivo lib. 3. tit. 2. c. 1. panor. & part. 5. c. 122. decr.

Ans. lib. 6. c. 20.

a Cæs. lib. 3 c. 65.

væ, aut nonæ ſynodo Gratianus adſcripſit. Initium ſumamus à capite XXII. diſtinctionis LIV. *b* octavæ ſynodo inſcripto. Sunt enim verba ejus capitis ab Iſidoro ſumpta in regula monachorum cap. XVIII. de familiari vita: ex quo mutandum eſt, pro *non licebit*, *non licet*; & pro *dare non poteſt*, *dare non debet*. (3) Diſtinctione XXCI. *c* caput XXVI. ex ſeptima ſynodo inſcribitur; ſed in incertis ponendum eſt, quamvis capite extremo ejuſdem ſynodi ſint quædam verba apta rei de qua agitur. (4) Diſtinct. XC. *d* caput quartum & quintum ex octava ſynodo ſunt apud Gratianum; ſed ex Concilio Maguntino eſt caput quartum apud Burchardum *e* & Ivonem *f* & in Pœnitentiali Romano *g*. & caput quintum ex Concilio Agathenſi, & ex eodem Maguntino apud eoſdem. Tamen incerta etiam hæc duo capita relinquantur. (5) Cauſſæ primæ caput nonum ex octava ſynodo eſt apud Gratianum *h*. Meliùs apud Anſelmum *i* & Deusdedit cap. II. ex ultima epiſtola ſynodi ſeptimæ; apud Ivonem *k* eſt ex cap. XX. ſynodi VII. & ex VII. ſynodo apud eundem Gratianum *l*. In libro Cæſarauguſtano ut apud Ivonem. Videnda Taraſij CP. epiſtula ad Hadrianum Papam contra Simoniacos, quæ in Græco libro eſt poſt ſeptimam ſynodum. (6) A. Non magnum erratum eſſet ſi quod ex ſeptima ſynodo erat, aut ei conjunctum, octavæ ſynodi eſſe diceretur. B. Non ſatis certus ſum an eadem illic verba ſint. (7) Illud Paleæ caput extremæ cauſſæ quintæ, quod etiam

b *Diſt.* 54. *c.* 22. Abbati.

c *Diſt.* 81. *c.* 26. In omnib.

d *Diſt.* 90. *c.* 4. Alienus. *&c.* 5. Si quis.

e *Burc. li.* 10. *c.* 52. 53. 54. *&* 62.

f *Ivo par.* 13. *c.* 13. 54. 55. *&* 63. *decret.*

g *Pan. tit.* 6. *c.* 9. *&* 10.

h 1. *q.* 1. *c.* 9. Qui per pecuniam.

i *Anſel. libr.* 6. *c.* 80.

k *Ivo par.* 5. *c.* 121. *dec.*

l 1. *q.* 7. *c.* 2. *p.* Sed quoniam.

Cæſar. lib. 4. *c.* 9.

5. *q.* 6. *c.* 7. Si quis.

ex octava synodo inscribitur, nusquam repertum est. Inveni tamen Paleæ non esse adscriptum; & videndus Isidorus in regula monachorum cap. XVII. (8) Quod verò eidem octavæ synodo & Isidoro adscribit Gratianus causa XI. *m*, ex dictis Isidori Burchardus *n* & Ivo *o* esse scribunt. Non dissimilis sententia exstat apud Isidorum in monachorum regula cap. XVII. de excommunicatis, & apud Benedicti regulam cap. XXVI. cujus verba referunt Ivo *p* & liber Cæsaraugustanus *q*. (9) Certius est quod in eadem causa ex octava synodo esse dicitur *r*, Isidori esse lib. III. cap. LIX. de summo bono. Ut quod ei proximum est Gregorio adscriptum, ex eodem libro Isidori est cap. LIIX. licèt ex libro officiorum Isidori esse dicatur apud Burchardum *s*. (10) C. Quamobrem dicemus in tam multis pro Isidori aut alterius nomine abusum Gratianum hac synodo? B. Inveni à selectis viris notatum, fieri potuisse ut in aliquo libro *Octava synodus* inscripto, post verba ejus synodi, alia capita essent ex variis scriptoribus relata sine ulla inscriptione. ita factum esse ut addita octavæ capitibus pro verbis ejusdem synodi haberentur. C. Apertius est cum Paullo causam confiteri, quia ignorans feci. An eadem illa causa est in Gregorio pro Isidoro scripto? B. Minimè gentium. Sed cetera videamus. Nonæ synodi esse dicitur caput primum causæ XX. *t* quod selecti viri Basilio adscribunt in regulis cap. XV. & in epistula ad Amphilochium cap. XIIX. Ideo vero

m 11. *q*. 3. *c*. 28. Si quis. & *c*. 18. Cum excommunicato. *in fin.*

n *Burc. li*. 11. *c*. 32.

o *Ivo par*. 14. *c*. 96. *decret*.

p *Idem d. par*. 14. *c*. 34.

q *Cæsar. lib*. 14. *c*. 39.

r 11 *q*. 3. *c*. 77. Non solùm. & 78. Quattuor.

s *Burc. li*. 16. *c*. 28.

t 20. *q*. 1. *c*. 1.

verò ex nona synodo dictum esse putant quòd canones Basilij positos post canones octavæ synodi crediderit aliquis esse ex nona synodo. A. Ludere mihi videntur qui hæc dicunt. (11) De aliis dices cùm libebit.

ADDITIONES.

(1) IN Gregoriana editione inscriptio capitis 7. dist. 63. est : *Item ex septima synodo, quæ est secunda Nicæna 350. Episcoporum c. 3. Omnis electio Episcopi.* De eodem capite scriptum est lib. 1. dialo. 9. addit. 10.

(2) Ejusdem distin. 63. capitis 1. & 2. inscriptiones retulimus lib. 1. dialogo 4. addit. 1.

(3) Capitis 22. distin. 54. hæc in eodem libro Romano inscriptio est : *Probatur auctoritate octavæ synodi, in qua sic statutum legitur : Abbati vel monacho monasterij servum non licebit &c. dare non potest &c.* In margine est : *Isidorus Hispal. in reg. monach. de famil. vita.* Et in Notis, post alia : *Caput autem quod nunc à Gratiano citatur, alibi repertum non est quàm apud Isidorum Hispalensem in reg. monach. c. de famil. vita.* Et vers. *Vnde in alio capitulo præfatæ constitutionis hæc ratio redditur. Injustum est enim &c.* additur in Notis : *Injustum*] *Infrà 17. q. 4. c. In venditionibus. vers.* Injustum. *hoc ipsum citatur ex Concilio Agathensi, ubi etiam extat c. 56.*

(4) Hæc est in eodem libro inscriptio capitis 26. *In omnibus.* distinctione 81. *Item ex* VII. *synodo.* In Notis est : *Caput hoc etiam in aliquot manuscriptis citatur ex septima synodo, in cujus sanè postremo capite aliqua huc spectantia habentur. Ceterùm in plerisque citatur ex octavâ. & sententia videtur sumpta ex c. 83. Asceticorum beati Basilij, cujus regulas sub nomine octavæ synodi sæpe citari alibi notatum est.*

(5) Ante caput quartum *Alienus sit.* distinctione 90. in eodem libro hæc verba sunt : *Item ex octava synodo.* Et in margine est : *Burc. l. 10. c. 52. & 54.*

Ivo p. 13. c. 55. & 53. ex Conc. Moguntino. In Notis additur: *In libello B. Basilij de institutis monachorum Rufino interprete (qui nuper Coloniæ cum regula B. Benedicti est impressus) c. 42. in ultima responsione habetur prima pars hujus capitis usque ad ver.* abjiciatur.] Qui murmurans] *Ejusdem libelli c. 50. penultima interrogatio sic habet:* Si verò etiam &c.] Juxta mensuram] *Hæc pars non habetur in eo Basilij loco. Apud Burchardum verò & Ivonem (à quibus citatur ex Concilio Mogunti.) sic legitur:* juxta mensuram opúsque peccati, quia in hoc sententia &c.] Capitis quinti ejusdem distinctionis inscriptio est: *Item ex eodem. Si quis monachus contentiones &c.* In margine additur: *Abest à multis exempl.* quod ad vocem *monachus* refertur. Est etiam in margine: *In regula Isidori c. 17. Burc. l. 10. c. 62. Ivo p. 13. c. 63.* Et vers. *Qui contentiosus.* additur in margine: *In l. sententiar. patrum c. 96. ex statutis seniorum. Bur. l. 10. c. 53. Ivo par. 13. c. 54.* In Notis hæc sunt: Si quis monachus] *Hanc priorem partem Burchardus & Ivo citant ex Concilio Agathensi, in quo etiam habetur ex codice librorum sexdecim lib. 5. c. 22. Abest autem ferè ubique, etiam in multis Gratiani exemplaribus, vox monachus.* Tam diu] Apud Burchardum *& Ivonem (qui citant hanc partem posteriorem ex Moguntino, habetur autem in libro sententiarum patrum c. 96. ex statutis seniorum) legitur,* ita pœniteat qualiter culpæ qualitas exstat.

(6) Inscriptio capitis noni *Qui per pecunias. 1. q. 1.* in eodem libro hæc est: *Item ex octava synodo.* In margine est: *Novella 6. c. 1. & nou. 123. c. 3. apud Iulian. Antecessorem. Ans. l. 6. c. 7. Ivo p. 5. c. 121.* Et in Notis: Octava] *In aliquot vetustis exemplaribus caput hoc citatur ex septima synodo, in qua capitulo quinto refertur canon trigesimus Apostolorum ad hanc rem faciens. In epistola autem Tarasij ad Hadrianum Papam (quæ in exemplaribus bibliothecæ Vaticanæ & aliis est in fine ipsius septimæ synodi) refertur canon 22. synodi quæ in Trullo, his verbis:* Eos qui per pecunias ordinati sunt, sive Episcopi, sive quicumque Clerici, & non secundùm probationem

& vitæ optionem, deponi præcipimus; sed & illos qui hos ordinasse noscuntur. *Extat etiam hac de re epistola Basilij ad Episcopos sibi subjectos.*

(7) Caput secundum *Si quis omnem.* 1. q. 7. in eodem libro ita inscriptum est: *Item ex septima syno-do.* Et in margine est: *Ex actione* 1. *in* 7. *anathematis. Deus-dedit p.* 2. *Ivo p.* 4. *c.* 198. *Ex epist. Tarasij ad Ioannem. Ivo p.* 5. *c.* 121. *Ans. l.* 6. *c.* 87. Hæc erant ita distinguenda ut ab illis verbis *Ex epist.* ad vers. *Omnis* pertinerent, non ad principium capitis. Id in Notis melius distinguitur in hunc modum: Si quis] *Caput hoc ex magna parte collectum est ex variis locis septimæ synodi; sed non ex versione Anastasij Bibliothecarij, qua alioqui sæpe uti solet Gratianus. Initium quidem est in actione prima, anathematismo septimo.* Omnis Episcopus] *Hinc usque ad vers.* Tarasius Patriarcha *sumpta sunt ex epistola Tarasij ad Ioannem Presbyterum, omissis tamen interdum nonnullis verbis. quæ quidem epistola in versione Anastasij est post actiones & canones septimæ synodi; sed in nova versione impressa in tomis Conciliorum est ante ipsam synodum.* Tarasius] *Hæc videntur sumpta ex epistola Tarasij ad Hadrianum* (*de qua dictum est sup. q.* 1. *ad c.* Eos qui) *aut ex quinto capite septimæ synodi. quib. locis refertur canon trigesimus Apostolorum.* Quicumque per pecuniam] *Hæc habentur etiam novella* 123. *c.* 4. *apud Iulian. Antecessorem.* Si verò religiosam] *Hæc non sunt in canone Apostolorum.* In eodem vers. *Tarasius.* in margine est: *In epist. Tarasij ad Hadrian. & in* 7. *syn. c.* 5. *ex can. Apost.* 30. Et vers. Quicumq. per pecuniam: *In ea. ep. & c.* 5. *ex Conc. Chalc. c.* 2. *Novella* 123. *c.* 24. *apud Iulian. Anteces.* Et vers. Qui post baptismum. *Conc. Neocæs. c.* 9. Et vers. Similiter. *Can.* 26. *al.* 28. *Aposto. dist.* 63. Omnis elec. *Can. Apost.* 29. *al.* 31. *& in sept. syn. c.* 3.

(8) Hæc est capitis septimi *Si quis falsum.* 5. qu. 6. in eodem libro inscriptio: *Item ex octava synodo.* In margine est: *In regula Isidori c.* 17. Et in Notis: *Capiti huic in vulgatis erat præpositum nomen Palea. quod sublatum est auctoritate omnium vetustorum exemplarium, quotquot collata sunt. Extat autem in*

regula monachorum B. Isidori c. 17.

(9) Ante caput 18. *Cum excommunicato.* 11. q. 3. hæc in eodem libro verba sunt: *Item Isidorus in regula monachorum cap. 18.* Et in margine est: *Polyc. ibid.* (hoc est, *l. 7. tit. 1.*) *Burc. l. 11. c. 31. & 32. Ans. l. 12. c. 16. Ivo p. 14. c. 95. & 96.* In Notis: *Prior pars hujus capituli usque ad vers. Si quis enim habetur in regula sancti Isidori (quæ missa est ex Hispania) c. 18. ex qua citat hoc Smaragdus in expositione regulæ sancti Benedicti c. 26. excepta tamen ista clausula,* nisi quæ ad eandem excommunicationem pertinent, *quæ neque in regula B. Isidori legitur neque apud Smaragdum. Est tamen apud Burchardum & Ivonem.* Si quis enim] *Hæc usque ad finem refert Smaragdus ex quodam Magistro monachorum. quod notabitur infrà eadem c. Si quis frater.* Inscriptio cap. 28. *Si quis frater.* ejusdem quæstionis hæc est: *Item ex octava synodo.* In margine est: *Sup. eadem* Cum excommunicato. *Burc. l. 11. c. 32. Ivo p. 14. c. 96.* In Notis additur: *Canon hic neque habetur in octava synodo, quæ habita fuit tempore Nicolai primi,* (immo Hadriani secundi) *neque in alia quæ & ipsa nominatur octava sub Ioanne octavo celebrata, quæ in bibliotheca Vaticana servantur. Multa verò quæ à Gratiano ex octava synodo citantur, in regulis Basilij, Isidori, & aliis scriptis ad monachos pertinentibus inventa sunt. Hoc quidem sup. ead.* Cum excommunicato. *fuit tributum Isidoro, quemadmodum etiam à Burchardo & Ivone. Sed Smaragdus in expositione regulæ B. Benedicti c. 26. cùm antea egisset de monacho à suo præposito excommunicato, hæc scribit valde similia. Hinc quidam Magister monachorum ait:* Si quis verò frater aut palam aut absconsè cum eo fuerit locutus aut conjunctus, communem cum eo excommunicationis contrahat pœnam. *quæ lectio convenit cum lectione Burchardi & Ivonis.*

(10) Quod attinet ad caput 77. *Non solùm ille.* ejusdem quæstionis 3. in libro Romano inscriptio hæc est: *Item ex octava synodo.* Et in margine: *Isidorus l. 3. de sum. bono c. 59.* Et in Notis: *De hac inscriptione octavæ synodi notatum est sup. ead. q. 3. si quis*

frater. Inscriptio capitis 78. *Quattuor modis.* ejusdem quæstionis est: *Vnde Gregorius ait.* In margine est: *Isidorus l. 3. de sum. bono c. 58. Burc. l. 16. c. 28.*] Ad illa, *animum alicujus corrumpimus*, additur: *Al. muneris alicujus corrumpitur. Isid.* & pro voce *adversarium*, *al. adversa.* In notis est: *Apud Gregorium non est inventum, sed apud Isidorum, quemadmodum citat Burchardus, & paulò etiam plenius. & sequitur nonnullis interjectis post caput* Qui rectè. *suprà eadem.*

(11) Gratiani verba sunt ante caput primum causa 20. q. 1. in eodem libro: *probatur auctoritate nonæ synodi. Firma autem &c.* In Notis est: Nonæ] *In nonnullis vetustis exemplaribus est*, octavæ. *Verùm in octava ab Hadriano II. habita non habetur, sed in libro B. Basilij de institutis monachor. Ruffino interprete c. 8. Similia etiam sunt apud eundem B. Basilium in regulis fusiùs disputatis c. 25.* Ac perfecta] *Hæc non sunt in eo B. Basilij loco.*

DE EADEM RE.

Dialogus nonus.

C. Cum pontificalem librum non editum ad te nuper adlatum in manibus haberem, incidi in extrema tempora Innocentij tertij. Illic inveni mentionem Gratiani fieri his verbis, quæ tibi meliùs in libro ipso indicavero, quia sunt quædam mihi valde ignota. A. Ostende locum. Neque enim ingratum erit de Gratiani vita aut tempore cognoscere. C. *Hoc anno* (scilicet MCCXV.) *Gratianus monachus de Clusa civitate Tusciæ natus Decretum composuit, ut dicit Hugucon feria q. VI. c. for. Floret etiam Magister Pe-*

trus Lombardus, qui sententias composuit. B. Si hæc vera sunt, cur in eo libro nihil est post Innocentium minorem conscriptum? Certiora sunt quæ alij de Eugenio tertio referunt, & ab eodem Gratiano scribunt mentionem fieri anni MCL. A. Quæratur locus in formulis appellationum & apostolorum. B. In libro Antonij Democharis sic est: *Pridie Kalendas Maij, anno dominicæ incarnationis* MCLXI. *Indictione* IV. & in margine: *aliàs* MCV. *feria* IV. His addit Contius: *Sic in meo manuscripto.* C. In alia veteri editione est etiam MCV. *fran.* IV. ineptè pro *feria quarta.* & in scholiis: MCV. *Dicit H. quòd hic est falsa littera, quia non sunt tot anni quòd liber iste compositus fuit. Fuit enim editus docente Iaco. Bonon. in legib. & Alex. in theologia, qui fuit postea Papa Alex. III. & fuit anno domini* MCL. *ut ex chronicis patet.* A. Habeo alia scholia vetustiora. Cura ut liber adferatur. C. Eadem est scriptura numeri MCV. feria IV. & in margine hæc sunt: *Non currebat annus iste incarnationis tempore Gratiani, cùm & ipse inseruit huic operi capitula Innocentij secundi, qui paulò præcessit Alexandrum contemporaneum Gratiano.* A. Ex his apparet deceptum fuisse illum historicum, & pro Hugone sive Hugucione secunda quæst. VI. c. *Forma* illa monstra peperisse. C. An, obsecro te, idem ille est qui H. notatur in scholiis? A. Ego eundem esse arbitror. (1) Sed nos ad octavam synodum revertamur. B. Causa XX. quæstione secun-

2. q. 6. c. 30. Post appellationem. p. Forma.

da extrema *a* sunt quædam verba quæ ex synodo nona Gratianus refert, ex Isidoro liber Tarraconensis *b*; sed Basilij verba sunt in monachorum institutis cap. IIX. inteprete Rufino. (2) Caussa XXVI. quæst. VII. *c* multa capita sunt octavæ synodo inscripta quæ Basilio inscribi debuerunt, primo excepto, quod incertum est. Sine inscriptione refert Pœnitentiale Romanum *d*. Videtur esse epitome capitis XXXI. Concilij Carthaginensis tertij, ut in Notis tuis inveni. Aliud caput *e* selecti viri Basilij esse existimant in epistula ad Amphilochium capite LXXIII. Sine inscriptione est in eodem Pœnitentiali. (3) Tertium caput *f* ex dictis Basilij Episcopi inscribunt Burchardus *g* & Ivo *h*. & in margine Ivonis legi, *In regulis brevioribus respon. ad interrog.* VIII. Hoc idem selectis viris probatur. Quartum caput *i*, cujus initium est *Affectum*, eisdem regulis adscribunt capite quinto. Quintum caput *k* Burchardus *l* & Ivo *m* ex dictis Augustini inscribunt, Romani Basilio in regulis breviorib. cap. IX. (4) A. Laudanda est maximè horum patrum diligentia. B. Adhuc audies alia eadem ratione rectè mutata. Caussa XXVII. quæst. II. *n* ex octava synodo caput illud inscripserat Gratianus, cujus initium *Si quis conjugatus*. Ex dictis Basilij Episcopi Burchardus *o*, Ivo, *p* & Anselmus *q*. Basilij tantùm nomen est in libro Cæsaraugustano *r*. Pars epistulæ Alexandri secundi ad Landulfum est in Panormia & in excerptionibus Ivonis, *s* cujus initium *Notificasti*. & post alia

a 20. *q.* 2. *c. ult.*

b *Tarrac. l.* 6. *cap.* 260.

c 26. *q.* 7. *c.* 7. Proqualitate.

d *Pœnit. Rom. tit.* 9. *c.* 10.

e *d. q.* 7. *c.* 8. Hoc sit.

f *d. q.* 7. *ca.* 9. Pœnitentem.

g *Burc. li.* 19. *c.* 59.

h *Ivo par.* 15. *c.* 55. *dec.*

i *e. q. c.* 10. Affectum.

k *e. q. c.* 11. Erga eum.

l *Burch. li.* 19. *c.* 64.

m *Ivo par.* 15, *c.* 78. *d. c.*

n 27. *q.* 2. *c.* 21. Si quis.

o *Burc. lib.* 9. *cap.* 45.

p *Ivo par.* 8. *c.* 183. *dec.*

q *Ans. lib.* 10. *c.* 20.

r *Cæs. l.* 10. *c.* 65.

s *Ivol.* 6. *tit.* 5.

c. 11. panon. & par. 8. e. 220. decr. 133. q. 5. c. 2.

à Gratiano *t* etiam relata hæc sunt: *Sanctus enim Basilius de hac re taliter dicit. Si quis conjugatus &c.* Selectis viris placuit: *Basilius in regulis fusiùs disputatis cap.* XII. C. Quid est quod in margine Ivonis legitur: *Ex synodo* VIII. *sub Photio Constant. celebrata penultimo canone, cui aliquot interfuere Episcopi Basilij nomine?* B. Unde hæc sumpta sint ignoro.

De pæn. d. 2. c. 1.

(5) Caput primum dist. 11. de pœnitentia non octavæ synodi est, ut Gratianus refert, sed Basilij in regulis brevioribus capite CCXXCIX. Extremum est caput XXV. de consecrat. dist. 11. quod Gratianus ita inscripsit: *Ex octava synodo Basilius Episcopus dixit.* Id etiam inveniri in regulis brevioribus Basilij testantur. A. Quoto capite? B. Id etiam ignoro, quia is liber nondum à me lectus est. sed in quadam scheda est cap. 172. (6) A. Non omnia possumus omnes. Hactenus de octava synodo. Habésne aliquid ex Capitularibus Imperatorum præter ea quæ ante discessum tuum tibi ostenderam missa mihi à Latino Latinio & à Petro Ciacconio? B. Volumen attuli Capitularium quorundam Imperatorum post septem illos libros, quos nosti, editorum. Sed exceptis duobus ad Gratiani emendationem non pertinent. A. Duo illa, quæ sunt? B. Ex Concilio Trecensi sub Joanne octavo, item ex Fulberto Episcopo Carnotensi de forma fidelitatis, quem Philibertum Episcopum Gratianus appellat. sed Fulbertus dicitur in Panormia veteri Ivonis, Silibertus in edita, Fulbertus rectè dici-

De consec. d. 2. c. 25. Timorem.

22. q. 15. c. 18. De forma. Ivo lib. 8. tit. 8. c. 33. panor. & par. 12. cap. 76. decr.

tur in Ivonis excerptionibus & in libro Cæsarauguſtano. Illud quoque didicimus ex hoc libro Capitularium, ad quem hæc epiſtula Fulberti miſſa ſit, & nomen Eccleſiæ cujus Epiſcopus erat, quæ ceteri omiſerant A. Recita verba. B. *De forma fidelitatis inter dominum & fidelem ſuum. Glorioſo Duci Aquitanorum Vvillelmo Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus orationis ſuffragium. De forma fidelitatis aliquid ſcribere monitus &c.* C. Súntne hæc ſumpta ex libro feudorum, an poſt Gratianum illic ſcripta? B. Joannes Trittenhemius hunc Fulbertum ſive Fulpertum ait fuiſſe ſub Henrico primo Imperatore anno plus minùs Chriſti milleſimo decimo. Sic apparet antiquiorem fuiſſe Ivone Carnotenſi & Gratiano, poſt quos fuerunt Gerardus & Obertus, qui librum feudorum ſcripſerunt ſub Friderico primo, qui anno Chriſti MCXC. mortuus eſſe dicitur. A. Gratum eſt hæc reperta eſſe, quæ me diù quærentem fefellerunt. Et memini à me doctum virum in Sicilia petiiſſe ut ſi quid de hac Philiberti epiſtula comperiſſem, ſic enim appellari putabamus, eum certiorem facerem. (7) De Concilio Trecenſi videamus, de quo in libro Aimoini de geſtis Francorum ſcio aliquid referri. B. Ita eſt ut dicis. Sed apud Gratianum non multa verba ſunt, ſi cum Ivone & aliis conferamus; in veteri autem libro aliis verbis Concilii ſententia conſcripta eſt. Eſt autem operæ pretium conferre ſingulorum capitum inſcriptiones. *Vnde Ioannes Papa VIII.*

Cæſ. lib. 6. c. 22.

Lib. 5. c. 37.
17. q. 4. c. 21. Quiſquis.

scribit omnibus Episcopis. Sic Gratianus. At Ivo *u* : *Ioannes VIII. in libro Gothicæ legis.* Sine inscriptione liber Cæsaraugstanus *x* initio libri septimi. *Ioannes Papa VIII.* est apud Anselmum *y*. In veteri libro hæc inscriptio legitur : *Lex sacrilegum edita à Ioanne Papa coram sereniſſimo Luduvico Imperatore & Episcopis* LIII. *in Concilio Trecacensi, & eorum auctoritate juncta Gothicæ legi : Per defectum sacrilegij.* Addam, si placet, initium ex eodem libro, ut certius testimonium habeamus : *Ioannes Episcopus servus servorum Dei omnibus Episcopis per Narbonensem atque Hispanicas provincias consistentibus Abbatibus, Presbyteris, cunctisque simul ordinibus divino ministerio mancipatis, necnon Comitibus, Vicecomitibus, Vicariis, Centenariis, Iudicibus, & omnibus in potestatibus constitutis, & omni populo, & cunctæ simul generali Ecclesiæ, salutem carissimam cum benedictione apostolica. Auctore omnipotenti Deo mediante, incarnationis Domini nostri Iesu Christi* (an.) DCCCLXXXVIII. xv. *Kal. Sept. Indict. I. Domno videlicet Ludovico sereniss. Rege an. I. actum est hoc à nobis apud urbem Trechas pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ synodale Concilium &c.* A. Rectène anni cum Indictione conveniunt ? B. Minimè conveniunt ; & suspicor in utroque numero erratum esse, atque ita mutandum, *an.* DCCCLXXVIII. *Indict.* XI. quod existimo Aimoini verbis confirmari libro v. cap. XXXVIII. Apud Ivonem in excerptionibus ita est : *Ioannes Episcopus S. S. D.*

u *Ivo lib. 2. tit. 8. c. 1. & 2. panor. & par. 3. c. 98. decr.*
x *Cæsa. lib. 7. c. 1.*
y *Ansf. lib. 5. c. 40. & 46.*

omnibus Episcopis, Comitibus, Vicecomitibus, Centenariis, Iudicibus catholicis in Hispania & Gothia & provinciis degentibus omnique populo occidentali catholico salutem & apost. ben. Noveritis, dilectiss. filij, quia nos pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ jussimus congregari synodale Concilium apud urbem Trechas; ubi sedentibus nobis in corona venit &c. Sineboldus sanctæ primæ sedis Narbonensis Episcopus cum suis suffraganeis Episcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habeatur de sacrilegiis &c. In libro Cæsarauguſtano Ivonis verba sunt, his exceptis, *& Gothia provincia degentibus*, item *Sigeboldus* pro *Sineboldus*. & *habebatur* pro *habeatur*. Multa in utroque libro sunt omissa, & hæc ipsa aliis verbis dicuntur quorum initium est: *Inter cetera autem oblatus est in eodem nobis Concilio primùm à Segebodo Narbonensis Ecclesiæ Metropolitano proclamationis libellus &c.* A. Magna varietas est. Sed de verbis à Gratiano relatis videamus. Sequitúrne Gratianus Ivonis an alterius libri editionem? B. Ivonis, cujus nomine duo libri nuncupantur, quos te video Panormiam & excerptiones appellare, & dubitare utrum ejusdem sint scriptoris. Panormia usus fortasse est Gratianus, excerptiones non vidisse existimo. In hoc capite excerptionum libri ordinem secutus videtur, cùm præposterè essent duo capita in Panormia collocata. Initium primi capitis est: *Sacrilegium enim committitur*, quæ verba Contius Gratiani esse credidit. Initium secundi: *Inspectis legibus*

Romanis. Ante vocem *sacrilegium* in excerptionibus est: *Hucusque Lex Papæ.* quæ in fine capitis posterioris sunt in Panormia. In libro Cæsarauguſtano vox *Hucusque* sola est. In veteri libro omnia aliis verbis explanantur, & illa omittuntur, *Sacrilegium enim committitur &c.* De varietate pœnarum sive multarum in raptores agitur. triplicem fuisse dicitur, ante Justinianum XII. auri librarum, à Justiniano V. auri obryzi librarum, à Karolo XXX. librarum examinati argenti constitutam. Hæc leniſſima pœna, sed usu abrogata, restituitur, & DC. solidorum esse declaratur. *Præsenti*, inquit, *ideo confirmamus edicto ut cujuscumque sit homo gentis vel ordinis, cujuscumque sit legis vel patriæ judex, si in pervasores aut violatores ecclesiasticarum rerum legem superiùs taxatam, id est, DC. solidorum summam judicare noluerit, aut pervasor sive violator, si pulsatus ab Episcopo vel Abbate seu Advocatis Ecclesiæ, persolvere noluerit, primùm tertiò secundùm Domini vocem admoniti, si non emendaverint, à ceterorum Christianorum communione sint separati &c.* Apud Ivonem post relatas multas Justiniani & Caroli, *videlicet*, inquit, *in triginta libras argenti examinati, id est, sexcentorum solidorum summam argenti purissimi; ideòque quisquis inventus fuerit reus sacrilegij, istam leniorem compositionem emendet ipsis Episcopis vel Abbatibus sive personis ad quos* † *querimonia sacrilegij justè pertinuerit &c.* Eadem sunt in libro Cæsarauguſtano. Videtis igitur Gratianum ho-

† quas

rum verborum partem retuliſſe, partem omiſiſſe. de triginta enim libris retulit, de DC. ſolidis nihil dixit, neque de excommunicatione. In fine hujus capitis in veteri libro eſt: *Et ſubſcripſerunt Ioannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cum decem Archiepiſcopis &* XLI. *Epiſcopis.* (8) A. De ceteris aliud erit dicendi tempus. Nunc nobis ſurgendum eſt.

ADDITIONES.

(1) VERBA Gratiani ſunt in Gregoriano libro cap. 31. Romanis, *Poſt appellationem.* verſ. *Forma apoſtolor.* 2. q. 6. *Pridie Kal. Maij anno Dominicæ incarnationis* MCXLI. *Indictione quarta.* In Notis eſt: MCXLI.) *In vulgatis erat* MCLXI. *qui numerus, ut rectè in gloſſa dicitur, conſtare non poteſt. Quod etiam confirmatur, quia quarta indictio, de qua hic eſt mentio, non convenit cum anno illo. In manuſcriptis autem eſſet varia ſit lectio, hæc viſa eſt melior, quæ notarum tantum tranſpoſitione reſtitui potuit, & quarta Indictio cum hoc anno concurrit.* In ſcholiis: MCXLI.] *Dicit Hugo quòd hic eſt &c.* ut in dialogo. In admonitione, ante Gratiani verba, præter ea quæ retulimus lib. 1. addit. 1. hæc ſunt: *In Chronico quod inſcribitur Pomarium Eccleſiæ Rhavennatis, qui liber in bibliotheca Vaticana ſervatur, hæc de Gratiano leguntur.* Anno Chriſti MCLI. Gratianus monachus de Claſſa (in margine eſt: *Alij Cluſio, alij Cinſa*) civitate Thuſciæ natus, Decretum compoſuit apud Bononiam in monaſterio ſancti Felicis. *Idem teſtatur Hugutio vetuſtiſſimus hujus codicis interpres ſecunda quæſtione ſexta cap.* Poſt appellationem. *& Vincentius in libro hiſtorialium bis, ſemel libro vigeſimo tertio cap. 31. loquens de Iſidoro, & iterum lib. 25. c. 84. agens de Ivone & aliis decretorum collectoribus, & ſanctus Antoninus par. 3. hiſtor. tit. 18. c. 6. Trittemius verò in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis Gratianum agnoſcit hujus collectionis*

auctorem; itémque in libro secundo de viris illustribus ordinis sancti Benedicti. quo tamen loco addit (ipsam fortasse operis inceptionem spectans) fuisse ab eo compositum anno Domini MCXXVII. *Hanc collectionem Innocentius tertius in epistola ad Archiepiscopum Compostellanum vocat Copus Decretorum.*

(2) Capitis quarti sive extremi *Oportet infantes.* 20. q. 2. in eodem libro hæc inscriptio est: *Vnde in nona synodo legitur.* In margine est: *Al. octava.* Et in Notis: *Est in eodem libello B. Basilij, & eod. capite, in quo est c.* Firma. *suprà ead. q. 1. & sequitur continenter post illud.* Vide paullò ante dial. 8. addit. 11.

(3) Inscriptio capitis 7. *Pro qualitate.* 26. q. 7. in eodem libro hæc est: *Vnde in octava synodo legitur.* In Notis est: *Videri potest sumptum ex regulis brevioribus B. Basilij c. 106. quod notatum alibi est evenire in iis capitibus quæ ex octava synodo citantur.* Capitis 8. *Hoc sit.* ejusdem quæstionis inscriptio sola voce *ITEM* constat. In margine est: *Smaragdus in regulis B. Benedicti c. 24.* In Notis: *Caput hoc habetur in libello beati Basilij de institutis monachor. Rufino interprete c. 90. ibi enim ultima interrogatio est hæc:* Qualib. correptionib. &c. *Responsio.* Hoc sit &c. *Itaque ex interrogatione & responsione confectum est hoc caput, sicut & duo sequentia, quæ apud eundem Ruffinum leguntur.*

(4) Ejusdem quæstionis caput nonum *Pœnitentem.* in eodem libro hæc pro inscriptione habet verba: *Ex eadem synodo evidenter ostenditur, cùm dicitur.* In margine est: *Burc. l. 19. c. 39. Ivo par. 15. c. 55.* In Notis: *Burchardus & Ivo citant ex dictis Basilij Episcopi, & in regulis illius brevioribus numero 8. est sententia hujus capitis. quod tamen acceptum videtur ex c. 24. ejusdem libelli de institutis monachorum, ubi secunda interrogatio sic habet:* Pœnitentes &c. *Responsio.* Sicut Dominus &c.] Ante caput 10. *Affectum illum.* ejusdem quæstionis est vox *ITEM* pro inscriptione. Et in Notis est: *Sententia hujus capitis est in regulis brevioribus num. 5. Acceptum tamen videtur ex c. 19. ejusdem commemorati libelli, in quo hæc est interrogatio:* Quomodo quis debet &c. *Responsio.* Affectum illum &c.] Castos] *Antea legebatur.* cautos. *Emendatum est*

ex libello Ruffini. In vulgata est contaminatos, *Græce* κηλὶς. Ante caput 11. *Erga eum.* ejusdem quæstionis est etiam vox *ITEM*. Et in margine est: *Burc. l. 19. c. 64. Ivo par. 15. c. 78.* Et in Notis: *Hoc etiam habetur in regulis brevioribus num. 9. In eodem verò libello c. 24. ultima interrogatio est hæc:* Erga eum &c. *Responsio.* Sicut præcepit &c. *Apud Burchardum & Ivonem, qui hoc citant ex dictis Augustini, initium sic habet:* Erga eum qui pro peccato commisso non pœnitet tales &c. *quod magis convenit cum prædicta interrogatione quàm quomodo est apud Gratianum.*

(5) Hæc etiam est inscriptio capitis 22. Romanis, cujus initium est *Si quis conjugatus. 27. q. 2. Item ex octava synodo.* In margine hæc sunt: *Sent. ibid.* (hoc est, *Sent. 4. dist. 27.*) *Poly. ibid.* (id est, *l. 6. tit. 4.*) *Ans. l. 10. c. 20. Burc. l. 9. c. 45. Ivo p. 8. c. 183. & 220. Pann. l. 6. c. 85.* In Notis est: Si quis conjugatus] *Hæc usque ad vers.* Nam si illo *habentur apud B. Basilium in regulis fusiùs disputatis c. 12. Burchardus quidem, Polycarpus, & Ivo par. 8. c. 183. citant totum hoc caput ex dictis Basilij. Idem verò Ivo c. 220. & auctor Pannormiæ citant epistolam Alexandri secundi Landulpho scriptam, in qua hoc idem ex B. Basilio refertur. Et pars prior illius epistolæ refertur infrà 33. q. 5. Notificasti.* Inscriptio capitis secundi *Notificasti.* de quo suprà, hæc est: *Item Alexander Papa II. Landulpho in Corsica.* Et in margine est: *Ivo p. 8. c. 220. Pann. l. 6. c. 85.*

(6) De pœnitentia distinctionis 11. capitis 1. inscriptio in eodem libro Romano est: *Item ex octava synodo. Si quis semel &c.* In Notis est: *Habetur in libro de institutis monachorum interprete Ruffino c. 22. ex Basilio in regulis brevioribus numero 289.* Inscriptio capitis 25. de consecratione, distinctione secunda hæc est: *Item ex octava synodo. Basilius Episcopus dixit: Timotheum docet nos &c.* In margine hæc sunt: *Ex Basilij regulis brevioribus c. 172.* Et in Notis: *Hoc Basilij caput est ex versione Ruffini c. 70. quibusdam tamen omissis. Ex hac autem citatione, quam nunc affert Gratianus, & aliis ejusdem locis, ut alibi dictum est, videtur posse colligi regulas illas B. Basilij post octavam synodum in*

codice quo Gratianus usus est fuisse collocatas.

(7) Gratianus ante caput 18. *De forma.* 22. q. 5. in eodem libro ita scribit: *De forma verò fidelitatis &c. Sic invenitur in epistola Fulberti Episcopi.* In margine hæc sunt: *In usib. feudor. l. 2. tit. 6. Ivo par. 12. c. 76. Pan. l. 8. c. 122.* Et in Notis: *Epistola hæc Fulberti missa est è Gallia, descripta ex vetusto codice Ecclesiæ Belvacensis, cujus hic est titulus: Glorioso Duci Aquitanorum VV. Fulbertus Carnotensis Episcopus orationis suffragium.*

(8) Caput 21. *Quisquis inventus.* 17. q. 4. in eodem libro ita inscribitur: *Vnde Ioannes Papa octavus scribit omnibus Episcopis.* In Notis hæc sunt: *In epistola manuscripta Ioannis octavi scripta Episcopis & Abbatibus per Narbonensem & Hispanicas provincias constitutis præcipitur observari lex contra sacrilegos in Concilio Trecasensi edita coram Ludovico Imperatore & quinquaginta tribus Episcopis. Diversa autem sunt istius epistolæ verba ab iis quæ recitantur & à Gratiano & ceteris collectoribus; sed eadem sententia.* In margine est: *Ans. l. 8. c. 40. Poly. l. 6. tit. 10. Ivo par. 3. c. 98. Pann. l. 2. c. 80. & 79.* Et vers. *Idem. Si quis domum. suprà 11. q. 3.* Ad mensam. *Ans. l. 5. c. 52.* Et vers. *Si qui monasteria. Ans. l. 5. c. 47. Burc. l. 11. c. 22. Ivo p. 3. c. 124. & p. 14. c. 96. Simile in Meldens. c. 60.*

DE

DE CAPITULARIBUS CAROLI & Ludovici & aliorum Imperatorum.

Dialogus Decimus.

C. LEGIS Gothicæ heri mentio facta est Joannis octavi tempore, quo jam Gothi in Hispania regnare desiderant ante annos fere centum septuaginta. Annon, amisso regno, leges etiam abrogatæ sunt? Cur in hoc jubetur Concilio ut in Hispania & Gothia hoc decretum addatur legi Gothicæ? Quid Gallis cum Gothia commune fuit? A. Nonne vides Narbonensem antistitem hoc petere? Narbonensis Gallia aliquando Gothia dicta fuit, & Gothorum Regibus paruit; postea se in libertatem vindicavit, & à Francis possessa est. Ea quoque Hispaniæ pars quæ Narbonensi conjungitur, Gothicis legibus diù usa est, quibus & Galli Reges, quorum erat tunc suprema potestas, & Comites Barcinonenses utebantur, qui postea soli imperium in his locis obtinuerunt. Neque etiam credas in reliqua Hispania leges Gothicas fuisse abrogatas. Servabantur enim à Christianis. hodiéque exstat is liber quod *Forum judicum* appellatur. C. Eum librum editum esse audivi à Petro Pithœo; & habere te scio aliquot hujus libri antiquiora exemplа. Estne aliquid ex hoc libro sumptum apud Gratianum? A. Unius tantùm loci memini *a*, in quo de gradibus cognationum agitur *b*,

a *Vuisigo. lib. 4. tit. 1.*
b 35. *q.* 5. *c.* 6. Primo gradu.

quem Isidori nonnulli esse crediderunt. Est autem ex Pauli sententiis & ex earum veteri interprete. Id caput non credo Gratianum ex Gothicis legibus accepisse, sed ex Burchardo *c* aut Ivone *d* aut aliis collectoribus *e*. (1) C. De septem libris Capitularium scire cupio, à quo scripti sint, & qua auctoritate, & quid auxilij ex eis Gratiano adferri possit. A. Quatuor libros Capitularium Caroli Magni & Ludovici Pij ejus filij atque Lotharij Ludovici filij Caroli nepotis Ansegisus Abbas Lobiensis, qui postea Senonensis Archiepiscopus fuit, edidit anno DCCCXXVII. imperij Ludovici Pij anno XIII. Indictione quinta. Primo & tertio libro continentur Caroli Capitularia, secundo & quarto Capitularia Ludovici & Lotharij. Libri singuli ita distinguuntur ut primo & secundo libro agatur de rebus ecclesiasticis, aliis duobus de ceteris rebus. Sequuntur tres libri à Benedicto Levita adjecti, quibus prætermissa ab Ansegiso Capitularia eorundem trium Imperatorum continentur. Ordinem noli ab eo exposcere. contenti simus ipso collectionis opere; &, ut aiunt, quod dant accipiamus. Omnia ferè sine ulla inscriptione proponuntur, etiamsi ex aliis libris intelligamus cujus sint. Hæc ait fuisse apostolica auctoritate confirmata. nomina Pontificum subticuit, præter Leonem, Sergium, & Gregorium. Sumpsit autem ea ex Maguntina bibliotheca; quæ tribus filiis Ludovici Imperatoris misit, Ludovico, Lothario, & Karolo Regibus.

c Burc. lib. 7. c. 28.
d Ivo lib. 7. tit. 12. c. 1. panor. & par. 9. c. 64. decr.
e Tarrac. lib. 1. c. 272.

C. Quæ à te dicta sunt, eisdem libris confirmantur, an aliorum auctoritate? A. Utrumque proferre possum. Vide præfationem Ansegisi libro primo Capitularium, & alteram Benedicti Levitæ libro quinto, cujus partem refert Ivo *f* libro secundo Panormiæ & parte quarta excerptorum & liber Cæsarauguſtanus *g*. Adde Sigebertum in chronicis & Joannem Trittenhemium. Et quia de auctoritate Capitularium dubitabas, licèt verum sit hæc fragmenta esse constitutionum trium Imperatorum à privatis hominibus collecta, tamen, ut Benedictus ait *h*, apostolica auctoritate confirmata sunt. Lege etiam verba Concilij Meldensis cap. LXXIIX. *Vt capitula ecclesiastica à Domno Carolo Magno Imperatore necnon & à Domno Ludovico Pio Augusto promulgata obnixè observari præcipiantur, sicut & legalia observanda esse noscuntur.* & cap. LXXX. ad Carolum Calvum Ludovici Pij filium: *Capitula patris vestri sine refragatione de cetero conserventur, ac capitulis vestræ religionis ab exiguitatis nostræ ministerio oblatis hoc diploma, si complacet, adnectatur.* Sic multa capita referuntur hujus collectionis in Concilio Trosleiano, in Ticinensi, & in Colonienſi sub Carolo tertio. Leonis quarti ex epistula ad Lotharium Augustum verba referunt Ivo *i* & Gratianus *k* & liber Cæsarauguſtanus *l*: *De Capitulis vestris vestrorúmque prædecessorum irrefragibiliter custodiendis & conservandis, quanto valuimus & valemus Christo propitio & nunc &*

f Ivo lib. 2. tit. 12. c. 11. panor. & par. 4. cap. 174. decr.
g Cæsar. lib. 2. c. 33.

h Lib. 7. c. 478. Capitul.

i Ivo lib. 2. tit. 12. c. 12. panor. & par. 4. cap. 176. decr.
k Dist. 10. c. 9. De Capitulis.
l Cæsar. lib. 1. c. 61.

in ævum conservaturos modis omnibus profitemur. (2) B. Exstántne integri septem libri Capitularium? A. Multa desiderantur, ut notatur in triplici appendice post librum quartum, & libro sexto post caput CCLXXXIIX, usque ad CCCXXX. & libro septimo post caput CCCCLXXIIX. ad DLIIX. Adjecta sunt postea duabus collectionibus capita XXVIII. & capita CCXCVI. Ex quo evenit ut non omnia quæ Ivo & Anselmus & Deus-dedit & alij collectores in Capitularibus esse referunt inveniantur. Sed tempus est ut Gratiani capita cum hoc libro conferamus. B. Quæ in legibus Longobardorum esse dicuntur ex Carolo & Ludovico & aliis Regibus sumpta, eisdem verbis scripta sunt quæ in Capitularibus inveniuntur? A. Inveni nonnulla. Sed melius sunt in illis legibus, quòd habent singula inscriptiones suas, & certis titulis collocata sunt. Non pauca etiam ex his Capitularibus inveni in Conciliis Maguntino, Parisiensi, Vormacienſi, & aliis. Et suspicor fontem hunc Capitularium fuisse ipsa Concilia atque conventus in quibus Imperator cum Episcopis & aliis Consiliariis de rebus tam ecclesiasticis quàm profanis agebat. Sic in Concilio Trosleiano appellantur Conciliorum pedissequa hæc Capitularia Principum. Apud Gratianum distin. LXIII. hanc inscriptionem invenietis: *Ex primo libro Capitulorum Caroli & Ludovici Imperatorum.* Eisdem ferè verbis utuntur Deus-dedit Cardinalis & Anselmus Lucensis. Extat lib. 1. Capitular. Caroli cap-

Dist. 63. cap. 34. Sacror. Deus-d. c. 1. Ans. lib. 4. c. 41.

LXXXIV. & in additis posterioribus cap. 1. In verbis non magna varietas est. Pro *ut Dei nomine* illic scriptum est *ut in Dei nomine*; & pro *potiatur*, *potiretur*; & pro *præbemus*, *præbuimus*. (3) Ante hoc caput positum est quod Gratianus causſa XVI. retulit ex libro Capitulorum Caroli & Ludovici. Id Anselmus *m* quoque proximum superiori collocavit. Illic tamen est Caroli caput LXXXIII. & in additis posterioribus in præfatione. Varietas non est contemnenda. Pro *verùm etiam Deo opitulante conferre optamus* scribe *verùm etiam multa Deo opit. con. optamus*. Vocem *multa* habet Anselmus; sed pro *optamus* scribit *temptamus*. quod reicio. Pro illis, *Vt autem ab ecclesiasticis officiis de dividendis rebus Ecclesiæ suspicionem*, Anselmus habet, *tamen ut ab ecclesiasticis de non vendendis rebus Ecclesiæ suspicionem*. Libro primo Capitularium est: *tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus illius suspicionem*. & in additis eadem verba sunt, excepta voce *illius*, pro qua est, *ullius Ecclesiæ*, aptiùs. B. Non dubium est quin vox *officiis* tolli debeat. cetera ferre possem. A. Post vocem *temporibus* desiderantur hæc: *qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint*. quæ etiam Anselmus omisit. (4) Quod apud Gratianum ita inscribitur, *Vnde in libro Capitulorum* CLXXV. *cap. legitur*, *Si quem pœnituerit &c.* ex interprete Codicis Theodosiani sumptum est lib. IX. tit. de abolitionib. constit. 1. quæ secunda est in Codice

16. *q.* 1. *cap.* 59. Quia juxta.

m *Ans. d. lib.* 4. *c.* 42.

2. *q.* 3. *c.* 8. Si quem.

Justiniani. Apud Ivonem quoque inscriptio mendosa est cap. xx. Pro *si cum accusato* scribendum *si ei cum accusato*. Pro illis, *per obreptionem convenerit de colludio &c.* illic est *per corruptionem de absolutione reatus convenerit, is qui reus probatur, remoto conludio pœnam excipiat &c.* Hæc etiam verba non rectè Ivo retulit. Cetera dicentur alio die. Hodie pensum absolvimus.

ADDITIONES.

(1) LIBRO priori, dialogo 6. addit. 4. retulimus quid in editione Romana de inscriptione & Notis c. 6. *Primo gradu.* 35. q. 5. scribatur.

(2) De inscriptione capitis noni *De capitulis.* distin. 10. actum est lib. 1. dial. 19. addit. 12.

(3) Inscriptio capitis 34. *Sacrorum canonum.* distin. 63. in eodem libro hæc est: *Item ex primo libro capitulorum Caroli & Ludovici Imperatorum c.* 84. In margine est: *Al. Capitularium.* Et: *Ans. l. 6. c. 6.*

(4) Hæc etiam est in eodem libro inscriptio capitis 59. *Quia juxta.* 16. q. 1. *Item ex libro primo capitulorum Caroli & Ludovici Imperatorum c.* 83. In margine est: *Deus-dedit p. 5. Ans. l. 4. c. 43* Pro *Ut autem* est, *Al. Tamen ut.* In Notis est: Ecclesiasticis] *Sequebatur* officiis. *quæ vox neque in vetustis neque in ipso capitulari est. Refertur enim ad homines, non ad officia.* Dividendis.] *In capitulari impresso legitur*, non dividendis. *In capitulis autem manuscriptis, quæ ab Episcopis provinciarum Rhemensis & Rhothomagensis Ludovico Regi missa fuerunt, hæc habentur ad hunc locum pertinentia:* Quia verò Carolus Princeps, Pipini regis pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes res Ecclesiarum ab eis separavit atque divisit, pro hoc solo maximè est æternaliter perditus. Nam sanctus Eucherius Aurelianensis Episcopus &c. *Hujus historiæ mentio etiam*

est in vita beati Eucherij Episcopi Aurelianensis & beati Rhigoberti Archiepiscopi Rhemensis. Qualis verò esset hujusmodi ecclesiasticorum bonorum divisio, quam Carolus Martellus induxit, Pipinus autem & Carolus Imperator prohibuerunt, eodem libro primo capitularium ante capitulum istud 83. sic exponitur: Tempore Hadriani Papæ & Karoli Magni Imp. &c.]

(5) Ante caput octavum *Si quem pœnituerit.* 2. q. 3. in eodem libro hæc verba sunt: *Vnde in libro capitularium c. 175. legitur.* Et in margine est: *Cod. Theod. lib. 9. tit. 37. c. 1. in interpretatione.* Et: *Ivo p. 16. c. 151.* In Notis est: Per obreptionem] *Apud Ivonem legitur:* Factum per corruptionem consensum, de colludio pœnam excipiat legib. constitutam. *Sed in interpretatione legis primæ, quæ est in Codice Theodosiano, hoc modo;* per corruptionem de absolutione reatus convenerit, is qui reus probatur, remoto colludio pœnam excipiat legibus constitutam.

DE EADEM RE.

Dialogus undecimus.

C. LATINA MNE vocem, an barbaram, esse dicemus Capitulare sive Capitularia? A. Annon rectè deducitur à capite capitale crimen & capitalis homo? C. Rectè. A. Si igitur à capitulo *capitularis* & *capitulare* pro *capitulalis*. quod ineptum esset. sic etiam à sæculo sæcularis, ab angulo angularis dicitur. C. Quis ex veteribus Latinis hac voce usus est? A. Non omnium veterum libros habemus. Ex illis deperditis existima hanc erutam vocem fuisse. Acta Capituli multi capitularia dicunt, & syndicum capituli capitularem. Non ineptissimum id qui-

dem videtur. C. Qui librum capitularem dicunt, quòd Capituli sit, minus peccare videntur quàm qui ideo volumen capitulare dicunt quòd in multa dividatur capitula & quasi collectio sit multorum capitulorum. A. Non igitur de voce ipsa quærendum fuit an esset Latina, sed de usu vocis in hac notione. Et mihi quidem à barbaris inductum esse arbitror Caroli & Ansegisi & Theodulfi temporibus. Sed ut ad Gratianum redeamus, is hac voce usus est caussa XI. cap. XXXIIX. Nam post duas constitutiones relatas sic ait: *Hæc si quis antiquata contendat, quia in Iustiniani Codice non inveniuntur ita inserta, per Carolum renovata cognoscat, qui in suis Capitularibus ait inter cetera, Volumus atque præcipimus &c.* Sic etiam Anselmus inscripsit: *In Capitularibus Caroli Imperatoris.* In libro Cæsaraugustano inscriptio desideratur. Exstant hæc verba in lib. VI. Capitular. cap. CCLXXXI. B. Caroli esse hoc caput ego dubito, cùm liber sextus, ut heri dicebas, Benedicti Levitæ sit, qui Caroli, Ludovici, & Lotharij capita collegit ab Ansegiso prætermissa, neque distinxit singula cujus essent. A. Si nolis fidem habere Anselmo & Gratiano hoc dicentibus, ego te aliis probationibus non convincam; nisi fortè multitudine nominum urgearis, qui Carolo potiùs quàm ceteris subditos se esse patiantur. Romani, Franci, Alamanni, Bajuvarij, Saxones, Thuringij, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Langobardi, Vascones, Beneventani, Gothi,

11. q. 1. c. 38. Volumus.

Ans. lib. 3. c. 105. Cæs. lib. 5. c. 13.

Hiſpani. B. De Lothario facilè cedam hac in re. At de Ludovico difficiliùs, in primis præſertim imperij annis poſt mortem patris. Sed cur hic Franci à Gallis ſeparantur, & à Romanis Longobardi & Beneventani, inter quos Vaſcones interponuntur? A. Romanos omnibus præferri ab Imperatore Romanorum mirandum non eſt. Francos Germanos fuiſſe creditur, & regale nomen diù in Gallia obtinuerunt, unde Reges Francorum dicebantur atque dicuntur, ut Gothi in Hiſpania Reges Gothorum. Gallos fortaſſe vocat Italos ex Gallia togata. Cur Vaſcones poſt Langobardos poſuerit, bellorum ordinem ſecutum fuiſſe credo. Illis enim victis, malè pugnavit cum Vaſconibus. Extremi ponuntur Beneventani, Gothi, & Hiſpani, ut qui longiùs à ſede imperij abeſſent. B. Beneventum à Romana urbe propiùs abeſt quàm Vaſcones. A. Non hanc ſedem imperij ſtatuo, ſed Pariſiorum urbem aut Aquiſgranum. C. Gothos intelligis Gallos, an Hiſpanos, an ex ultima Gothia, quæ olim Scandinavia dicebatur? A. Ex Narbonenſi provincia & illi conjuncta parte Hiſpaniæ, ut heri diximus. Sed de varietate verborum videamus. Pro *ditioni noſtræ* illic eſt *noſtræ ditioni Deo auxiliante*. Pro *quocumque* eſt *licèt quocumque*. Pro voce *aſtricti*, & voce *annexi*, illic eſt *conſtricti* & *connexi*. Pro *ex* XVII. (quod etiam eſt in Capitularibus) videtur ſcribendum *ex* XVI. ut eſt in Codice Theodoſiano Cujacij. Pro *Blavij* ſcribe *Ablavij*. Pro illis, *quam illi &*

omnibus per scripturam misimus, illic est, omissa voce *quam*, *illi & omnibus rescriptam sumpsimus*. Ante verbum *posuimus* adde *tam Clericorum quàm & laicorum*. Pro *lege cunctis perpetua teneant*, illic est, *lege cunctis perpetua tenendam*. Sed utrumque displicet. Anselmi & Cæsarauguſtani varietatem cognoscamus. B. Hæc postrema verba Gratiani adgnoscunt. Illud rectè utrubique est, *Deo auxiliante & ex* XVI. & *Ablavij & constricti & connexi*. in ceteris favent Gratiano. Sed quid tu pro illis verbis extremis substitueres? A. *Imp. Constantinus Aug. Ablavio P. P. Quicumque itaque &c.* B. Quæ similitudo est inter has & illas voces? A. Nulla prorsùs, nisi fortè aliud C. nostro videatur. C. Id cogitabam. Pro *lege cunctis*, *Imp. Const.* ferri potuit; præsertim si *l.* pro *lege* scribas. vox *perpetua* in P. P. converti potest. Voci *teneant* aut *tenendam* non video esse locum; nisi ex voce fiat extrema *Constantinus*. A. Finge fuisse scriptum *tenendam perpetua*, aut pro P. P. *Pr. Prat.* (1) B. Cur Theodosius appellatur à Gratiano *a* hujus constitutionis scriptor? A. Quia in Codice Theodosiano est. Sed meliùs Ivo *b* & Anselmus *c* ex Capitularibus sumpserunt. quamvis numerus mendosus sit. B. Cur dividuntur illa verba *d Omnes itaque causſæ &c.* à superioribus, cùm in constitutione Constantini conjuncta sint? A. Ineptè factum existimo. Sed & separata Ivo *e* in Panormia retulit, Imp. Theodosij nomine adscripto. C. Cur cap. XI. appellatur quæ

a 11. *q.* 1. *c.* 36 Quicumque.

b *Ivo par.* 16. *cap.* 312. *decr.*
c *Anſel. d. c.* 105.
d *c.* 37. *e. q.* Omnes.

e *Ivo lib.* 5. *tit.* 2. *c.* 1. *panor.*

constitutio prima est sub tit. XII. de episcopali judicio? A. Cujacius fatetur extra ordinem eum titulum se invenisse. Carolus fortasse non capitulum XI. sed titulum scripsit. (2) Alia capita perquiramus. Causa XVII. quæst. IV. duo capita sunt ex Capitularibus sumpta. Prioris inscriptio est: *Item ex libro* V. *Capitularium.* Posterioris: *Item ex eodem lib.* VI. Caput illud est libro tertio cap. XXV. hoc lib. VI. cap. XC. Capitularium. Caroli legem esse illam constat, tum ex Ansegiso, qui eam libro tertio retulit, tum ex lib. I. tit. IX. de homicidiis liberorum hominum legum Langobardicarum. Utrumque caput refert Ivo in Panormia & in excerptionibus & liber Cæsarauguſtanus *f* ex Capitularibus, sed aliis verbis. ex Concilio apud Theodonis-villam, quod exstat, Burchardus *g* & Ivo *h* in excerptionibus. Varietas in Gratiani & aliorum verbis hæc sola est, quòd in Capitularibus additur, post illa *Qui monachum*, CCCC. *solid. culp. jud.* quæ mihi interpretari non licuit. Fortè scribi debuit *comp. jud.* pro *compositione judicetur.* B. Quod de Presbytero occiso dicitur, ut DC. solidis componat, simile est illi quod Joannes VIII. Carolum constituisse referebatur *i.* A. Rectè admones. Sed in Concilio apud Theodonis-villam, non de occiso, sed de vulnerato, id statuitur. Et ut C. noster novum verbum discat, recitet ex Burchardi libro, quem habere video, Concilij verba. C. *Si quis Presbyterum calumniatus fuerit & spassaverit &c.* Et alio ca-

17. *q.* 4. *c.* 27. Qui subdiaconum. & *c.* 28. Qui occiderit.

Ivo lib. 8. *tit.* 2. *c.* 2. *panorm. & par.* 10. *c.* 9. & 10. *decr.*

f *Cæs. libr.* 7. *c.* 7.

g *Burc. lib.* 6. *c.* 5. & 6.
h *Ivo par.* 10. *c.* 134. & 135. *decret.*

i *Dialo.* 9.

pite: *Si Presbyterum quis malè tractaverit & spaßaverit &c.* Monstri genus videtur hæc vox: quæ si à spatha deducitur, *spathaverit* scribi debuit. Ego *vulneraverit* maluissem aut *sauciaverit*. A. Sit ita, per me licet. (3) De illo videamus quod est de consecratione dist. IV. *k Monachi sibi compatres commatresve non faciant, nec osculentur feminas.* Idem libro Capitulorum inscripsit Gratianus, & Capitulorum lib. VI. cap. CCCCXXIV. Ivo *l* in Panormia veteri. In edita est, *epistolarum tit.* VII. *cap.* XV. & in excerptionibus *Capitularium lib.* VII. *cap.* CCCCXCIV. Sic etiam est in libro Cæsaraugustano *m* & in titulis capitum libri VII. Capitularium. Ipsius enim capitis verba desiderantur. (4) In eadem distinctione caput CXXVI. *n* ita inscribitur: *Item Capitulorum libro* V. *cap.* LXXVI. & apud Ivonem *o* in Panormia edita Cypriano adscribitur libro VI. cap. LXXVII. Sed in veteri est: *Capitulor. lib.* VI. *cap.* LXXVII. & in excerptionibus, excepta prima voce, pro qua est *Capitularium*. Id confirmatur ipso libro Capitularium. (5) Extremum sit distinct. V. cap. XXXIV. *p* quod Gratianus inscripsit: *Item libro* V. *Capitulorum*. & Ivo *q*: *Libro* V. *Capitulorum cap.* CLXXXV. Sed in ipso libro Capitularium bis est lib. V. cap. CXV. & libro VII. in additis cap. CLXXIII. Eadem verba sunt Concilij Maguntini cap. IX. quod sub Carolo Magno Imperatore habitum est. Ejus Concilij XXV. capita sunt in Capitularibus. (6) Hæc sint de Capitularibus dicta. Cras velim

k *De consecr. d. 4. c. 104.* Monachi.

l *Ivo lib. 1. tit. 2. c. 74. panorm. & part. 1. cap. 133. decr.*

m *Cæs. lib. 9. c. 42.*

n *De consecr. d. 4. c. 126.* In Sabbato.

o *Ivo lib. 1. tit. 2. c. 96. dec. & par. 1. c. 112. dec.*

p *De consecr. d. 5. c. 34.* In omnibus.

q *Ivo par. 6. c. 402. decret.*

de Nicolai Papæ primi epistulis agamus. Te enim attulisse quasdam ex veteri libro descriptas cognovi.

ADDITIONES.

(1) GRATIANI verba sunt ante caput 37. Romanis, cujus initium *Volumus.* 11. q. 1. *Hæc si quis antiquata contendat &c.* ut in dialogo. *per Carolum renovata cognoscat, qui in suis capitularibus lib. 6. cap. 281. ait inter cetera.* In margine est: *Ans. ibid.* (hoc est. *l. 3. c. 108.*) In Notis est: Rescriptam sumpsimus] Sic est emendatum ex Capitulari. *Antea legebatur*, per scripturam misimus.] Ad illa verba, *lege cunctis perpetua teneant*, additur in margine: *lege cunctis perpetuò tenendam*] *orig.* In scholiis: Capitularibus] *Id est, in Longobarda, non tamen invenitur, quæ in ea nunc est, sed in Gallia.* Gentium nomina hæc sunt: *tam Romani quàm Franci, Alemani, Bavari, Burgundiones, Saxones, Turingi, Frisones, Galli, Brittones, Longobardi, Guascones, Beneventani, Ghoti, Hispani.* De aliis verbis videatur editio Romana.

(2) Eadem quæstione prima, inscriptio capitis 35. *Quicumque litem.* in eod. libro est: *Vnde Theodosius Imperator.* In margine hæc sunt: *Cod. Theodos. l. 16. de episcopali judicio l. 1. par.* Quicumq. *ext. de judic. c.* Novit. *Capitul. l. 6. c. 281. Ans. l. 3 c. 108. Ivo p. 16. c. 312.* In extremo capite additur in Notis: Dirigatur] *In Cod. Theodosiano lib. 16. tit. de episcopali judicio. l. prima, quæ repetitur lib. 6. capitul. c. 281. & in Concilio tertio Valentino sub Lothario, & apud Ivonem & Anselmum sequuntur hæc: Multa enim quæ in judicio captiosæ præscriptionis juricula non patiuntur investigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas.* ac statim adnectitur caput sequens: *Omnes itaque causæ.* Ante caput 36. *Omnes.* eadem quæstione est tantùm: *Item ibid.* Et in margine: *Capitul. ibid. Ans. ibid. Ivo ibid. Pann. l. 5. c. 23.*

(3) Capitis 27. *Qui Subdiaconum.* 17. q. 4. in eo-

dem libro inscriptio est: *Item ex lib. 3. Capitul. c. 25.* In margine sunt hæc: *Et in Conc. Trosleiano c. 13. & inter leges Longobard. tit. de homicid. lib. hominis, l. 27. Pan. l. 8. c. 7. Burc. l. 6. c. 5. Ivo p. 10. c. 9. & 134. similia quædam.* Inscriptio capitis 28. *Qui occiderit.* eadem quæstione est: *Item ex lib. 6. capitul. c. 90.* Et in margine: *Ivo p. 10. c. 10. Pann. l. 8. c. 8.*

(4) In eodem Romano libro inscriptio capitis 104. *Monachi sibi.* de consecr. dist. 4. hæc. est: *Item ex libro Capitulorum.* In margine est: *Ivo par. 1. c. 133. Pann. l. 1. c. 81.* In Notis: *In indice septimi libri Capitularium numero 494. (nam capita ipsa à 475. usq. ad 558. in volumine quod ex Gallia habitum est desiderantur) hæc leguntur: Ne sibi compatres & commatres monachi faciant.*

(5) Ante caput 126. *In sabbato.* eadem distinctione hæc in eodem libro verba sunt: *Item Capitularium lib. 6. c. 77.* In margine est: *Ivo par. 1. c. 112. Pann. l. 1. c. 103.*

(6) Hæc etiam est in eodem libro inscriptio capitis 34. *In omnibus.* de consecr. dist. 5. *Item in lib. 5. Capitul. c. 115.* In margine est: *Et in Mogunt. sub Carolo c. 9. Ivo p. 6. c. 402.* In Notis: Ministris] *In originali & apud Ivonem est* magistris. *Sed ob glossam non est emendatum.*

DE NICOLAI PRIMI epistulis & responsis.

Dialogus duodecimus.

A. In Conciliis Coloniæ editis duæ tantum Nicolai epistulæ sunt; quarum prior est ad omnes catholicos, cujus initium *Quæ apud Constantinopolitanam urbem*, posterior ad Michaëlem Imperatorem, cujus initium *Proposueramus quidem.* Sequitur has

collectio fragmentorum Nicolai rescriptorum ex Gratiano in XX. titulos divisa. In epistulis Nicolai in urbe Roma editis XVI. epistulas inveni & alia quædam fragmenta. Repetitæ sunt illæ duæ & aliæ XIV. ad causſam Ignatij & Photij pertinentes. Omnes, sex exceptis, exstant Græcè & Latinè in octava synodo; quamvis Græca sunt breviora, Latina pleniora. In fragmentis editis cum illis XVI. epistulis agitur de abroganda Metensi synodo, de depositione Thietgandi Trevirensis & Guntharij Colonienſis Archiepiscopi ob causſam Lotharij Regis & duarum mulierum Thietbergæ & Vualdradæ, & ob sententiam in Engeltrudem uxorem Busonis non servatam. Item de reliquis Episcopis dictorum Archiepiscoporum complicibus, & de eadem Engeltrude, quæ à viro discesserat. Postremò de sententiis & interdictis apostolicæ sedis. Additur his epistulis & fragmentis ex Reginone & Sigeberto historia, & ex Othone Episcopo Frisingensi. Inseritur pars epistulæ Nicolai ad Carolum Regem de eadem causſa Regis Lotharij & Thietbergæ Reginæ, item pars epistulæ ad omnes Episcopos Germaniæ & Galliæ de excommunicatione Vualdradæ pellicis, & pars epistulæ ad eundem Lotharium Regem de eadem causſa. Nunc quid tu adferas, scire cupio. B. Responsorum Nicolai ad consulta Bulgarorum capita centum & sex. C. Edita sunt nuper cum Clementis constitutionibus Latinis & cum Arabicis Nicænæ synodi capitibus octuagin-

ta. B. Conferri poterit uterque liber. Alio volumine continentur Nicolai epistulæ plus minùs sexaginta, in quibus nonnullæ sunt de caussa eadem Lotharij Regis. Primæ autem ad caussam Rothadi Episcopi Suessionensis malè ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo depositi pertinent. C. Hac quoque de re nuper editæ sunt sexdecim Nicolai epistulæ in appendice bibliothecæ sanctorum patrum. A. Ex his omnibus videndum nobis est quam opem Gratiano adferamus. Et percurramus, si placet, titulos xx. ex Gratiano cum Conciliis, ut dictum est, editos. Titulo 1. duo capita sunt, de quibus aliquando egimus *a*. Cap. 1. distin. x. *b* quod est in appendice epistula quarta. B. In veteri libro epistula secunda. Desiderantur enim epistula prima ad Hincmarum & pars epistulæ secundæ ad eundem & epistula tertia ad Carolum Regem. A. Distinctionis x 1 1. caput v. *c* inveniri C. dicebat in epist. L 1 1 x. Nicolai ad Hincmarum Archiepiscopum & alios, cujus initium, *Omnium nos portare.* B. Is numerus convenit cum hoc veteri libro. In appendice ea epistula non est. (1) A. Titulo 11. tria capita sunt. Primum est distin. 1 1 x. cap. 111. quod ex epistula ad eundem Hincmarum esse dicitur. B. Id inveni epist. xxx11. cujus initium, *Epistulam beatitudinis tuæ*, quæ longior est, prope finem. Ex ea pro *impiis* scribendum *improbis*. & vox *compresse* in *compressæ* mutanda est. & pro *abicienda & vitanda est* tantùm legi *vitanda est*. A. Quid Ivo *d* & liber Cæsarauguſtanus

a *Lib.* 1. *dialog* 19. & 20.

b *c.* 1. *dist.* 10.

c *Dist.* 12. *c.* 5. Ridiculum.

Dist. 8. *c.* 3. Mala.

d *Ivo lib.* 2. *tit.* 12. *c.* 28. *panor. & par.* 4. *cap.* 203. *decr.*

saraugustanus *e* habent? B. Ivo in Panormia voce *abicienda* caret. vocem *impiis* retinet, & *compresse*. Idem in excerptionibus vocem *compressæ* habet. cetera ut in Panormia. C. In Cæsarauguſtano vox *abicienda* non est, neque illa, *ab impiis*. vox *compresse* est. Sed in eo libro diphthongorum ratio non habetur. Cur in margine addunt Democharis & Contius: *Augustin. lib.* III. *cap.* VI. *contra Donatistas*. B. Erratum est in Contianis libris. Nam Democharis rectè prope caput IV. *Veritate* addi jusserat. (2) A. Secundum caput est de quo G. dixerat *f* caput tertium distin. XII. *g* cujus pars incerta est, pars sumitur ex epistula Nicolai ad Photium edita Romæ, quæ etiam lecta est in synodo octava. (3) Caput tertium est distinctionis XXI. caput sextum *h* ex epistula Nicolai ad Michaëlem Imperatorem, cujus initium *Proposueramus*, quam exstare diximus in Conciliis & in editione Romana. Hoc etiam caput referunt Ivo *i* & Anselmus *k* & liber Cæsarauguſtanus *l*. Tituli tertij capita XVI. sunt. Primum est ejusdem XXI. distinct. caput IV. *m* quod non rectè Gratianus adscribit Nicolao ad Constantinopolitanum Episcopum. Est enim ex eadem epistula ad Michaëlem Imperatorem, ut etiam Democharis notat; & aliqua verba sunt Ennodij à Nicolao relati, quem vocat Ticinensem Episcopum. B. Is est Ennodius qui laudatur in synodo Romana contra Symmachum Papam. A. Idem est, ut ex hac epistula Nicolai & ex dictato Gregorij VII. elici po-

e *Cæs. libr.* 1. c. 14.

f *Libro* 1. *dial.* 20.

g *Dist.* 12. *c.* 3. Scit sancta.

h *Dist.* 21. *c.* 6. Denique.

i *Ivo par.* 5. *c.* 17. *& par.* 6. *c.* 355. *decr.*

k *Anſ. lib.* 7. *c.* 144.

l *Cæs. lib.* 8. *c.* 26.

m *Dist.* 21. *c.* 4. Inferior.

teſt. Alterum caput *n* ex eadem epiſtula eſt, ut rectè Democharis notat, licet tantùm adſcripſerit Gratianus vocem *Idem* cap. v. ejuſdem diſtinctionis. Tertium quoque caput *o* ex eadem eſt, & Gratianus poſt Ivonem *p* & Anſelmum *q* Nicolao ad Michaëlem Imperatorem adſcribit. Quartum etiam & quintum ex eadem eſt, & à Gratiano *r* in eadem diſtinctione conſcriptum. C. Poterat, ſi ex fonte hauſiſſet, uno capite omnia verba referre. Sic ordinem quoque epiſtulæ ſervaſſet. quod minimè fecit. A. In extremo quarto capite, quod Gratiano eſt octavum, *Præſtolandum* eſt in Conciliis. quod malo quàm *Poſtulandum*. Quintum refert, præter Ivonem *ſ* & Anſelmum *t*, Hadrianus minor in epiſtula ad Ignatium CP. lecta in octava ſynodo actione tertia. (4) Caput ſextum ſumitur ex cauſſa 11. quæſt. 11. capite etiam 11. *u* quod Gratianus Nicolao Papæ adſcribit. addit Joannes Cochlæus Carolo Regi Francorum. Alibi *x* idem Gratianus Carolo Imperatori ſcripſerat in ſimili re, atque adeo in eadem. Sed malo credere utrumque falſum eſſe, & utriuſque capitis verba eſſe Iſidori Mercatoris in præfatione Conciliorum. (5) Septimum caput *y* ex illa ad Michaëlem Imperatorem epiſtula eſt, ut Gratianus refert. (6) Octavum & nonum *z* incerta ſunt, licèt Gratianus inſcripſerit: *Nicolaus Papa Gallioni Archiepiſcopo Senenſi.* Decimum caput *a* incertum etiam eſt, malè *Nicolao ad Iſmarum Remorum Archiepiſcopum* inſcrip-

n *Diſt.* 21. *c.* 5. Nolite.

o *Diſt. e. c.* 7. Nunc autem.

p *Ivo lib.* 4. *tit.* 1. *c.* 6. *Panor. & par.* 5. *c.* 8. *decr.*

q *Anſel. lib.* 2. *cap.* 67.

r *Diſt. ea c.* 8. Submittitur. *& c.* 9. In tantum.

ſ *Ivo lib.* 4. *tit.* 1. *c.* 6. *Panor. & par.* 5. *c.* 8. *decr.*

t *Anſ. lib.* 2. *c.* 67.

u 2. *q.* 2. *c.* 2. Omnes.

x 33. *q.* 2. *c.* 3. Hiſtoria.

y 3. *q.* 5. *c. ult.*

z 3. *q.* 9. *c.* 12. Revera. *& c.* 14. Indicas.

a *e. q. c. ult.*

tum à Gratiano. Semper autem est Hincmarus in veteribus libris scriptus. (7) Verior est inscriptio capitis XI. apud Gratianum *b* & Ivonem *c* & Anselmum *d*, cùm sit ex illa epistula Nicolai ad Michaëlem Imperatorem; ex qua etiam est caput duodecimum *e*. (8) Quod sequitur caput XIII. Gratianus *f* Nicolao Papæ adscribit; addítque Cochlæus, *Carolo Regi Francorum*. Vide an sit in veteri libro. B. Est epistula XX. ad Carolum Regem incipiens *Nunquam*, vel *Nil æquè*; ex qua alia capita sunt apud Gratianum. In verbis nulla est varietas. (9) A. Caput XIV. sumitur ex illa magna epistula ad Michaëlem. quod etiam Ivo *g* & Gratianus *h* notant. Sed Nicolaus refert Cælestini Papæ epistulam ad Episcopos Orientis cap. XII. Græcè, cap. VII. Latinè in Concilio Ephesino relatam. (10) Caput XV. *i* diximus Isidori esse Mercatoris verba in præfatione Conciliorum, & non esse Nicolai ad Carolum Regem. Caput XVI. ex Reginone didicimus sumi ex epistula Nicolai ad Carolum. Et quia est hoc caput proximum superiori apud Gratianum *k*, verisimile videtur inscriptionem hujus capitis in illud recidisse. B. Ita est ut suspicaris. Namque hæc est illa ad Carolum epistula XX. ex qua dixi alia quoque esse capita apud Gratianum. Id etiam Burchardus *l* & Ivo *m* notant. A. De varietate videamus. B. Pro illis, *judicium agitandum sit, nulla ratio patitur*, illic est, *judicium sit agendum nulla ratione patet*. Pro *Thebergam* est *Theupergam*. Pro

b 4. *q.* 1. *c.* 2. Quòd autem.
c *Ivo lib.* 4. *tit.* 7. *c.* 20. *Panor.* & *part.* 14. *c.* 70. *decr.*
d *Ans. lib.* 1. *c.* 72.
e 4. *q.* 4. *c. ult.*
f 6. *q.* 4. *c.* 6. Quod bene.
g *Ivo Lib.* 5. *tit.* 5. *c.* 11. *Panor.* & *part.* 14. *c.* 58. *decr.*
h 24. *q.* 1. *c.* 35. Ait.
i 33. *q.* 2. *c.* 3. Historia.
k *e. q. c.* 4. Sive.
l *Burc. lib.* 9. *c.* 52.
m *Ivo par.* 8. *c.* 116. *decret.*

illis, *posse inire certamen*, illic plura sunt, *posse legalem inire conflictum vel legitimum controversiæ subire certamen*. Pro illis, *Itaque etiam locus*, illic est, *Inter quos etiam locus*. Pro *nulla vis multitudinis formidetur*, est, *nulla sit vis multitudinis formidanda*. A. Quid ex his Burchardus recipit? C. *Judicium sit agitandum*, *nulla ratio patet*, *Thietbirgam*, & *posse inire conflictum vel legitimum controversiæ inire certamen*, & *Inter quos etiam locus*, & *nulla sit vis multitudinis formidanda*. A. Ivo videatur & Reginon. B. *Patitur*, *Thietbergam*, habet Ivo. cetera ut Burchardus, *agitandum* pro *agendum* Reginon libro II. Chronicorum. *Thietbergam* pro *Theupergam*, & *nulla vis* pro *nulla sit vis*. cetera ut in epistula XX. (11) A. De aliis titulis postea agendum erit. Nunc valetudini consulamus.

ADDITIONES.

(1) DE inscriptione capitis 1. distin. 10. scriptum est lib. 1. dial. 19. addit. 10. & de capite 5. *Ridiculum*. dist. 12. lib. eod. dial. 20. addit 8.

(2) Caput tertium *Mala*. dist. 8. in eodem libro Romano ita inscribitur: *Item Nicolaus Papa Hincmaro Remensi Archiepiscopo*. In margine est: *Ivo p. 4. c. 203. Pan. l. 2. c. 28.* Et in Notis: *Caput hoc est ex epistola Nicolai quæ incipit* Epistolam beatitudinis tuæ; *extátque unà cum aliis ejusdem & aliorum Pontificum epistolis manuscriptis Romæ in bibliotheca monasterij Dominicanorum, ex qua hoc caput emendatum est.* Voces *vitanda* & *improbis* & *compressa* editæ sunt.

(3) Libro 1. dial. 20. addit. 7. scriptum est de inscriptione capitis 3. *Scit sancta.* dist. 12.

(4) Inscriptio capitis sexti *Denique.* distinct. 21. in eodem libro hæc est: *Idem Nicolaus Papa eadem epistola.* Est autem capite quarto *Inferior.* scriptum: *Vnde Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem in epistola cujus initium est Proposueramus.*] In margine est: *Ans. l. 7. c. 144. Ivo par. 5. c. 17. & par. 6. c. 355.* Capitis quinti *Nolite nos.* inscriptio est: *Idem eadem epistola.* Et capitis septimi *Nunc autem*: *Idem ead. epistola.* In margine hæc sunt: *Poly. l. 1. tit. 20. Ans. l. 2. c. 67. al. 65. Ivo par. 5. c. 8. Pann. l. 4. c. 6.* Capitis octavi *Submittitur.* inscriptio hæc est: *Idem Nicolaus eadem epistola.* In margine est: *Poly. l. 1. tit. 20. Ans. l. 2. c. 65. Ivo par. 5. c. 8. Pan. l. 4. c. 6. & 7.* Et in extremo capite additur in margine: *In Concilio Chalcedonen. actione 5.* Et in Notis: In contumacia] *Hinc usque ad verb.* ponens *addita sunt ex originali.*

(5) Ante caput secundum *Omnes.* 2. q. 2. in eodem libro ita scriptum est: *Item Nicolaus Papa.* Et in margine est: *33. q. 2. Historia. p. Hæc omnes. In præfatione Isido. in collectionem suam.* Inscriptio capitis 3. *Historia.* 33. q. 2. hæc est: *Item Nicolaus Papa Carolo Regi.* In margine est: *In præfatione Isidori in volumen Conciliorum.* In Notis: *Hujus mulieris meminit Iustinus in primo Apologetico pro Christianis & Eusebius ecclesiastica historia lib. 4. c. 16. Verba quidem hujus capitis in epistolis Nicolai impressis aut manuscriptis non sunt inventa; sed habentur ferè eadem in præfatione Isidori in suam canonum collectionem. Præstat tamen Iustinum & Eusebium adire. Fortasse autem in hoc caput translatus est titulus ex sequenti.*

(6) Extremi capitis, cujus initium est *Quòd suspecti.* 3. q. 5. in eodem libro inscriptio est: *Vnde Nicolaus Papa scribit Michaëli Imperatori in epistola quæ incipit Proposueramus.* In margine est: *Ivo p. 5. c. 55.* In Notis multa sunt animadversione digna. Vid. dial. 2. lib. 1. add. 9.

(7) Caput 12. *Revera.* 3. q. 9. in eodem libro ita inscribitur: *Item Nicolaus Papa Gallioni Archiepis-*

copo Senensi. In margine est: *Al. Senonensi. Sententia habetur in epistola Nicolai ad Episcopos qui in Convicinum convenerant, nuper impressa.* Inscriptio capitis 14. est: *Item Nicolaus Papa Gallioni Senensi Archiepiscopo. Indicas Hermannum. &c.* In margine est: *Al. Senonensi, & Al. Herimannum.* Capitis extremi inscriptio est hæc: *Item Nicolaus Papa Hincmaro Rhemorum Archiepiscopo. Necesse est &c.*

(8) Hæc inscriptio est, in eodem libro, capitis 2. *Quòd autem.* 4. q. 1. *Item Nicolaus Papa in epistola ad Michaëlem Imperatorem, cujus initium est Proposueramus.* In margine est: *Ans. l. 1. c. 71. Ivo p. 14. c. 70.* In Notis multa sunt optimè addita. Inscriptio capitis extremi *Contra ritum.* 4. q. 4. eadem est: *Vnde Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem epistola cujus initium est Proposueramus.* In Notis est: *Caput hoc emendatum est ex ipso originali Romæ impresso.*

(9) Gratiani verba sunt in eodem libro ante caput 6. *Quòd bene.* 6. q. 4. *Vnde Nicolaus Papa ait in epistola ad Carolum Regem, cujus initium, Nunquam dolorem generat.* In margine est: *Burch. l. 9. c. 45.*

(10) In eodem libro Romano inscriptio capitis 35. *Ait Cælestinus.* 24. q. 1. hæc est: *Item Nicolaus Papa scribit Michaëli Augusto epist.* 7. In margine est: *Ivo par. 14. c. 58. Pann. l. 5. c. 134.* In Notis: *Nicolaus hic citat epistolam Cælestini Papæ scriptam Ioanni, Iuvenali, &c. Episcopis per orientem, prout est in Concilio Ephesino Vaticanæ bibliothecæ & Lutetiæ impresso.*

(11) De inscriptione capitis 3. *Historia.* 33. q. 2. scriptum est in additione quinta. Inscriptio capitis 54. *Sive de conjugij.* eadem quæstione hæc est: *Item Nicolaus Papa in epistola Carolo Regi.* In margine hæc sunt: *Polyc. l. 6. tit. 4. Burch. l. 9. c. 32. Ivo p. 8. c. 116. Regino l. 2. Chronographiæ.* In Notis est: *Epistola ex qua acceptum est hoc caput habetur Romæ in codice monasterij Dominicanorum, & ex ea aliqua sunt addita & emendata.*

DE EADEM RE.

Dialogus decimustertius.

C. De duobus mihi satisfieri velim, quis ille Carolus est ad quem Nicolaus scripsit, (Carolum enim Magnum esse tempora non patiuntur) & qui sunt hi tituli viginti quorum tres peracti sunt, qua de re singuli conscripti, & à quo sunt collecti. A. De Carolo rectè ais Carolum Magnum non esse. Mortuus est enim sub Leone tertio Pontifice. Quadragesimo quarto anno post mortem Caroli Nicolaus eligitur anno Christi octingentesimo quinquagesimo octavo. Carolo Ludovicus Pius filius successor fuit. Huic tres filij fuerunt, Lotharius Imperator & Ludovicus & Carolus. Ludovicus Germanorum, Carolus, qui cognomento Calvus dicitur, Francorum Rex post patris mortem dicebantur. Lotharius Imperator filios quoque tres reliquit, Ludovicum minorem Imperatorem, & Lotharium, & tertium Carolum. Hi quoque duo, alter Lotharingiæ, alter Provinciæ præfuit, & Regum nomen acceperunt. Calvus, post Ludovici minoris mortem, Imperator appellatus est anno Christi octingentesimo septuagesimo sexto. Hujus fratri Ludovico, quem Germanis imperasse diximus, filij fuerunt Carlomannus & Carolus. Sed quæ de Nicolai verbis accepimus, ad Caro-

lum Regem cognomento Calvum pertinere putamus, qui tunc Francorum Rex dicebatur. C. Lotharius autem quis est ex suprà dictis, an Lotharius Lotharij Imperatoris filius? A. Is ipse est de cujus scelere agitur, qui Reginam Thietbergam à se depulerit, fictis apud synodum criminibus, ut Vualdradam concubinam loco uxoris teneret. De titulis non est quòd magnopere labores. In Conciliis enim à Joanne Cochlæo collecti extant. Primo titulo de constitutionibus Ecclesiæ agitur, altero de consuetudine, tertio de judiciis. Sequitur quartus de Romana Ecclesia & sede apostolica, in quo sunt capita undecim. Primum caput à Gratiano distinctione XXII. ita inscribitur: *Vnde Nicolaus Papa scribit Mediolanensibus.* Anselmus tamen refert hoc pacto: *Ex epistola Nicolai Papæ junioris Mediolanensibus missa.* B. Selecti viri notarunt Petri Damiani verba esse, qui Legatus fuit Nicolai secundi, & orationem ad Mediolanenses inscriptam reliquit. C. Quid respondebimus Demochari & Contio ita in margine adscribentibus: *Ex epistola ad Michaëlem potest ostendi, quæ sola exstat.* B. Nec solam exstare, nec in ea hæc esse quærenda. (1) A. Vereor ne etiam alterum caput ad eundem Nicolaum minorem pertineat, ut rectè Demochares arbitratur, quamvis Nicolai tantùm nomen adscripserit Gratianus. *Nicolai in Concilio* XIII. *Episcoporum* Anselmus mendosè. Melius est in libro Cæsaraugustano a: *Nicolaus junior in Concilio* CXIII. *Episcopo-*

Dist. 22. c. 1.

Anselm. lib. 1. c. 63.

Dist. 79. c. 1.

Ans. lib. 6. c. 12. in addit. a Cæs. lib. 3. c. 9.

rum. Id Concilium bis editum est cum aliis Coloniæ. In priori editione Nicolao primo adscribitur, in posteriori Nicolao secundo. C. Utra verior est? A. Vetus est, posteriores cogitationes esse meliores. Sed res erat aperta, cùm in eo Concilio de Berengarij Andegavensis palinodia agatur, quæ apud Ivonem *b* & Gratianum *c* exstat & apud Lanfrancum in libro de sacramento eucharistiæ & in registro Gregorij septimi, coram quo iterum eandem hæresim damnavit, & in libro Tarraconensi *d*. Non potuit autem idem coram Nicolao primo & coram Gregorio VII. palinodiam canere cùm ducentorum annorum intervallum sit. Hoc autem caput, de quo agimus, in eo Concilio plenius scribitur, & à Gratiano iterum refertur in eadem distinctione LXXIX. cap. IX. *e* & ab Ivone *f* & Anselmo *g*, & est in libro Cæsaraugustano *h* superiori conjunctum cum hac inscriptione: *Idem in eodem.* Democharis eidem capiti adscripsit in margine: *Nicolaus Papa II.* C. Ab Ivone accipere potuit, qui ita inscripsit: *Nicolaus junior synodo præsidens in Constantinopolitana Ecclesia cap.* II. Sed fuitne Nicolaus unquam Constantinopoli in synodo? A. Nunquam, quod sciam. Sed Romæ id Concilium habitum est in basilica Constantiniana. C. Erratum igitur est in simili nomine? A. Ita existimo. Non malè Cochlæus cap. I. & IX. conjunxit cum hac inscriptione: *Nicolaus in Concilio præsidens.* Malè autem Nicolao primo utrumque caput

b *Ivo lib. 1. tit. 4. c. 4. Panor. & par. 2. c. 10. dec.*
c *De consecr. d. 2. c. 42.* Ego B.
d *Tarrac. lib. 5. c. 58.*
e *Dist. 79. c. 9.* Si quis.
f *Ivo par. 5. c. 80. dec.*
g *Ans. lib. 6. c. 13.*
h *Cæs. lib. 3. c. 10.*

adscripsit. Quid selecti viri statuunt? B. Caput nonum Nicolao secundo in Concilio Romano adscribunt. Caput verò primum inscribunt: *Nicolaus in Concilio Romano cap. 1.* (2) A. Nos ad caput tertium tituli quarti veniamus. Id Gratianus Nicolai tantùm nomine inscripsit. addit Cochlæus: *Ludovico Imperatori.* Tu quid habes ex tuis epistulis? B. Nihil omnino. (3) Caput quartum bis Gratianus *i* posuit. Est in epistola magna ad Michaëlem Imperatorem, ut idem & Anselmus *k* notant. (4) Caput quintum ejus argumenti est, de quo alio die dictum est epistulas XV I. inveniri in bibliothecæ appendice, & easdem esse in veteri libro cum aliis permultis. Apud Gratianum *l* in inscriptione Hincmari Remensis Archiepiscopi nomen desideratur, & pro Rothado Rotardus Episcopus scribitur. Apud Anselmum rectè ille Hincmarus dicitur, hic non rectè Rothardus. B. Hæc est in appendice epist. XIII. in veteri libro epist. X. cujus initium, *Si coram.* In utraque *Hincmarus* est, *Rothaldus* in appendice, *Rothadus* in veteri libro. A. De aliis varietatibus videamus. B. Pro illis, *accepto fomite judicij materiam*, in appendice est, *accepta fomitem judicij & materiam*, in veteri, *accepta fomite judicij & materiam.* A. Placet mihi appendicis scriptura. B. Pro verbo *removit* in illis est *revocavit.* Pro *& infrà. Privilegia tamen & c.* in appendice est, *cùm etiam si nullus à vestro judicio provocasset, privilegia tamen &c.* In veteri est: *Quem etiam si*

Dist. 97. c. ult.

i 1. q. 1. c. 123. & 9. q. 3. c. 21. Per principalem.

k *Ans. libr. 1. c. 72.*

l 2. q 6. c. 13. Arguta.

ullis pateret indiciis, à vestro illum ad nostrum judicium provocasset, privilegia tamen &c. A. Mutandum est in veteri *cùm* pro *quem*, & *ille* pro *illum*. B. Pro, quod iterum dicitur, *& infrà*, in utroque libro multa scribuntur quæ referre non est necesse. Pro *Hoc quippe* illic est *Hæc quippe*; & pro *noveritis*, *noveris*. Post verbum *videbantur*, hæc omissa sunt, *& à nobis tot impensis laboribus vestra resistente contumacia recuperari non poterant*. Pro *canonica* in libro Michaëlis Thomasij est *cana*. quod alij duo libri non agnoscunt. Pro *ingenio* est *genio* in veteri libro. Desideratur in appendice; in qua est *decoraretur* pro *decorentur*. A. Quid ex his probat Anselmus? C. Quæ sunt ante illas voces duas & infra posteriores, ab Anselmo videtur Gratianus accepisse. Ante illa verba *Hæc quippe*, quæ etiam is habet, nonnulla sunt à Gratiano prætermissa. *Noveris* autem adgnoscit, non verò quæ post verbum *videbantur* addunt alij. vocem *canonica*, & *ingenio*, & *decorarentur* retinet. (5) A. De capite sexto videamus. Et mendosè in Conciliis est v i. *quæst.* i i i. pro ix. *quæst.* iii. Rectè autem & à Cochlæo & à Democharе dicitur esse ex epistula Nicolai ad Michaëlem sæpe repetita. Idem referunt Ivo & Anselmus *m*; qui non Innocentium sed Bonifacium scribunt, ut est in Conciliis. Locus tamen quærendus apud Bonifacium, cui etiam adscribi partem horum verborum video relatam ab Hadriano minore in Concilio Romano, cujus mentio fit in octava sy-

9. q. 2. c. 10. Patet.

Ivo lib. 4. *tit.* 1. *c.* 10. *panorm. & par.* 5. *c.* 19. *decr.*

m *Anſ. lib.* 1. *c.* 72.

15. q. 6. c. 2. Auctoritatem.

nodo CP. actione VII. (6) Caput septimum ex epistula ad Episcopos Galliæ esse dicitur, apud Petrum Ciaconium in incertis collocatur. B. Nusquam exstare adscripserunt Romani, qui notant ex ea probari auctoritatem epistulæ primæ Alexandri primi. A. Debuissent priùs, cujus esset hoc caput, probare, nam ex incertis incerta probatio elicitur. Nicolaum relatas epistulas ab Isidoro Mercatore non improbare dubium non est. (7) Caput octavum ex epistula omnibus Episcopis missa Gratianus *n* & Cochlæus ex epistula ad Michaëlem Imperatorem Democharem, Ivo *o* & Anselmus *p* ut Gratianus. Quid selecti viri censent? B. Sententiam potiùs quàm verba esse in illa epistula ad Michaëlem. A. Mihi incertum adhuc hoc erit caput. (8) Caput nonum non rectè in Conciliis editum fuit apud Gratianum inveniri XXXV. quæst. II. cùm XXV. causa *q* inveniatur. De inscriptione varietas est inter collectores. Anselmus *r* & Gratianus: *Nicolaus universali synodo præsidens.* Liber Cæsaraugustanus *s* habet: *Nicolaus & Leo IV. in Concilio Episcoporum* LXXXII. *cap.* IV. Deus-dedit *t* & Ivo *u*: *Leo IV. in Conciliorum* LXXII. *cap.* V. Est in fragmentis editis Romæ post XVI. epistulas Nicolai, ex aliquo fortasse Concilio, caput quintum. B. Selecti viri inscribunt: *Nicolaus civibus Constantinopolitanis.* quæ est inscriptio extremæ epistulæ editionis illius Romanæ. A. Non placet ea inscriptio. Nam quinque illa capita aliena sunt, ex synodo,

n 17. q. 4. c. 30. Nemini.

o *Ivo lib.* 4. *tit.* 1. *c.* 9 *panor.*

p *Anſ. lib.* 1. *c.* 9.

q 25. q. 2. c. 18. Si quis.

r *Anſ. lib.* 4. *c.* 26. *& lib.* 12. *c.* 3.

s *Cæſ. lib.* 2. *c.* 39.

t *Deus-de. c.* 4.

u *Ivo par.* 5. *c.* 35. *dec.*

ut suspicor, contra Metensem synodum, & illos duos antistites Treverensem & Colonienſem, qui divortium Lotharij constituerunt. Hujus synodi Romanæ Nicolai mentio fit apud Reginonem in Chronicis anno Christi DCCCLXV. Pro illis verbis, *pro catholica fide vel ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentium vel futurorum malorum*, illic est, *pro catholicæ fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione scelerato-rum, vel interdictione imminentium seu futurorum malorum.* (9) Capitis decimi fons est magna illa epistula ad Michaëlem, ut Cochlæus & Democharis notant; licèt Gratianus x Nicolai tantùm nomen adscripserit. Sed Ivo y & Anselmus z rectiùs Michaëlis etiam nomen retinent. (10) Extremum caput, quod nobis quoque hodie extremum erit, Gratianus *a* Nicolai clero & plebi Viennensis Ecclesiæ esse scribit. Sed Anselmus *b* ita inscripsit: *Nicolaus Episcopus clero & plebi Nonensis Ecclesiæ.* In libro Veronensi est: *Electo & clero Ecclesiæ Nonensis.* Quid tu ex Romanis libris habes? B. Libri cujusdam tui mentionem vidi in Thomasiano libro. Eum esse existimo quem tu Veronensem appellasti. Eadem enim scriptura est in utroque libro. A. Incertum igitur hoc relinquamus hodie caput. (11) De ceteris alio die agemus.

x 35. q. 9. c. 6. Sententiam.
y *Ivo par.* 5. *c.* 19. *dec.*
z *Ans. lib.* 1. *c.* 72.
a *De consec. d.* 1. *c.* 7. Ecclesia.
b *Ansel. lib* 5. *c.* 42. *in addit.*

ADDITIONES.

(1) ANTE caput primum distinctionis 22. hæc in eodem Romano libro verba sunt: *Vnde Nicolaus Papa II. scribit Mediolanensibus per Petrum Damianum Legatum suum.* In margine, post vocem *Papa* est *junior. Ans.* Et: *Ans. l. 1. c. 63. al. 64.*

(2) Gratianus in eodem libro ante caput 1. distinctionis 79. his verbis utitur: *Vnde Nicolaus Papa II. ait in epistola qua synodum à se Romæ habitam refert cap. 1. Si quis apostolicæ &c.* In margine est: *Poly. l. 1. tit. 4. Ans. l. 6. c. 15. infrà ead. c. Si quis pecunia.* Et in Notis: Si quis] *Verba Nicolai in epistola quæ in voluminibus Conciliorum impressis post decreta Nicolai primi habetur, hæc sunt:* Primo nam. &c. *Idem ferè habetur ad finem illius synodi, & refertur infrà c.* Si quis pecunia.] Ante caput 9. *Si quis pecunia.* hæc verba sunt: *Vnde Nicolaus Papa II. in Concilio Romano statuit dicens.* In margine additur: *in fine.* Et: *Suprà ferè idem dist. ead. c.* Si quis apostolicæ. *Ans. l. 6. c. 16. Poly. l. 1. tit. 4. Ivo par. 4. c. 8.*

(3) Capitis extremi distin. 97. in eodem libro inscriptio est: *Vnde Nicolaus Papa. Nobilissimus vir &c.*

(4) Hæc etiam est in eodem libro inscriptio capitis 123. *Per principalem. 1. q. 1. Vnde Nicolaus Papa Michaëli Imperatori in epistola quæ incipit Proposueramus.* In margine est: *Infrà 9. q. 3. c.* Per principalem. *Ans. l. 1. c. 75. & l. 2. c. 14.* Dicti capitis 21. *Per principalem. 9. q. 1.* inscriptione est eadem: *Item Nicolaus Papa Michaëli Imperatori in epistola cujus initium Proposueramus.* In margine est: *Suprà 1. q. 1. Ans. l. 1. c. 72. & l. 2. c. 14.*

(5) Ante caput 13. *Arguta. 2. q. 6.* hæc in eodem libro verba sunt: *Item cùm Nicolaus Papa in Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum invehatur, qui Rhotandum Episcopum appellantem apostolicam sedem damnare ausus est, ita dicens.* In margine hæc sunt: *Al. Rothaldum. In appendice bibliothecæ sanctor. pa-*

trum. *Anſ. l. 2. c. 67.* Ad vocem *removit* eſt in margine: *Al. revocavit. orig.* Ad verſ. *Hæc quippe. Anſ. l. 2. c. 85.* In Notis: Cana] *Cùm antea legeretur* canonica. *Emendatum ſic eſt epiſtola ipſa, quæ habetur manuſcripta, & nuper eſt impreſſa in appendice bibliothecæ: & in libro Ennodij pro Symmacho legitur,* cana miracula, & canum genium, *juxta illud Virgilij:* Cana fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus, Jura dabant.

(6) Inſcriptio capitis decimi *Patet profectò. 9. qu. 3.* in libro Romano hæc eſt: *Vnde Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem in epiſtola cujus initium Propoſueramus.* In margine eſt: *Anſelm. lib. 4. c. 75. Ivo p. 5. c. 19. Pann. l. 4. c. 11.* Et verſ. *Nec de ejus.* additur: *infrà ead.* Ipſi ſunt. p. *nec de ejus.*] In Notis eſt: *Caput hoc apud ceteros etiam collectores multis verbis omiſſis in ſummam quandam redactum eſt.* Innocentius] *In epiſtola Nicolai & apud reliquos collectores eſt* Bonifacius. *Verùm neque in Bonifacij neque in Innocentij epiſtolis inventum eſt quod hic affertur. In ea verò epiſtola Nicolaus refert etiam alia quædam ex epiſtola Bonifacij ad Epiſcopos per Theſſaliam.*

(7) Caput ſecundum *Auctoritatem. 15. q. 6.* in eodem libro ita inſcribitur: *Item Nicolaus Papa Epiſcopis Galliæ.* In margine eſt: *Poly. l. 6. tit. 11.* Et in Notis: Alexandri] *Nicolaus citat epiſtolam Alex. I. de qua re notatum eſt ſuprà diſt. 19. Si* Romanorum.

(8) Quod attinet ad caput 30. *Nemini. 17. q. 4.* ejus inſcriptio in eodem libro eſt: *Vnde Nicolaus Papa omnibus Epiſcopis.* In margine eſt: *Anſ. l. 1. c. 21. Pann. l. 4. c. 10.* In Notis hæc leguntur: *Epiſtola ex qua hoc caput eſt ſumptum non extat. Aliquid tamen ſimile habetur in epiſtola prima ad Michaëlem Imperatorem.*

(9) Ante caput 18. *Si quis dogmata. 25. q. 2.* in eodem libro hæc ſunt: *Item Nicolaus Papa univerſali ſynodo præſidens dixit in Concilio Romano c. ultimo.* In Notis additur: *Caput hoc extat in Concilio Romæ habito, in quo Nicolaus Papa primus Thietgaudum & Guntarium Epiſcopos depoſuit. Quod Concilium impreſſum eſt Romæ poſt epiſtolas ipſius.* In mar-

gine est: *Poly. l. 1. tit. 17. Deus-dedit p. 4. Ans. l. 4. c. 26. & l. 12. c. 3. Ivo p. 5. c. 35.* Edita sunt verba synodi.

(10) Hæc etiam est in eodem libro inscriptio capitis *6. Sententiam. 35.* qu. *9. Item Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem in epistola septima.* In margine est: *Ans. l. 1. c. 7. Ivo par. 5. c. 19.* Voluerit] *Sic etiam in originali impresso. Sed Anselmus & Ivo habent* renuerit.] Vid. dial. 19. add. ult.

(11) In eodem libro inscriptio capitis 8. Romanis de consecrat. dist. 1. hæc est: *Item Nicolaus Papa electo & clero Nonensis Ecclesiæ. Ecclesia, id est, catholicorum collectio &c.* In margine est: *Ans. l. 5. c. 41.*

DE EADEM RE.

Dialogus decimusquartus.

C. LÆTOS nos fecit recens ex Urbe tabellarius, qui attulit aliquot Gratiani pagellas ad te G. missas, ut cognoscere posses qualis esset, quæ prope diem finem accipiet, Romana juris pontificij editio. Eas igitur ad te pagellas adferimus, ut quid tibi videatur, scire possimus. A. Pergratum mihi est perque jucundum quod dicis. Ipsas igitur pagellas videamus. C. Cur idem caput vario genere litterarum scriptum est? A. Sic distinguuntur, ut opinor, Gratiani verba à verbis aliorum. Sed & aliis litteris verba selectorum virorum conscripta sunt, aliis scholia Ioannis Teutonici & aliorum interpretum. B. Numeros addunt singulis capitibus; sed an sequantur Contij editionem, ignoro. Illud videntur retinuisse ex aliorum vulgari usu quod

singulis

singulis paginis addunt, *Decreti secunda pars.* A. Conferte has pagellas cum meis libris, & ad me postea varietatem referre poteritis. Hodie de Nicolai titulis agemus. C. Ita fiet. A. Titulo quinto de decretis Romanorum Pontificum agitur. Caput primum ab Ivone *a* & Gratiano *b* & Cochlæo & Democharе Nicolai esse dicitur ad Michaëlem Imperatorem. Ego ad Photium CP. scribendum censeo, ex epistula sexta registri Romæ editi, cujus initium est *Postquam beato Petro*, quæ lecta est in octava synodo CP. actione quarta. (1) Alterum caput apud Ivonem inscribitur: *Nicolaus Archiepiscopis per Gallias*; apud Gratianum verò, *Archiepiscopis & Episcopis per Galliam constitutis.* Id confirmatur ex epistula XIV. in appendice bibliothecæ, cujus initium *Quamvis singularum*; in qua est *apud Gallias* pro *per Galliam.* Ejus exemplum unus ex selectis viris ante aliquot annos ad me misit, quòd ea confirmari putaret omnium veterum Romanorum Pontificum epistulas quas Isidorus Mercator refert. B. In veteri libro, qui Achillis Statij fuisse dicebatur, eadem extat; cujus exemplum cum aliis attuli. Sed nihil illic inveni de Isidori collectione scriptum. Adfine tamen huic argumentum tractatur: Non esse reiciendas pontificias epistulas, licèt in Corpore canonum non inveniantur. A. Ita est ut dicis. Sed & illud verum est, Nicolaum referre non uno in loco verba earum epistularum. quod à tempore Hadriani Pontificis & Caroli Mag-

a *Ivo par.* 4. *c.* 211. *decret.*
b *Dist.* 11. *c.* 2. *Ivo par.* 5. *c.* 33. *decr.*

Dist. 19. *c.* 33.

ni Imperatoris fieri cœptum est. Prioribus scriptoribus ignotæ fuisse videntur. Sed ad varietatem veniamus ; de qua paucis agemus, quando totam epistulam legere licet. Initio vox *verè* tollenda est, cùm Gratianus ait: *ita ut quod verè sedes apostolica probavit, hodie teneatur acceptum.* In appendice est: *ita ut quod sedes apostolica probat hodie, teneatur acceptum.* Ivo tollit vocem *verè.* cetera ut Gratianus habet. B. Idem est in veteri libro. A. Illa quoque tollenda sunt: *& ideo inter canones non esse assumenda.* quæ neque apud Ivonem sunt, neque in appendice. B. Interpretis fortasse verba fuerunt. In veteri libro nulla sunt. A. Pro *Cùm & ipsi &c. in omnibus illis* scribendum, *cùm ipsi &c. illis.* Ivo tamen *vel pro illis* scribit. B. In veteri est ut in appendice, & *imminutis* pro *diminutis* ut apud Ivonem. A. Pro illis, *qui ante ipsum fuit, vel post ipsum est, ad aliquod institutum vel rescriptum recipiendum est*, scribendum ex appendice : *qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum.* Ivo *aliquod* pro *ad aliquod*, & *scriptum* pro *rescriptum.* cetera ut Gratianus habet. B. In veteri est ut in appendice. A. Quod post alia dicitur caput esse decimum Leonis in Corpore canonum, quintum pro decimo scribendum est, tum ex ipso libro, tum ex Ivone & appendice. In Conciliis est caput extremum epistulæ primæ. B. In veteri libro est: *Ait enim capitulo quinto suorum Decretalium.* A. Mox in Leonis verbis pro *bona*

recordationis scribendum *beatæ record.* & pro illis, *ita nostra declaratione custodiri mandamus*, scriptum in Conciliis est: *ita vestram dilectionem custodire debere mandamus.* Idem etiam est in libro Cæsarauguſtano. In appendice est: *ita vestræ dilectioni custodiri mandamus.* In Corpore canonum: *ita à vestra dilectione custodire debere mandamus.* Vox *debere* apud Ivonem desideratur. cetera sunt. B. In Achillis libro duplex scriptura cognoscitur. Altera est Ivonis, altera Conciliorum, omisso eodem verbo *custodire.* A. Ego Conciliorum scripturam magis probo, mox illam quæ in corpore canonum est. In extremo capite pro illis, *per singula corporum volumina*, scribendum, *per singula voluminum corpora*, ut in omnibus illis libris est, appendice, Ivone, & Cæsarauguſtano. B. Sic etiam est in veteri illo libro. (2) Venio ad caput tertium Cochlæi, cujus initium, *Si decreta*, quod esse ait extremum distin. xx. clero Constantinopolitano. Sed neque extremum est, neque clero inscribendum, sed Photio Constantinopolitano, ut apparet ex regiſtro Romæ edito epist. VI. cujus initium, *Postquam beato*, quam lectam esse diximus in synodo VIII. actione quarta. In libro Cæsarauguſtano Michaëli Imperatori, apud Gratianum clero Constantinopolitano, non rectè est inscriptum. (3) Nunc ad titulum sextum de Imperatoribus veniamus; sub quo sunt capita sex ex epistula ad Michaëlem Imperatorem. Caput primum mendosè dicitur esse apud Gra-

Cæs. lib. 1. c. 32.

Cæs. lib. 2. c. 18.

Distin. 20. c. 2.

Cæsar. lib. 2. c. 48.

Dist. 10. c. 5. Imperium.

tianum distinctione decima caput primum, cùm sit caput quintum, cujus initium *Imperium.* Quattuor capita habet Gratianus distinctione XCVI. *c* de quibus hoc tantùm dicam, ex Gelasij Pontificis verbis in tomo de anathematis vinculo (sic enim in Conciliis inscribitur) sumpsisse Nicolaum illa verba, *Cùm ad verum ventum est &c.* & Cypriano adscribere Gratianum distin. x. *d* post Ivonem *e* Verborum varietas non est contemnenda. Non enim rectè distinctione XCVI, scripta sunt, cùm ante illa, *actibus propriis*, desideretur vox *sic*; & pro illis, *& ut Christiani*; scribi debeat, *ut & Christiani.* quæ rectè Ivo & Anselmus *f* scripserunt. Quod etiam alio capite, cujus initium *Satis evidenter*, ex Theodosio minore ad synodum Ephesinam refertur, id esse opinor actione prima capite XXXI. in eadem synodo relatum. Apud Gratianum pro *synodum nostram* scribendum est *synodum vestram*, ut in Conciliis est & apud Anselmum. (4) Caput sextum, cujus initium *Non quales*, apud Gratianum *g* est causa prima, & apud Ivonem *h* & Anselmum *i* ex eadem epistula ad Michaëlem Imperatorem. (5) Nunc ad titulum septimum de Regibus veniamus: cujus septem capita Cochlæus refert, ex quibus quattuor habent hanc inscriptionem: *Nicolaus Lothario Regi.* De his hodie dicemus. Caput primum refert Gratianus distinctione LXIII. *k* de quo scire cupio quid selecti viri sentiant. Ego tantùm invenio in libro Cæsaraugustano *l* eandem

c *Dist.* 96. *c.* 4. Ubinam. *c.* 5. Denique. *c.* 6. Cum ad verum. *c.* 7. Satis evidenter.

d *Dist.* 10. *c.* 8. Quoniam.

e *Ivo par.* 4. *c.* 188. *in decr.*

f *Ans. lib.* 1. *c.* 72.

g 2. *q.* 1. *c.* 86. Non quales.

h *Ivo par.* 5. *c.* 18. *dec.*

i *Ans. d. c.* 72.

k *Dist.* 63. *c.* 4. Porrò.

l *Cæs. lib.* 3. *c.* 65.

inscriptionem. B. Notant selecti viri exstare epistulam ad Lotharium, item aliam de eadem re ad Episcopos regni Lotharij: sed ego diu quæsitam neutram inveni. (6) A. Quid illam ex qua sumitur caput quartum, cujus initium *Præcipuè Gualdradæ?* B. In veteri libro exstat; & principium ejus epistulæ est, *Audito revertente Misso.* Magna quoque pars ejus exstat in historia Reginonis; cujus pars edita est Romæ post Nicolai epistulas. Pro *Gualdradæ* illic est *Vualdradæ.* C. Antonius Contius notat vocem *Præcipuæ* cum *æ* scribendam in fine, quòd nomen fuerit proprium ejus mulieris. Estne hoc in aliquo ex his libris? B. Nullum vestigium exstat. Sed neque apud Anselmum, qui hujus capitis verba refert. Pro verbo *declina*, quo Gratianus & Anselmus utuntur, est in veteri libro & apud Reginonem *declinans*; & adduntur hæc: *& ejus consortium perpetuæ oblivioni contradens.* Post vocem *sequestrata*, alia quoque verba omissa sunt. sed & post vocem *passione*, hæc addi possunt, *& brevissimi temporis desiderio.* Pro illis, *ad perenne traharis exitium*, est illic, *ad sulphureos fetores & ad perenne traharis exitium.* Pro illis, *ut ait beatus Gregorius*, plura sunt in veteri libro: *Sed ut manifestiùs vera nos dicere scias, beatum Papam Gregorium audi, qui ait.* Sunt autem verba Gregorij parte III. Pastoralis cap. v. (7) A. Nunc de alio capite tibi dicendum est, cujus initium *Ita corporis m*, quod Ivo & Gratianus esse Nicolai ad Lotharium Re-

11. *q.* 3. *c.* 3. Præcipuè.

Ansel. lib. 12. *c.* 36.

m 11. *q.* 3. *c.* 96. Ita corporis.

gem prodiderunt, & ex eadem epistula idem Ivo *n* esse ait aliud caput cujus initium est *Annon districta. o* B. De his duobus capitibus nihil certi accepi. (8) A. De ceteris agemus cùm licebit.

n Ivo par. 8. c. 227. decret. o 24. q 3. c. 19. Annon.

ADDITIONES.

(1) DISTINCTIONIS II. capitis 2. in Gregoriana editione hæc inscriptio est: *Item Nicolaus Papa I. Michaëli Imperatori. Consequens est &c.* In margine hæc sunt: *Sententia elicitur ex epistola cujus initium* Proposueramus. *Ivo p. 4. c. 211.* Fons omittitur. Vid. lib. 1. dial. 20. add. 1.

(2) Gratiani verba sunt ante caput 1. distinctionis 19. in eodem libro: *De his ita scribit Nicolaus Papa Archiepiscopis & Episcopis per Gallias constitutis. Si Romanorum Pontificum &c.* In margine est: *Ivo p. 5. c. 33* Et ad verba illa, *capitulum sancti Papæ Innocentij*, additur: *Innoc. PP. I. ad Exuperium epist. 3. c. ult.* Et ad illa, *unum beati Leonis capitulum*, additur: *Leo PP. I. epi. 1. in fine.* Et ad verba, *cap. decimo*, additur: *al. quinto suor. decr.* Et ad illa, *Papa Gelasius*, hæc adduntur: *Gelasius Papa I. cum 70. Episcopis. Habetur sup. 15. dist. c. Sancta Romana. Item decretales.* In Notis est: Cum ipsi] *Locus sic emendatus ex ipsa epistola Nicolai, quæ Romæ manuscripta habetur, & nuper impressa est in appendice bibliothecæ sanctorum patrum; ut dictum est suprà dist. 10. c.* Leges. (*scribe*, lege) *in qua epistola multa alia habentur ad epistolas decretales etiam antiquissimas pertinentia.*

(3) Capitis secundi *Si decreta.* distinctione 20. in eodem libro inscriptio hæc est: *Item Nicolaus I. Photio in epistola cujus initium est: Postquam beato Petro.* In margine hæc sunt: *Est eadem epist. 6. ex qua sumptum est c.* Quod dicitis. *suprà dist. 16. Ans. l. 3 c. 33.*

(4) Ante caput quintum *Imperium vestrum.* distinctione 10. hæc in eodem libro verba sunt: *Item Nicolaus Papa I. in epistola ad Michaëlem Imperato-*

rem, *cujus initium est : Proposueramus.* Capitis 8. *Quoniam idem.* eadem distinctione inscriptio est: *Item Nicolaus Papa I. in epistula 7. ad Michaëlem Imperatorem.* In Notis additur : *Huic capiti in codicibus impressis erat præpositus hic titulus :* Cyprianus Juliano Imperatori. *quod est contra omnem temporum rationem. In manuscriptis omnibus, excepto undecimo Vaticano, abest dictio* Imperatori, *quemadmodum & apud Ivonem. Nonum autem habet,* Juliano Episcopo. *Aliud pervetustum,* Jubiano. *Ceterùm integrum hoc caput est in epistola Nicolai ad Michaëlem Imperatorem, quæ incipit* Proposueramus; *ex quo refertur infrà dist. 96. c.* Cùm ad verum. *unà cum aliis verbis ejusdem epistolæ ex quibus hæc pendent. Et sumptum est ex Gelasio in tomo de anathematis vinculo.* Propria] *In originali est* propriam volens medicinali humilitate sursum efferri. *Ivo habet ut Gratianus hic in plerisq. codicibus. In nonnullis tamen est,* propriam volens medicinali humilitate sursum efferri ; *quemadmodum etiam infrà dist. 96. c.* Cùm ad verum. *Apud Gelasium loco indicato legitur,* sic actionibus propriis dignitatibúsque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut & Christiani &c.] In margine est : *Ivo p. 4. c. 188. infrà dist. 96. c. Cùm ad verum.* In Casu : *Iulianus Imp. vendicabat sibi imperium & pontificatum. quod locum habuit in veteri testamento. Sed dicit Cyprianus &c.* Distin. 96. capitis 4. *Vbinam legistis.* inscriptio est : *Item Nicolaus Papa in epist. ad Michaëlem Imp. quæ incipit Proposueramus.* In margine est : *Ans. 1. c. 75.* Capitis 5. ejusdem distinctionis, cujus initium est *Denique hi.* inscriptio est : *Idem in eadem epistola.* Et in margine : *Ans. ibid.* Capitis sexti *Cùm ad verum.* inscriptio hæc est. *Idem paulò inferiùs.* In margine est : *suprà dist. 10. c.* Quoniam. *Ans. ibidem.* Et in Notis : Ad verum] *Post ultima verba capitis antecedentis sequitur continenter in eadem Nicolai epistola :* Fuerunt hæc ante adventum Christi &c. Sed cùm ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, ultrà sibi &c. *Nihil autem mutatum est, & ob glossam,*

& quoniam est initium capitis. Nonnulla verò alia huc pertinentia notata sunt suprà dist. 10. *c. Quoniam.* Inscriptio capitis 7. *Satis evidenter.* ejusdem distinctionis est : *Idem in ead. paucis interjectis.* In margine est : *Ans. l.* 1. *c.* 71. Et vers. *Sed & Theodosius : Rufinus in hist. lib.* 1. *c.* 2. In Notis est : Theodosius minor] *Verba hæc sunt accepta ex epistola Theodosij ac Valentiniani Imperatorum synodo Ephesinæ per Candidianum missa, quæ est in extremo primæ actionis ipsius synodi. In versione antiqua, quæ servatur in bibliotheca Vaticana, & quæ Lutetiæ edita est, eadem planè hoc loco habentur verba cum his quæ refert Nicolaus, & optimè conveniunt cum Græcis.*

(5) Inscriptio capitis 86. *Non quales.* 1. q. 1. in eodem libro Romano hæc est : *Item Nicolaus Papa Michaëli Imperatori in epist. quæ incipit Proposueramus.* In margine est : *Ans. l.* 1. *c.* 75. *Ivo par.* 5. *c.* 18.

(6) Hæc etiam est inscriptio in eodem libro capitis quarti *Porrò scias.* distinctione 63. *Item Nicolaus Papa I. Lothario Regi.* In margine est : *Ivo p.* 5. *c.* 357.

(7) Quod ad caput tertium attinet, cujus initium *Præcipuè Gualdradæ.* 11. q. 3. hæc est in eodem libro ejus inscriptio : *Item Nicolaus Papa ad Lotharium Regem in epistola cujus initium Audito.* In margine est : *Ans. l.* 3. *c.* 66. *Regino chron. l.* 2. Et ad verba, *ut ait beatus Gregorius*, additur : *Pastor p.* 3. *c.* 5. Et in Notis : *Sumptum est caput hoc ex epistola Nicolai quæ incipit* Audito revertente Misso vestro, *& extat Romæ in monasterio Dominicanorum. Est autem quasi in epitomen redactum (redacta scribo) multis verbis omissis. Hujus epistolæ bonam partem refert Regino libro secundo Chronicorum.*

(8) Eadem quæstione tertia capitis 96. *Ita corporis.* in eodem libro inscriptio est : *Item Nicolaus Papa Lothario Regi.* In margine hæc sunt : *Ivo p.* 8. *c.* 227. Et vers. *Probat.* additur : *suprà ead. Teugualdum.* Inscriptio capitis 19. *Annon districta.* 24. q. 3. est : *Item Nicolaus Papa Lothario Regi.* In margine est : *Ivo p.* 8. *c.* 227.

DE EADEM RE.

Dialogus Decimusquintus.

A. ECQUIDNAM lucri ex Romanis pagellis feciſtis? C. Sunt multa nobis grata, illud in primis, quòd invenimus caput quoddam falsò Eutychiano adſcriptum, non à Gratiano *a* ſolùm, ſed à veteribus quoque, Burchardo *b*, Ivone *c*, & Anſelmo *d*, & alio nobis ignoto Polycarpo *e*, rectè vindicatum Theodulpho Aurelianenſi cap. XXVI. quod à te quoque fuerat animadverſum *f*. A. Polycarpus non eſt ſcriptoris nomen, ſed libri à Gregorio Preſbytero collectore canonum conſcripti. Eſtne aliqua varietas inſignis? C. Poſt illa, *neque bibat*, addunt, *neque oret*, ex Theodulpho, Burchardo, & Ivone. (1) B. Alio capite *g* in verbis Ambroſij *h*, quorum pars eſt in Toletano Concilio *i*, pro illis, *quod & juratus inter ſaltantium choros promiſerat*, ſcribunt, *quod eviratus inter* &c. ex Ambroſio & Ivone in excerptionibus *k*. namque in Panormia *l ejuratus* editum eſt. A. Conſulite veterem Panormiæ librum. Facilis autem errandi occaſio eſt. C. In veteri eſt *eviratus*, ſed ita ſcriptum ut aliquis facilè non admonitus *ejuratus* legat. A. *eviratus* placet, quaſi virum ſe eſſe oblitus. Sed quid in Concilio Toletano eſt, & apud Rabanum *m*, qui ejuſdem Concilij Toletani & Ambroſij verba refert? B. In utro-

a 22. *q.* 1. *c. ult.*
b *Burc. lib.* 12. *c.* 14.
c *Ivo par.* 12. *c.* 71. *dec.*
d *Anſ. lib.* 11. *c.* 65. *vel.* 71. *in Rom.*
e *Polyc. lib.* 6. *tit.* 11.
f *Libro* 1. *dial.* 13.
g 22. *q.* 4. *c.* 8. Unuſquiſque.
h *Amb. lib.* 3. *c.* 12. *de officiis.*
i *Tolet.* 8. *c.* 2.
k *Ivo par.* 12. *c.* 17. *dec.*
l *Idem lib.* 8. *tit.* 8. *c.* 16. *Pan.*
m *Raban. c.* 21. *pœniten.*

que libro hæc verba sunt omissa. (2) Sed & Rabanum Romani non adscripserunt. quod etiam facere debuerant in margine capitis quinti & noni ejusdem quæstionis. *n* (3) A. Fortasse imperfectè hæ paginæ conscriptæ sunt. C. Ita est ut dicis. Namque alia invenimus mendosa aut omissa. A. De his alio die agemus. Nunc ad Nicolaum revertamur. Caput secundum tituli septimi, cujus initium *Quæ Lotharius*, apud Gratianum hanc habet inscriptionem: *Nicolaus Papa Carolo Regi*, quod ante eum Ivo in epistula LXII. sive CXXVI. ad Hugonem Lugdunensem scripserat. Regem Francorum appellat Cochlæus, Imperatorem Anselmus, qui plenius verba Nicolai refert. Fons quærendus est ex tuo veteri libro. B. Ludovico Regi inscribitur epistula cujus initium *Syllabarum vestrarum*. In ea extrema Anselmi & Ivonis & Gratiani verba inventa sunt. In verbis varietas non est animadversione digna. Rectè Contius notat verba Gratiani esse illa: *In manifestis &c.* (4) A. Quod sequitur caput, *Scelus quod Lotharius*, ex alia epistula sumptum videtur, quæ missa esse dicitur *Archiepiscopis & Episcopis per Galliam, Italiam, & Germaniam constitutis*, apud Gratianum *o*, *atque per universas provincias* addit Ivo *p*. idémque est in libro Cæsaraugustano, *q* in quo tamen vox *Galliam* desideratur. A te expecto ut fontem aperias. B. Frustra expectas. Nullum enim habeo quem possim ostendere; nisi fortè ex Ivone conjectura ducamur; ut idem sit fons

n 22. q. 4. c. 5. In malis. & c. 9. Incommutabilis.

2. q. 1. c. 16. Quæ Lotharius.

Ans. lib. 12. c. 35.

o 2. q. 1. c. ult.

p Ivo par. 8. c. 226. decret.

q Cæs. lib. 10. c. ult.

11. q. 3. c. 10. Teugualdum.

qui est alterius capitis, cujus initium *Teugualdum*, quod est in extremo regiſtro Romæ edito, & id fragmentum esse ſynodi Romanæ exiſtimabas. quod etiam ſelectis Romæ placuit. A. Non diſplicet conjectura. ſed certiora exſpectemus. (5) De illo videamus cujus initium *Excellentiſſimus Rex Carolus*, quod ex epiſtula ad Hincmarum Remorum Archiepiſcopum ſumptum dicitur; licèt in nomine ſit varietas. de qua alio die dictum eſt. Apud Ivonem eadem eſt inſcriptio quæ apud Gratianum. Quid tu habes dicere? B. In incertis esse collocandum. (6) A. Sequitur titulus octavus de Patriarchis & Archiepiſcopis, cujus quattuor capita ſunt. Quartum autem eſt illud de quo agebamus, cujus initium *Teugualdum r*, ex epiſtula miſſa omnibus Epiſcopis Galliæ & Germaniæ apud Cochlæum. Id Ivonis *ſ* verbis confirmatur, licèt Gratianus Nicolai tantùm nomen adſcripſerit; niſi quid ſelecti viri addiderunt. B. Addunt: *in ſynodo Romana contra ſynodum Metenſem capite ſecundo.* In extremo capite, illis verbis, *Prædictis autem depoſitis*, hæc addunt: *Hæc non ſunt in eo Concilio, ſed ex aliqua epiſtula ſunt quam non habemus. Videndus Regino libro ſecundo chronicorum.* A. Ivo eadem verba omiſit. ſed & in fragmento Romæ editò pro eis verbis alia ſunt. De aliis nos capitibus videamus. Caput primum *t* ex epiſtula ad Joannem Ravennatem Archiepiſcopum esse dicitur. Ad Nicolaum minorem pertinere in quodam Michaëlis Thoma-

11. *q.* 3. *c.* 102. Excellentiſſ.

Ivo lib. 5. *tit.* 3. *c.* 26. *Pan. & par.* 14. *c.* 46. *decr.*

r *d. c.* 10. Teugualdum.

ſ *Ivo d. c.* 226.

t *Diſt.* 63. *c.* 13. Epiſcopos.

sij libro inveni. B. In Pontificali de vitis Pontificum libro certius est Nicolaum primum in Concilio Romæ habito in domo Leoniana de caussa hujus Joannis cognovisse, eique restituto dixisse *ut Episcopos per Æmiliam nisi post electionem de eis cleri & populi, atque per epistulas apostolicæ sedis Præsulis, non habeat consecrandi licentiam.* A. Hæc meliora sunt quàm quæ Gratianus refert. (7) Quid de altero capite dices, cujus initium *Hæc est ordinatio u*, ex epistula ad Salomonem Regem Britonum? B. Nihil habeo quod dicam. C. Contius addit Regem ultimum eum fuisse Britonum. (8) A. Caput tertium, cujus initium *Conquestus est x*, apud Ivonem *y* sæpe relatum invenio, tam in excerptionibus & in Panormia quàm in epistulis, ex epistula Nicolai ad Rodulphum sive Radulfum Archiepiscopum Bituricensem, quem etiam Primatem Aquitaniarum vocat. Sic etiam inscriptum est, ut apud Gratianum, bis in libro Cæsaraugustano *z*. B. Non exstat in his quos attuli libris. A. Ex eadem epistula fortasse est caput prius tituli noni de sacris ordinibus, cujus initium *Quæ in consecrationibus.* Habet enim similem inscriptionem apud Ivonem & Gratianum, nisi tibi aliud videatur. B. Non habeo quod tuis verbis addam. (9) A. Posterioris capitis, cujus initium *Simoniaci*, inscriptio apud Ivonem *a* est *In decretis Nicolai cap.* 11. apud Gratianum *b Nicolaus Papa secundus.* Utram tu inscriptionem veriorem putas? B. Nihil certi constitui potest. (10)

u 3. q. 6. c. 10. Hæc quippe.

x 9. q. 3 c. 8. Conquestus.

y *Ivo lib.* 4. *tit.* 4. *c.* 3. *Panor. & par.* 5. *c.* 56. *decr. & in epistul.* 77. *vel* 133. *Remensis diœcesis Episcopis, & epistul.* 234. *vel* 238. *Lugd. Primati, & ep.* 54. *vel* 65. *Hugoni Lugdun. Archiepiscopo, & epistul.* 58. *Vrbano II. Pont. Max.*

z *Cæs. lib.* 2. *c.* 79. *& lib.* 3. *c.* 51. *Dist.* 23. *c.* 12. Præterea. *Ivo par.* 6. *c.* 121. *decr.*

a *Ivo lib.* 3. *tit.* 9. *c. ult. Panor.*

b 1. q. 1. c. 107. Statuimus.

A. Titulus decimus de Episcopis octo habet capita, ex quibus tria eandem habent inscriptionem : *Nicolaus Alvino* vel potiùs *Albino Archiepiscopo Januensi.* Primi *c* initium, *Episcopi ab anni*, alterius *d Pontifices qui aliqua*, tertij *e Episcopos verò*. Hæc apud Ivonem *f* in excerptionibus ita inscribuntur : *Nicolaus Alvino Jovanensi Episcopo.* sed in margine : *Januensi.* Mihi quidem mendosum videtur *Januensi Archiepiscopo.* sed & Contio *Jovanensi* non displicet. Tibi optio permittitur, vel potiùs ut fontem ostendas rogandus es. B. Hac quoque in re mei adhuc fontes sitiunt. Januenses autem vel Genuates sub Nicolao Archiepiscopum non habuisse crediderim. De Jovanensi Episcopo quærendum censeo. C. Quid si Lovanienſem vel Viennenſem scribamus ? B. Incertum id quoque est. (11) A. Est aliud caput cujus initium est *Episcopis dispensatio.* Id Gratianus Nicolai Papæ tantùm nomine inscripsit. Cochlæus & Democharis rectè Michaëli Imperatori adscripserunt. Est enim in extrema illa epistula cujus initium *Proposueramus.* (12) In tertio capite *Si quælibet*, cujus initium apud Gratianum est *Denique Suffredus*, nihil addunt. Tuum auxilium implorandum est. B. Immo divinum. Humano enim destituti sumus. (13) Idem dicturus sum de sexto capite *Sciscitaris*, quod ex epistula missa Hunifrido Morinensi Episcopo sumptum dicitur. A. Hæc igitur incerta relinquimus. C. *Humifrido* pro *Hunifrido* est apud Democharem

c *Dist.* 34. *c* 1.

d 7. *q.* 1. *c.* 4. Pontifices

e *d. c.* 4. *in fin.*

f *Ivo par.* 5. *c* 352. & 353. *decret.*

Dist. 43. *c. ult.*

6. *q.* 3. *c.* 3. Denique.

7. *q.* 1. *c.* 47. Sciscitaris.

& Contium. A. Cochlæi scriptura magis placet. (14) Cetera in alium diem differamus.

ADDITIONES.

(1) DE inscriptione capitis extremi 22. q. 1. scriptum est lib. 1. dial. 13 addit. 14.

(2) Ante caput octavum *Vnusquisq.* 22. q. 4. in Romano libro inscriptio est: *Item Ambrosius de officiis lib. 3. c. 12.* Et in margine est: *In Tolet. 8. c. 1. Ivo p. 12. c. 17.* Et vers. *Sæpe pleriq.* additur: *Pann. l. 8. c. 101.* Et ver. *Non semper: Infrà ead. Non semper.* In Notis est: Eviratus] *Emendatum est ex beato Ambrosio & Ivone. Antea enim legebatur, & juratus.* Rabanus omissus est.

(3) In eadem quæstione 4. capitis *5. In malis.* in eodem libro hæc inscriptio est: *Item Isidorus in Synonimis libro secundo.* In Notis additur: Secundo] *Etiam B. Braulius in vita Isidori memorat duos synonimorum libros. Et in synonimis, quæ nuper cum aliis Isidori operibus sunt Parisiis impressa, facilè locum haberet divisio in duos libros. Nam ex posteriore parte videtur sumptus libellus de norma vivendi, qui in eodem Parisino codice habetur. Alter autem libellus de contemptu mundi, qui & ibidem & antea Antuerpiæ & olim Venetiis sub hoc titulo* Isidorus de homine & ratione deflente & de homine & ratione consolante *impressus est, videtur epitome quædam synonimorum.* In margine hæc sunt: *Cap. de mendacio in impress. Parisiis. Ivo p. 12. c. 12. In Tolet. 8. c. 2. & in Tribur. c. 21. & glossa ordinaria in c. 14. Matthæi in ver. juramentum.* Capitis noni ejusdem quæstionis, cujus initium *Incommutabilis*, hæc inscriptio est: *Item ex Concilio Toletano 8. c. 2.* In Notis additur: *Initium hujus capituli emendatum est ex recentioribus editionibus Conciliorum Colonienſibus & codice Lucensi regio. In vetustioribus autem editionibus & duobus codicibus Vaticanis, duobúsque monasterij Dominicani, post vers.* innectenda, *quod in ipso Concilio antecedit hunc*

capitulo, sequitur continenter: Etenim immutabilis deitatis licèt dicta sint firmissima, crebrò tamen &c. *intermediis omissis.*] Rabanus omittitur.

(4) Caput 16. *Quæ Lotharius.* 2. q. 1. in eodem libro ita inscribitur: *Item Nicolaus Papa Ludovico Regi in epistola quæ incipit Syllabarum.* In margine est: *Ans. l. 12. c. 35.* In Notis additur: *Sumptum est ex epistola quæ habetur in codice sæpe memorato monasterij Dominicanorum, in qua hæc præcedunt:* Accusatorem autem habere Lotharium non nisi illum qui accusator fratrum in Apocalypsi appellatur, & opera ejus, quæ & ipsa ejusdem antiqui hostis instinctu patrantur, profectò comperimus. Quæ verò Lotharius Rex &c.

(5) Gratiani verba sunt ante caput extremum 2. q. 1. in eodem libro: *Vnde idem Nicolaus Papa scribit Archiepiscopis & Episcopis per Galliam, Italiam, & Germaniam constitutis. Scelus quod Lotharius &c.* In margine est: *Ivo p. 8. c. 226. Regino omnia hæc refert lib. 2. Chron. nu. 875.* Capitis 10. *Teugualdum.* 11. q. 3. inscriptio est: *Item Nicolaus Papa.* In margine additur: *In synodo Romana c. 2.* Item: *Al. Thietgandum. Ivo p. 8. c. 226.* Et in Notis: *Caput hoc Ivo citat ex Nicolao Episcopis & Archiepiscopis per Galliam, Italiam, Germaniam, atque per universas provincias constitutis; in qua epistola videtur retulisse quid in Concilio à se Romæ habito de Metensi synodo penitùs abolenda & depositione Thietgandi & Guntharij statutum fuerit. De quo quidem Concilio & horum Episcoporum depositione Regino lib. 2. Chronicor. accuratè hæc scribit:* Interea Thietgandus &c.] Consistere] *In secundo capite Concilij locus hic ita habet:* consistere: Diffinientes &c. *Et sunt verba sumpta ex capite* Si quis Episcopus damnatus, *suprà ead. ex Concilio Antiocheno.*

(6) Eadem quæstione capitis 102. *Excellentissimus.* in eodem libro inscriptio hæc est: *Vnde Nicolaus Papa Hincmaro Rhemorum Archiepiscopo.* Et in margine est: *Ivo p. 14. c. 46. Pann. l. 5. c. 106.* Et ad verba *novit aliud esse &c.* additur: *B. Greg. l. 34. mor. c. 16.*

(7) Distinctione 63. capitis 13. *Episcopos per Æmi-*

liam. inscriptio est in eodem libro : *Item Nicolaus Papa Ioanni Ravennati Archiepiscopo.* In Notis est: *In vetusto codice Mutinensi sex Concilij Romæ habiti referuntur capitula, quorum secundum est hoc. Et de hac eadem re habentur multa in Pontificali manuscripto in gestis Nicolai primi.*

(8) Hæc est in eodem libro inscriptio capitis 10. *Hæc quippe.* 3. qu. 6. *Vnde Ioannes Papa Salomoni tertio & ultimo Regi Britonum.* In margine est : *Regino lib. 2. Chron.* In Notis : Subrogati pòst sunt] *Sic restitutum est ex aliquot vetustis & valde emendatis codicibus. Antea legebatur* subrogari possunt.

(9) Ante caput octavum *Conquestus est.* 9. qu. 3. hæc in eodem libro verba sunt : *Item Nicolaus Papa Rodulpho Bituricensi Archiepiscopo.* In margine est: *Ivo p. 5. c. 56. Pann. l. 4. c. 29.* Capitis 12. *Præterea.* distinctione 23. inscriptio est : *De his ita scribit Nicolaus Papa Radulpho Archiepiscopo Bituricensi.* In margine est : *Ivo par. 6. cap. 121.* Et vers. *Ergo: Inno. PP. I. ep. 1.*

(10) Inscriptio capitis 107. *Statuimus.* 1. q. 1. in eodem libro hæc est : *Hanc distinctionem innuit Nicolaus Papa secundus scribens omnibus Episcopis.* In margine est : *4. sent. dist. 25. Pann. l. 3. c. 127.*

(11) Capitis primi distinctione 34. in eodem libro inscriptio est : *Vnde Nicolaus Papa ad Albinum Archiepiscopum. Quorundam relatione &c.* In margine est : *Al. Alvinum. Ivo p. 5. c. 353.* Inscriptio capitis 4. *Pontifices.* 7. q. 1. hæc est ; *Item Nicolaus Papa Alvino Ianuensi Archiepiscopo.* In margine est: *Al. Albino Vienensi. Ivo p. 5. c. 352.*

(12) Distinctione 43. capitis extremi in eodem libro inscriptio est hæc : *Item Nicolaus ad Michaëlem Imp. in epistola cujus initium est Proposueramus. Dispensatio est nobis &c.* In margine hæc sunt : *Dispensatione nobis. orig.*

(13) Hæc etiam sunt in eodem libro verba ante caput 3. *Denique Suffredus.* 6. q. 3. *Item Nicolaus Papa.* Ad illa verba, *Quod quia omissum*, additur in Notis : *Locus hic emendatus est ex plerisque vetustis Gratiani codicibus.*

(14) In

(14) In eadem editione inscriptio capitis 47. *Scisciatis.* 7. q. 1. hæc est : *Item Nicolaus Papa Humifrido Morinensis Ecclesiæ Episcopo.*

DE QUIBUSDAM LOCIS GRATIANI Romanæ editionis, & de aliis Nicolai capitibus.

Dialogus decimusſextus.

A. VESTRUM nunc est de Romanis pagellis dicere. B. Quod ex beati Augustini epistula CLIV. Gratianus refert de jurejurando Laban, mendosum erat : *sicut Laban per Deum Sochot.* Scribi enim debuit, *per Deum Nachor*, ut in sacris libris est, licèt in Augustini editis libris sit *Jacob.* A. Vidistis quid Ivo & Anselmus & liber Cæsaraugustanus scripserint? B. Ivo *a* in Pannormi habet: *Laban per Deos suos Sochot vel Nachor.* Idem in excerptionibus, *per Deum Nachor*, ut etiam Romani referunt. In Anselmi libro *b* omissa sunt hæc verba. In Cæsaraugustano *c* est, *per Deum Sabaoth*, quod etiam invenimus in veteri Gratiani libro, in alio tamen non minùs veteri est *Sochot.* C. Romani referunt in vetusto Gratiani libro inveniſſe *Nachor.* A. Id igitur retineamus quod in sacris libris est. B. In eodem capite verba Gratiani sunt : *sicut Joseph, qui per Pharaonem jurando, hoc in eo veneratus est quòd Dei judicio positus erat in infimis.* In margine est : *Aliàs Memphis.* Et in scholio : *In infimis*

22. q. 1. c. 16. Movet. p. Alia.

Gen. 21. *vel* 31.

a *Ivo lib.* 8. *tit.* 8. *c.* 28. *Panor. & par.* 12. *c.* 35. *dec.*

b *Anſ. lib.* 11. *c.* 69.

c *Cæſ. lib.* 6. *c.* 19.

Aliàs Memphis, quæ erat caput regni Pharaonis. & in alio scholio: *Positus erat*] *scilicet Pharao. In infimis*] *id est, in mundanis. Vel positus erat, scilicet Princeps, in mundanis, vel in Memphis, quæ civitas erat vel caput regni.* Hæc in Romano edita sunt ut jam pridem habebamus. In duobus quoque veteribus tuis Gratiani libris illa sunt, *in infimis.* & in altero eorum hoc scholium: *id est, in mundanis, vel terrenis, & erat præpositus aliis.* & in voce *positus* additur in margine: *Pharao.* In sacris libris, cùm de Pharaone agitur, Memphis nulla mentio est. A. Ego pro *in infimis* malo *in summis* scribere. *in Memphis* dicere per Grammaticos non licet. C. *Barbara pyramidum sileat miracula Memphis*, ait Valerius Poëta. Quibus verbis apparet Memphin claram fuisse illa pyramidum mole quas Ægypti Reges fecisse constat ex Herodoto & Diodoro Siculo. A. Invenies, ut opinor, apud Eusebium quis fuerit ille Rex Ægypti cui Moses servierit, eúmque fuisse ante Memphim conditam ab Epapho Jovis filio. (1) B. Mendosè editum invenimus capite altero quæstionis quartæ ejusdem causæ in margine, *Matth.* 4. pro *Matth.* 14. & *Ivo par.* 12. *c.* 3. pro *c.* 10. Et capite quinto desiderantur hæc: *Raban. c.* 21. *pœnit. & Burc. lib.* 12. *c.* 29. *& Ivo p.* 12. *c.* 12. *&* 84. C. Ego in scholio capitis noni non rectè editum esse credo, *Sententiam*] *id est, communicationem.* sed melius alij habent *commonitionem.* Quæ verò ex Macrobio afferuntur,

22. *q.* 4. *c.* 2. Est etiam.

e. q. c. 5. In malis.

tripliciter contingit deos loqui, in somnio Scipionis reperiri aliis verbis existimo: *Sed non advertunt hanc habere legem omnia ( ) vel signa vel somnia ut de adversis obliquè aut denuntient aut minentur aut moneant.* & quæ sequuntur. (2) A. Imperfectas esse istas pagellas existimo, & mendosas. Integras & sine istis mendis habebimus alias. Interea Nicolai capita persequamur. Caput septimum decimi tituli, cujus principium est *Reprehensibile valde d*, Nicolai ad Carolum Imperatorem esse ait Gratianus post Ivonem *e* & librum Cæsarauguſtanum *f*. Regem Francorum vocat Cochlæus. Estne in aliquo veteri libro? B. Inventa est Ludovico & Carolo Regibus missa epistula, cujus initium *Credimus ex Dei dono*. Ex ea mutandum est pro *cum omnibus aliis*, *cum aliis*, voce *omnibus* omissa (3) A. Capitis octavi inscriptionem ad Radulphum sive Rodulfum Bituricensem Archiepiscopum vidimus, cùm de capitibus tituli octavi ageremus. Eadem est apud Ivonem. B. Ita est ut dicis. Sed fontes adhuc quærimus. (4) A. Titulus undecimus est de Presbyteris; cujus sex capita sunt. Primum caput non rectè Nicolao primo omnibus Episcopis adscribitur, cùm sit Nicolai minoris in Concilio Romano capite tertio. Neque malè Ivo in Pannormia inscripsit: *Decretum Nicolai junioris & Alexandri.* quod etiam Demochares notat. Alexandri autem minoris verba refert, præter Ivonem, Gratianus *g* & liber Cæsarauguſtanus *h*. (5) Caput alte-

e q. c. 9. Incommutabilis.
( ) ominaf.

d 23. q. 8. c. 19. Reprehensibilis.
e *Ivo par. 5. c. 334. decret.*
f *Cæs. lib. 4. c. 84.*

De consec. d. 1. c. 55. Porrò.

Ivo par 5. c. 20. decr. Dist. 32. c. 5. Nullus.

Ivo lib. 3. tit. 11. c. 3. Pan.

g c. 6. Præter. *dist. cap.*
h *Cæs. lib. 8. c. 44.*

rum, cujus initium *Sacerdotes*, ex epistula missa *Carolo Archiepiscopo & ejus suffraganeis* Ivo *i* & Gratianus *k* adscribunt, *Carolo Archiepiscopo Maguntino* Cochlæus, *In gestis Concilij Vormacienſis* Democharis. Id confirmatur ex libro Conciliorum cap. XI. & XII. ejusdem Concilij. (6) Incertior est inscriptio tertij capitis, cujus initium *Si Presbyter*. Est enim apud Ivonem *l*: *Nicolaus Hosbaldo Episcopo Quadrantino*. Coëpiscopo pro *Episcopo* habet Gratianus *m*, *Chorepiscopo* Contius ex veteri libro. *Osualdo coëpiscopo* Joannes Cochlæus. Mihi *Osualdo Episcopo* magis placet, nisi tu certiora adferas. B. Nihil habeo de ea re dicere. Osualdi Episcopi nomine vidi libellum *Martyrologium* inscriptum. A. Idem Osuvaldus appellatur; fuitque ejus nominis sanctus vir Episcopus Vintonensis & postea Eboracensis in Britannia, in qua insula ego veterem librum Osuvaldi Martyrologij titulo inscriptum inveni. (7) Caput quartum, *Presbyter iste*, ex epistula missa Gerardo sive Girardo Turonensi Archiepiscopo Gratianus *n* inscripsit. Ivo *o* eum Airardum appellat. Quid tu ais? Fuitne aliquis hoc nomine Archiepiscopus, ad quem Nicolaus scripserit? B. Nihil habeo quod dicere possim. (8) A. Certior est inscriptio capitis quinti, cujus initium *Sciscitantibus*, ? *Nicolaus ad consulta Bulgarorum*. quæ meliùs est apud Grātianum & Ivonem *q* in Panormia quàm apud eundem in excerptionibus. Sine inscriptione est in libro Tarraco-

i *Ivo lib. 3. tit 11. c. 4. Panor.*

k *Dist. 50. c. 33. Sacerdotes.*

l *Ivo par. 10. c. 24. decret.*

m *Dist. 50. c. 39. Studeat.*

n *2. q. 1. c. 10. Notum.*

o *Ivo par. 6. c. 429. decret.*

p *15. q. 8. c. 5. Sciscitantib.*

q *Ivo lib. 5. tit. 1. c. 11. Panorm. & par. 2. c. 83. decr.*

nensi *r*. Est in editis capitibus cap. LXXI. ex quo possunt addi verba à Gratiano prætermissa. Aliter Lucius tertius refert hujus capitis verba, cùm scribit *s*: *sacramenta quæ purgatoria cunctarum cogitationum existunt. contagionum* enim habet Nicolaus, non *cogitationum*, neque *pollutionum*, ut est in quadam collectione *t* posita post Concilium Romanum Alexandri tertij. (9) Sextum caput *u* inscribitur *Nicolaus Thadoni* vel *Tadoni Archiepiscopo Mediolanensi*, apud Ivonem *x* & Gratianum. Quid tu his addis? B. Hoc tantùm, de Presbyterorum flagellatoribus agere Nicolaum, non Clericorum; ut est in epitome. (10) A. Nunc surgendum censeo.

r *Tarrac. lib. 1. c. 168.*

s *De cohabit. cler. c. 7. Vestra. apud Greg. IX. c. 1. de vita & hon. cler. in 2. collect.*

t *Par. 50. c. 38.*

u *17. q. 1. c. 23. De Presbyteror.*

x *Ivo par. 10; c. 20. decret.*

ADDITIONES.

(1) GRATIANUS ita scribit in eodem Romano libro ante caput 16. *Movet te.* 22. q. 1. *De his ita scribit Augustinus eadem epist. 154. ad Publicolam.* Et in margine est: *Sent. 3. dist. 39. Ans. l. 11. c. 75. Ivo par. 12. c. 35. Pann. l. 8. c. 117. Polyc. l. 6. tit. 11.* In Notis hæc sunt: *Quia ille*] *In epistolis B. Augustini excusis legitur*, quàm ille qui ei jurat falsos Deos colit. *In codice earundem Vaticano*, quando ille qui ei jurat falsos Deos colit. *In editione Frobeniana & apud Ivonem*, quia ille qui ei jurat falsos Deos colit. *Nachor*] *Sic est emendatum ex loco ipso Geneseos, Ivone, & uno vetusto Gratiani codice, in cujus quidem vulgatis erat* per Deum Sochot, *in beati Augustini autem* per Deum Jacob.] Verba Gratiani *sicut Ioseph* &c. & scholij ut in dialogo.

(2) Eadem caussa quæst. 4. cap. 2. *Est etiam.* hæc in eodem libro inscriptio est: *Item Ambrosius de officiis lib. 1. c. 50.* In margine est: *Ibidem in Tole.* 8. (adde c. 2.) *sent. 3. dist. 39. Ivo par. 12. c. 3.* [scribe *c.* 10.] *Pann. l. 8. c. 91. Matth. 4.* (scribe 14.) In No-

tis est : *Custodire*] *Addita est vox ista ex originali & Concilio Toletano, in quo refertur.* De inscriptione capitis 5. *In malis.* eadem quæstione scriptum est dial. 15. addit. 3. hujus libri. Scholium *Sententiam, id est, communicationem.* c. 9. *Incommutabilis.* eadem quæstione sic est editum ut in dialogo refertur.

(3) Quod attinet ad caput 19. *Reprehensibile.* 15. q. 8. in eodem libro id ita inscribitur : *Sed objicitur illud Nicolai ad Ludovicum & Carolum Reges.* In margine est : *Ivo par. 5. c. 334.* Et in Notis : *Epistola ex qua sumptum est hoc caput extat Romæ in monasterio Dominicanorum scripta Ludovico & Carolo Regibus, cujus initium est* Credimus ex Dei dono; *in qua de Carolo, sermonem propriè ad ipsum convertens, queritur Pontifex ob quasdam excusationes, & hanc præcipuè, quæ hoc capite continetur, nullos Episcopos Romam ad synodum, quam ipse habere volebat, missos fuisse. Propterea mutatus est titulus, qui antea erat: ad Carolum Imperatorem.* In casu relictum est : *Carolus Imperator scribit &c.*

(4) De consecrat. distinctione 1. c. 56. Romanis, cujus initium est *Porrò Gloria.* hæc inscriptio est: *Item Nicolaus Papa Rodulpho Archiepiscopo Bituricensi.* In margine est : *Ivo par. 5. c. 20.* Et in Notis: *Apostolico*] *Vox ista abest ab aliquot Vaticanus codicibus. Ivo tamen habet.*

(5) Ante caput quintum *Nullus Missam.* distinctione 32. hæc in eodem libro verba sunt : *Item Nicolaus Papa omnibus Episcopis.* In margine est : *In synodo Romana* CXIII. *Episcoporum in basilica Constantiniana.* Et : *Pann. l. 3. c. 135.* In extremo capite hæc verba sunt. [*Quicumque Sacerdotum & Diaconorum &c.*] [*Sicut in subsequenti capitulo Alexandri secundi continetur.*] *Sicut in subsequenti*] *Hæc clausula est Gratiani omittentis referre ex capite Nicolai ea quæ proximè ex Alexandro relaturus erat. Sunt enim eadem verba. Nam Nicolaus secundus in epistola, quæ extat, omnibus Episcopis catholicis scripsit se in Concilio quod Romæ habuit centum tredecim Episcoporum hunc canonem edidisse, quem postea Alexander secundus (ut ipse etiam testatur in epistola manuscripta) in

Concilio à se habito iisdem verbis repetivit. Quare in Pannormia appellatur decretum Nicolai junioris & Alexandri. Inscriptio capitis 6. *Prater hoc.* eadem distinctione : *Item Alexander secundus.* Et in margine est : *In epist. proxima notat. indicata. Pann. ibid. & l.* 8. *c.* 142. Et ad verba, *Papæ Leonis*, additur : *Leo IX. in Concilio Romano.* In Notis est : *Et rogantes*] *Hæc usque ad vers.* deinde *addita sunt ex epistola manuscripta Alexandri ; quorum aliqua etiam sunt in Concilio Nicolai, in quo est præterea sequens versiculus,* Deinde, *qui in epistola Alexandri non est.*

(6) In eodem libro inscriptio capitis 33. *Sacerdotes.* distinctione 50. hæc est : *Vnde Nicolaus Papa Carolo Archiepiscopo & ejus suffraganeis.* In margine est: *In gestis Concilij Vormacienstis c.* 11. *Vide Ivonem par.* 10. *c.* 180. *Pann. l.* 3. *c.* 136.

(7) Eadem distinctione, caput 39. *Studeat.* in eodem libro ita inscribitur : *Vnde Nicolaus Papa scribit Hosbaldo Chorepiscopo Quadrantino.* In Notis additur : *Chorepiscopo*] *Antea legebatur* coëpiscopo. *Emendatum est ex omnibus, quæ collata sunt, vetustis Gratiani exemplaribus ; optimèque convenit verbis Nicolai.* In margine est : *Ivo p.* 10. *c.* 24.

(8) Capitis 10. *Notum sit.* 2. q. 1. in eodem libro inscriptio est : *Item Nicolaus Papa Girardo Turonensi Archiepiscopo.* In margine est : *Al. Airardo. Ivo p.* 6. *c.* 429.

(9) Gratiani verba sunt ante caput 5. *Sciscitantib.* 15. q. 8. in eodem libro Romano : *Item Nicolaus ad consulta Bulgarorum c.* 71. In margine est : *Extrà de cohab. cler. & mul. c. Vestra duxit. Ivo par.* 2. *c.* 83. *Pann. l.* 5. *c.* 13. Et in Notis : *Et cerea*] *Antea legebatur* &c. *Restitutum est ex originali, ex quo alia etiam sunt emendata & addita. Hieronymo*] *Est in epistola de septem gradibus ; quemadmodum & quod sequitur* Priusquam audias &c. *est ibidem superiùs.* Caput 7. *Vestra duxit.* de cohabit. cleric. & mul. ita inscribitur : *Lucius III.* In margine est : *c.* 1. *eo. tit. in* 2. *compil. & post Concil. Lateran. sub Alexan. III. par.* 50. *c.* 18. Vox *contagionum* edita est. Retinenda igitur est in ea collectione.

(10) Quod attinet ad caput 23. *De Presbyterorum.* 17. q. 4. ejus inscriptio in editione Romana est: *Item Nicolaus Papa Thadoni Archiepiscopo Mediolanensi.* In margine est: *In Chronico Mediolan. Ivo p.* 10. *c.* 20.

DE ALIIS NICOLAI PAPÆ capitibus.

Dialogus decimusseptimus.

A. TITULUS duodecimus de Clericis inscribitur. Tria tantùm habet capita. Primi capitis initium *Clericus qui.* Ejus inscriptio apud Gratianum *a: Nicolaus Papa Odoni Viennensi Archiepiscopo.* apud Ivonem *b: Stephanus Adoni Viennensi Archiepiscopo.* Est etiam varietas in illis verbis: *De illo Clerico Alverico.* Est enim *Alvico* pro *Alverico* apud Ivonem, *Albino* apud Contium, qui *Othoni Colonienſi* in margine adscripsit, & *Adoni Viennensi* ex Ivone. Stephani non habuit rationem. B. In veteri libro extat Nicolai epistula Odoni Archiepiscopo missa, ut in indice scriptum est, Adoni in verbis plenè relatis. In eadem hoc non inveni caput, sed illud quod alibi posuit Gratianus *c* ita inscriptum: *Nicolaus Papa Adoni Viennensi Archiepiscopo.* Eadem inscriptione utitur Ivo *d* in excerptionibus & in epistulis. A. De eo capite postea erit agendum. (1) Caput alterum, cujus initium *Clericum,* quod apud Gratianum *e* solo Nicolai Papæ nomine inscribitur, apud Ivonem *f Nicolaus Vuilfredo Morinensi*

a *Dist.* 32. *c.* 4. De illo.

b *Ivo par.* 6. *c.* 119. *decret.*

c 12. *q.* 2. De reb. 22.

d *Ivo par.* 3. *c.* 152. *& in epist.* 71. *vel* 30. *Belvac.* *Decano.*

e *Dist.* 50. *c.* 5. Clericum.

f *Ivo par.* 6. *c.* 119. *decret.*

Eccleſiæ Epiſcopo ſed & pleniùs, ſcriptum eſt. Sic etiam in libro Cæſarauguſtano *g* pleniùs ſcribitur, & eodem modo inſcriptum legitur una excepta voce *Vuilfredo*; pro qua eſt, *Guifredo*. Similis eſt inſcriptio cujuſdam capitis *h*, de quo egimus cùm de titulo decimo dictum eſt, licèt illic Hunilfredus diceretur. Hoc loco apud Cochlæum eſt *Oſualdo coëpiſcopo Quadrantino*, ut capite tertio tituli undecimi *i*. quæ etiam inſcriptio eſt cujuſdam capitis proximi apud Gratianum *k* huic noſtro, & in libro Cæſarauguſtano *l*, in quo tamen eſt *chorepiſcopo* pro *coëpiſcopo*, ut apud Contium & in veteri libro meo eſt. B. Inſcriptionem eandem utrique capiti convenire putavit. Sed cur non invenimus alterius capitis verba in his viginti titulis? C. Quid ſi poſterius caput non eſſe Nicolai credidit, aut utrumque ejuſdem eſſe ſententiæ? A. De tertio capite videamus, cujus initium *Hi qui arborem m*. Hoc ſolum Nicolai nomen habet apud Gratianum & Cochlæum. De eo quid ſelectis viris placuit? B. Incertum eſſe, & nuſquam repertum. (2) A. Sequitur titulus XIII. de votis monaſticis. ſub quo ſunt capita tria. Primi initium eſt: *Femina quæ poſt obitum*. Ejus inſcriptio apud Gratianum *n* eſt: *Nicolaus ad Albinum Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum*. Hic *Adalvvinus* appellatur à Burchardo *o* & *Vivenenſis Eccleſia*. & ab Ivone *p* in Panormia *Vivacenſis Eccleſia*, & *Adalvvinus Archiepiſcopus*. Sic etiam in excerptionibus. Adalvvinus eſt Archiepiſco-

g *Cæſ. lib.* 15. *c.* 35.

h 7. *q.* 1. *c.* 47. Sciſcitaris.

i *Diſt.* 50. *c.* 39. Studeat.

k *Diſt. e. c.* 6. De his.

l *Cæſ. lib.* 15. *c.* 34.

m *Diſt.* 50. *c.* 49. Hi qui arborem.

n *Diſt.* 27. *c.* 6. Quòd interrogaſti.

o *Burc. lib.* 8. *c.* 47.

p *Ivo lib.* 3. *tit.* 17. *c.* 18. *Panor. & par.* 7. *c.* 65. *& c.* 152. *dec.*

pus. Sed Ecclesia Viennensis, vel Vinanensis, ut in alio capite est, sic inscribitur, *Nicolaus Alumino Junarienſi Episcopo.* Ex hac varietate orta mihi hæc opinio est, ut hic idem ille sit Albinus quem alij Januensem Archiepiscopum, alij Jovanensem Episcopum vocabant, ut in capitibus tituli decimi invenimus *q.* B. Opinioni tuæ facilè subscribo. *Alumino* enim & *Aluvino* similes voces sunt; & *Januenſi* sive *Jovanenſi* cum *Junarienſi* maximè convenit. Est quoque titulo decimo octavo aliud caput, cujus initium *Inter hæc r*, ita inscriptum apud Gratianum & Ivonem *ſ*: *Nicolaus Alvino Archiepiscopo.* Sed idem Ivo alibi *t* ita inscripsit: *Nicolaus Carolo Archiepiscopo & ejus suffraganeis.* A. Video incerta esse hæc omnia. C. Quid de illis verbis dicturus es quæ Palea superiori capiti *u* addidit, quæ à Burchardo & Ivone sumere potuit, si modò aliquid ab eis sumpsit? An ea dicemus ab Joanne Cochlæo esse omissa, cùm tamen Nicolai essent? A. Omissa esse constat. Cur omiserit, incertum est. (3) Alterius capitis, cujus initium *Præsens Clericus*, inscriptio est apud Gratianum *x* & in libro Cæsarauguſtano *y*: *Nicolaus omnibus Episcopis in regno Ludovici.* apud Ivonem *z* additur: *Nicolaus Papa primus.* Quid habes ex Romanis libris quod addas? B. Nihil omnino. (4) Sed ne de illo quidem capite *Vidua quidem a*, cujus inscriptio est apud Ivonem *b* & Gratianum *Nicolaus Carolo Archiepiscopo & ejus suffraganeis.* A. Cochlæus

q *Dial.* 15. *hujus libri.*

r 33. *q.* 2. *c.* 6. Inter hæc.
ſ *Ivo lib.* 7. *tit.* 2. *c.* 1. *Panorm. & par.* 8. *c.* 333. *dec.*
t *Idem d. par.* 8. *cap.* 124.
u *Dist.* 27. *c.* 7. Nam si.

x 20. *q.* 3. *c.* 4. Præsens.
y *Cæs. lib.* 9. *c.* 48.
z *Ivo par.* 6. *c.* 356. *decret.*

a 27. *q.* 1. *c.* 34. Vidua.
b *Ivo lib.* 3. *tit.* 17. *c.* 12. *panor. & par.* 7. *c.* 145. *dec.*

addit, *Carolo Archiepiscopo Maguntino*, ut in alio capite tituli undecimi, quod in Vormacienſi ſynodo inventum eſt. Quærite in eodem Concilio. C. Caput eſt XXI. in quo extremo hæc verba ſunt, à Gratiano & Ivone omiſſa: *Quod ſi præſumpſerit, à liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſegregetur, donec ad emendationis remedia confugiat.* A. Poteris hoc addere Romanæ editioni, ſi in ea fuerit omiſſum. (5) Tituli XIV. de laicis duo capita ſunt. Prioris initium eſt *De Preſbyteris c.* Sumptum eſt ex capite LXX. ad conſulta Bulgarorum, ut etiam Ivo *d* notat. In libro Tarraconenſi *e* Nicolao tantùm Epiſcopo adſcribitur. (6) Poſterioris *In ſcripturis f* apud Gratianum hæc inſcriptio eſt: *Nicolaus Ludovico Imperatori.* Addit Cochlæus, *Ludovico ſecundo Imperatori.* Democharis & Contius, *Michaëli Imperatori.* Sed nobis res incerta eſt, licèt de Conſtantini verbis aliquid in epiſtula magna ad Michaëlem dicatur, & apud Deus-dedit capite tertio. B. Idem ſelectis viris placet. (7) A. Tituli XV. de Eccleſiis capita tria ſunt. Primi initium, *Nulla edificia g*, licèt nomen habeat Nicolai Papæ, meliùs inſcriberetur Concilij Salegunſtadienſis cap. XII. ut eſt apud Burchardum *h* & Ivonem *i*; & pro *Clericorum* ſcribendum eſt *Preſbyterorum.* (8) Alterius capitis, *De rebus quæ ſemel*, inſcriptio eſſe debet *Nicolaus Adoni Archiepiſcopo*, ut à te dictum eſt hodie. De varietate nunc dices. B. Dixi exſtare Nicolai epiſtulam. Ejus initium eſt: *Quia ſan-*

c *Diſt. 28. c. ult.*

d *Ivo lib. 5. tit. 1. c. 11. Pann. & par. 2. c. 82. decr.*

e *Tarrac. lib. 1. c. 167.*

f *Diſt. 96. c. 8.* In ſcripturis.

g *12 q. 1. c. 4.* Nulla.

h *Burc. in fine decretorum.*

i *Ivo par. 15. cap. 178. dec. 12. q. 2. c. 22.* De reb.

Etitatis vestræ. In ea pro *concessionis Principum* est *successionis.* quod non æquè placet. & pro *consulatis Principem*, illic est *consulto Principe.* Cetera sunt leviora. (9) A. Tertij capitis initium est: *Sicut antiquitus.* inscriptio: *Nicolaus omnibus Episcopis*, apud Gratianum *k* & Ivonem *l* & Anselmum *m* & in libro Tarraconensi *n*. C. Duplex inscriptio est in Panormia, Agathensis Concilij cap. XXIIX. & Nicolai. In eo Concilio hæc verba non invenio. A. Consule veterem Panormiæ librum. C. *Ex Concilio Antiocheno cap.* v. *Nicolaus &c.* A. Hoc etiam mendosum est. Quid in veteribus tuis est? B. Varietas notata est à selectis viris. LX. *passus* pro XL. & *confinia earum*, pro *confinia eorum.* (10) A. Tituli XVI. de baptismo duo capita sunt. De priori, cujus initium *A quodam Judæo* o, dictum à nobis est *p*. Alterius initium, *Catechismi baptizandorum.* inscriptio apud Gratianum, *q Nicolaus Papa*; apud Ivonem *r*, *Nicolaus Papa Joanni Archiepiscopo Ravennatensi.* Quid tu addis? B. Nihil habeo quod addere possim. (11) A. Sequitur titulus XVII. de pœnitentia. de quo cras agemus.

k 17. q. 4. c. 6. Sicut.
l *Ivo lib.* 2. *tit.* 8. *c.* 3. *Panorm. & par.* 3. *c.* 104. *decr.*
m *Ans. lib.* 5. *c.* 74. *in addit. &* 46. *in Rom.*
n *Tarrac. lib.* 6. *c.* 244.

o *De consec. d.* 4. *c.* 24. A quodam.
p *Dial.* 18 *lib.* 1.
q *c.* 57. Catechismi. *ejusd. dist.*
r *Ivo lib.* 1. *tit.* 2. *c.* 33. *Panorm. & par.* 1. *c.* 87. *decr.*

ADDITIONES.

1) ANTE caput quartum distinctionis 32. hæc in Gregoriano libro verba sunt: *Item Nicolaus Papa Odoni Viennensi Archiepiscopo. De illa Clerico Alverico &c.* In margine est: *Al. Adoni. & al. Alvico.* Et: *Ivo p.* 6. *c.* 119. Caput 22. *De rebus.* 12. q. 2. ita inscribitur: *Item Nicolaus Papa Adoni Viennensi Archiepiscopo in epistola cujus initium Quia*

sanctitatis vestræ. In margine est: *Ivo p. 3. c. 152.* Et in Notis: *Extat epistola hæc in libro sæpe citato bibliothecæ Dominicanæ, in qua respondet Nicolaus ad nonnullas quæstiones ab Adone (al. Odone) sibi propositas.*

(2) Distin. 50. caput 5. *Clericum*, in eodem libro ita inscriptum est: *Item Nicolaus Papa.* Et in margine est: *Ivo p. 6. c. 120.* Capitis sexti *De his Clericis.* hæc inscriptio est: *Item Osbaldo Chorepiscopo Quadrantino.* De capite 39. *Studeat.* eadem distinctione scriptum est dial. 16. addit. 7. & de capite 47. *Sciscitaris.* 7. q. 1. dialogo 15. addit. 14. Capitis 49. *Hi qui arbores.* (sic enim editum est, non *arborem*) eadem dist. 50. inscriptio est: *Item Nicolaus Papa.*

(3) Inscriptio capitis sexti *Quòd interrogasti.* dist. 27. in eodem libro hæc est: *Item Nicolaus Papa ad Albinum Viennen. Ecclesiæ Archiepiscopum.* In margine est: *Valde variant hæc nomina in exemplaribus & Burc. & Ivone. Burc. l. 8. c. 47. Ivo par. 7. c. 65. & 152. Pann. l. 3. c. 205.* Capitis 7. *Nam si consenserimus.* eadem distinctione inscriptio est: *Palea.* In margine hæc sunt: *Burchar. & Ivo ibidem. Pann. l. 3. c. 206.* In Notis est: *Caput hoc in multis Gratiani codicibus (in quibus habetur sine nomine Paleæ) est conjunctum superiori, quemadmodum & apud Burchardum & Ivonem. In pannormia autem est sejunctum.* Inscriptio capitis 6. *Inter hæc.* 33. q. 2. hæc est: *Hinc idem Nicolaus scribit Albino Archiepiscopo.* In margine est: *Sent. ibidem.* (hoc est, *Sent. 4. dist. 38.*) *Polic. l. 6. tit. 10. Ivo p. 8. c. 124. & 333. Pann. l. 7. c. 14.*

(4) Caput quartum *Præsens Clericus.* 20. q. 3. in eodem libro ita inscribitur: *Vnde Nicolaus Papa scribit omnibus Episcopis in regno Ludovici.* In margine est: *Ivo p. 6. c. 356.*

(5) Hæc est in eodem libro inscriptio capitis 34. *Vidua.* 27. q. 1. *Item Nicolaus Carolo Archiepiscopo & ejus suffraganeis.* In margine hæc sunt: *Habetur in Concil. Vormacienſi c. 21. Ivo p. 7. c. 145. Pann. l. 3. c. 199.* In Notis: *Oblationes*] *In Concilio Vormacienſi, apud Ivonem, & in Pannormia legitur*, obla-

tionem. *sed glossa magis ferè convenit voci* oblationes.

(6) Extremi capitis distin. 28. inscriptio in eodem libro hæc est: *Item Nicolaus ad consulta Bulgarorum c. 70. Consultandum decernitis &c.* In margine est: *Ivo p. 2. c. 82. Pann. l. 5. c. 12.* Et in Notis: *Presbyterum] In ultimo capite harum reponsionum referuntur Bulgarorum verba dicentium multos apud se esse Græcos & Armenos & alios qui diversa docerent. Nondum enim à Romana sede Episcopum aut Presbyterum acceperant. Quamobrem nihil mirandum si Presbyter, de quo in hoc capite agitur, conjugatus erat.*

(7) Distinctione 96. capitis 8. *In scripturis.* in eodem libro inscriptio est: *Idem* (Nicolaus) *Ludovico Imperatori.* In margine est: *Habentur aliqua in ead. epist. ad Michaëlem.*

(8) Ante caput quartum *Nulla ædificia.* 12. q. 1. hæc in eodem libro verba sunt: *Vnde Nicolaus Papa.* Et in margine: *In Concil. Salegunst. c. 12. Ivo p. 15. c. 178.* Et in Notis: *Ferè eadem leguntur in Concilio Salegunstadiensi c. 12. quod habetur in fine Collectionis Burchardi, & refertur ab Ivone par. 15.* Vox *Clericorum* edita est.

(9) De inscriptione capitis 22. *De rebus.* 12. q. 1. scriptum est addit. 1. hujus dialogi.

(10) Inscriptio capitis sexti *Sicut antiquitus.* 17. q. 4. in eodem libro hæc est: *Item Nicolaus Papa omnibus Episcopis.* In margine hæc sunt: *Inter decreta Nicolai in codice Ormanetti. Ans. l. 5. c. 74. Ivo p. 3. c. 164. Pan. l. 2. c. 81.* Ad voces XL. *passus* additur: *Al.* IX. Et ad illa, *confinia earum*, additur; *Al. eorum.*

(11) Capitis 24. *A quodam.* de consecr. dist. 4. inscriptionem vide lib. 1. dialo. 18. additione prima. Capitis 57. *Catechismi.* eadem distinctione inscriptio est: *Item Nicolaus Papa.* In margine est: *Ivo par. 1. c. 82. Pann. l. 1. c. 40.*

DE EADEM RE.

Dialogus decimusoctavus.

B. NON mihi videtur omnia Nicolai Pontificis capita quæ à Gratiano relata sunt Joannes Cochlæus collegisse. A. Quid ita? Habésne aliam meliorem collectionem? B. Nullam habeo. Sed ex his quæ à te dicta sunt elicio aliquot eum capita prætermisisse; ut de illis taceam quæ falsò Nicolao inscribuntur. C. Ex indice incertorum capitum à Petro Ciacone missò poterunt fortasse alia inveniri. A. Rectè admones. Id à vobis alio die fieri potest. Sed nos priùs quod cœpimus peragamus. Caput primum tituli de pœnitentia apud Gratianum est inscriptum: *Nicolaus Frontario Archiepiscopo Burdegalensi.* In Pœnitentiali Romano nuper edito Nicolai tantùm nomen exstat, & pleniùs quædam scripta sunt. Quid aliud Romæ inventum est? B. Nihil aliud accepi. (1) Est igitur incertum, ut quod sequitur *De his verò qui pro criminibus a*, in quo has varias scripturas notant selecti viri. *revertuntur* pro *convertuntur*, & *regionis* pro *religionis*. A. Placent. (2) De tertio capite dicendum est, cujus initium *Interfectores b*. Id sumptum dicitur ex epistula missa Radulpho Bituricensi Archiepiscopo, ut Ivo *c* & Gratianus referunt. idémque est in libro Cæsaraugustano *d*. B. Hoc etiam

11. *q.* 2. *c.*17. De viro. Pœnit *Roman. tit.*8. *c.* 18.

a 26. *q.* 7. *c.* 3. De his.

b 33. *q.* 2. *c* 5. Interfectores. c *Ivo lib.* 7. *tit.* 2. *c.* 2. *Panorm. & par.* 8. *c.*125. *decret.*

d *Cæs. lib.* 10. *c.* 97.

caput incertum est. C. Quid est quod dicitur in hoc capite, *Beati Leonis Papæ XXV. regula decretalium?* A. Ex Corpore canonum discere id licet. Est autem in eo caput XXV, quod in libris Conciliorum est caput XII, epistulæ XC. ad Rusticum Narbonensem, cujus initium: *In adulescentia e.* Capitis quarti initium est *Latorem f.* Inscriptio apud Burchardum *g* est: *Nicolaus Radoldo Episcopo sanctæ Argenteæ Retensis Ecclesiæ.* quod, licèt sit in edito & in veteri libro, mendosum esse credimus, & scribendum: *Argentoratensis Ecclesiæ.* Apud Ivonem *h*, est, *ad Radulphum.* cetera ut apud Burchardum. *Radaldo* est apud Anselmum *i*, *Rodulpho* in libro Tarraconensi *k*, *Ratholdo Episcopo sanctæ Ecclesiæ Argentoratensis* apud Gratianum. *Radulpho* placuit Cochlæo. Nihil mutant Demochares & Contius. Quid habeant selecti viri, à te audire aveo. B. Nihil inveni præter variam scripturam aliquot verborum. Caput quintum *Si quis cum duab. l* conjungitur superiori cum hac inscriptione: *Idem.* Apud Ivonem *m* ita inscriptum invenio: *Nicolaus Carolo Archiepiscopo & ejus suffraganeis.* & in margine: *Idem habet Concilium Vormacien. cap.* XXXIII. Id melius est quàm quod Cochlæus inscripsit: *Ad consulta Bulgarorum.* C. Idem error est qui in aliis deprehensus est, ut quæ Concilij Vormacienſis sint, dicantur esse Nicolai ad Carolum. A. De alio capite ejusdem Concilij Nicolao adscripto in tituli XIX. censura videbimus. (3) Tituli XIIX.

e *c.* 14. In adulescentia. *e q.* 2.

f *c.* 15. *e. q.* Latorem.

g *Burc. lib.* 6. *c.* 46.

h *Ivo par* 10. *cap.* 73. *decr.*

i *Ans. lib.* 11. *c.* 50.

k *Tarrac. lib.* 1. *c.* 2, 4.

l *c.* 16. *e. q.* Si quis.

m *Ivo par.* 9. *c.* 31. *decr.*

XIIX. de matrimonio capita novem sunt. Primi initium est *Sufficiat solus* n. quod sumptum esse scimus ex capite tertio ad consulta Bulgarorum, licèt apud Ivonem o aliam habeat inscriptionem, & in libro Cæsaraugustano. p. Nicolai tantùm nomen habet apud Anselmum q & Gratianum. Verba Nicolai sunt hæc: *Sufficiat secundùm leges solus eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur. qui consensus si solus in nuptiis fortè defuerit, cetera omnia etiam cum ipso coïtu celebrata frustrantur.* De aliis verbis Nicolai aliud erit dicendi tempus. (4) Alterius capitis, cujus initium est *Scripsit nobis* r, inscriptio apud Gratianum & Anselmum s est: *Nicolaus Papa.* Apud Burchardum t additur: *in epist. ad Carolum Regem.* item apud Ivonem u & in libro Cæsaraugustano x. Regem Francorum vocat Cochlæus. Alibi apud eundem Ivonem y inveni partem hujus capitis *Nam licèt sit scriptum &c.* habere hanc inscriptionem: *Nicolaus ad Lotharium.* Apud Burchardum z quoque, licèt sub eadem inscriptione, aliis verbis conjunguntur hæc, quæ sunt longè à superioribus divisa. B. Ita est ut dicis. Namque apud Gratianum ex epistula ad Carolum Regem, cujus initium *Nunquam* vel *Nil æquè*, sumitur prior pars ejus capitis; posterior verò ex epistula ad Lotharium Regem *Audito*, quæ in historia Reginonis etiam relata est. Et si quis attentè verba consideret, videbit in priori parte Lotarij fieri mentionem, & in posteriori ad eundem

n 27. q. 2. c. 2. Sufficiat.

o *Ivo lib. 6. tit. 8. c. 6. Panorm. & par. 8. c. 170. decr. & epist. 130. & 143. & 241.*

p *Cæs. lib. 10. c. 27.*

q *Ansel. lib. 10. c. 30. in Rom.*

r c. 25. e. q. Scripsit.

s *Ans. lib 10. c. 21.*

t *Burc. lib. 9. c. 49.*

u *Ivo lib. 6. tit. 5. c. 3. Panorm. & par. 8. c. 128. decret.*

x *Cæs. lib. 10. c. 99.*

y *Ivo c. 9. e. tit. 5. pan. & c. 188. e. par. 8. d. c.*

z *Burc. d. lib. 9. c. 53.*

verba illa dirigi, *mutuam separationem vestram prohibemus.* Initio pro *Theberga, Theuperga* scribendum; & pro illis *se regia dignitate &c.* illic est *regia se velle exui dignitate seu copula:* & pro *esse contentum*, scribendum, *fore contentam*; & pro *elegerit, elegisset.* (5) A. Capitis tertij, cujus initium *Vbi non est*, inscriptionem non aliam inveni quàm hanc *Nicolaus Papa*, apud Ivonem *a* & Gratianum *b* & Bernardum Papiensem *c* & Raimundum. Fontem tu nobis ostendes, B. Nili fontibus obscurior est. (6) A. Sequitur caput quartum *Nostrates tam mares d*, quod est sumptum ex capite tertio ad consulta Bulgarorum. quod Ivoni *e* & Gratiano haud fuit ignotum. Idémque est in libro Cæsaraugustano *f*. Plura autem sunt in dicto capite tertio quàm in aliis collectionibus. (7) Ex eisdem responsis ad consulta Bulgarorum cap. XCVI. est caput sextum, cujus initium *Quidquid mulier*, ut etiam Gratianus *g* & Ivo *h* notant. Sed pleniùs in archetypo scriptum est. Sic enim illic est: *Quidquid mulier tua contra te cogitaverit aut fecerit, vel si tu accusaverit &c.* Et in fine desiderantur hæc: *Quæ est, Apostolo præcipiente i, sicut à Christo Ecclesia diligenda &c.* (8) Caput IX. *Nec uxorem ducere k* ex eisdem responsis est cap. XLIIX. Sic etiam Ivo *l* & Gratianus & liber Cæsaraugustanus *m* inscripserunt. Scriptum autem illic est, *nullatenus arbitramur*, pro *ullo modo arbitror.* (9) Redeo nunc ad caput quintum, cujus initium *Lotarius Rex*,

a *Ivo lib. 6. tit. 11. c. 3. Panor.*
b *30. q. 2. c. un.*
c *c. 4. De despo. impu. in 1. coll. c. 2. e. tit. apud Greg. IX.*
d *30. q. 5. c. 3. Nostrates.*
e *Ivo lib. 6. tit. 1. c. 9. Panorm. & par. 8. c. 6. dec.*
f *Cæs. lib. 10. c. 7.*
g *32. q. 5. c. 22. Quidquid.*
h *Ivo par. 8. c. 228. decret.*

i *Eph. 5.*

k *33. q. 4. c. 11. Nec uxorem.*
l *Ivo lib. 6. tit. 1. c. 3. Panorm. & par. 8. c. 47. decret.*
m *Cæs. lib. 10. c. 26.*

Id caput hanc inscriptionem habet apud Gratianum *n*: *Nicolaus Radualdo Portuensi & Joanni Sicolienſi Epiſcopis. Phicolenſi* pro *Sicolienſi* est apud Ivonem *o*, *Ficulenſi* in veteri Gratiani libro. Quid tu auxilij adfers? B. Pro *Joanni* scribi posse *Haganoni*, ex Reginonis Chronicis. Sic enim illic est: *Anno dominicæ incarnationis* DCCCLXV. *missi sunt Hagano & Rodoaldus apostolicæ sedis Legati in Galliam &c.* Quod verò dicitur, *Lotarius Rex in commonitorio profitetur*, mendosum esse putatur. Namque illud commonitorium non Regis fuit, sed Pontificis ad Regem. Itaque selecti viri putant ex inscriptione decidisse eam vocem, & post vocem *Episcopis* scribendum *in commonitorio*. & mox: *Lotarius Rex profitetur*. A. Ecclesiæ nomen mendosum videtur; & cetera incerta sunt. (10) Caput septimum, cujus initium *Hi qui matrimonium p*, ita inscripsit Gratianus: *Nicolaus ad Carolum Maguntien. Epiſcopum. Mogun.* pro *Maguntien.* est apud Burchardum *q*, *Magontienſem* apud Ivonem in Panormia *Maguntien.* in excerptionibus *r*. *Magnonenſem* est in libro Tarraconensi *s*. At in Cæsaraugustano *t* & apud Anselmum *u*, Nicolai tantùm nomen. Apud Cochlæum est: *Carolo Maguntinenſi Archiepiſcopo*. Fons est, *Interpres Iulij Pauli libro ſecundo ſententiarum titulo* XIX. Est autem scribendum: *Si qui*, non *Hi qui*. (11) Caput octavum, cujus initium *Inter hæc*, hanc habet apud Gratianum inscriptionem: *Nicolaus Alvino Archiepiſcopo*. Eadem est

n 31. q. 2. c. ult.

o Ivo par. 8. c. 334. decret.

p 32. q. 7. c. 25. Hi qui.

q Burc. lib. 9. c. 28.

r Ivo lib. 6. tit. 6. c. 8. Panorm. & par. 8. cap. 166. decr.

s Tarr. lib. 1. c. 233.

t Cæs. lib. 10. c. 75.

u Anſ. lib. 10. c. 25.

33. q. 2. c. 6. Inter hæc.

apud Ivonem in utraque collectione. Sed alia quoque in excerptionibus x est : *Nicolaus Carolo Archiepiscopo & ejus suffraganeis.* De his inscriptionibus dictum est ; & quædam capita in Vormacienſi Concilio inventa sunt. B. Ita est ut dicis. Hujus tamen capitis sententia illic non est. A. Est igitur in incertis numerandum. B. Ita planè existimo. (12) A. De duobus reliquis titulis alio die agemus.

Ivo lib. 7. tit. 2. cap. 1. pan. & par. 8. cap. 333. decr.
x *Idem d. par. 8. c. 124.*

ADDITIONES.

(1) GRATIANI verba sunt in Romano libro ante caput 17. *De viro nefando.* 12. q. 2. *Nicolaus Papa definit scribens Frontario Archiepiscopo Burdegalensi.* In Notis est : *Caput hoc alibi non est inventum quàm in collectione canonum incerti auctoris.*

(2) Quod attinet ad caput 3. *De his verò.* 26. q. 7. ejus inscriptio est in eodem libro : *Item Nicolaus Papa.* In margine est ad vocem *egerunt, Al. gerunt. aliquot manusc.* & ad vocem *religionis, al. regionis. aliquot manusc.*

(3) Hæc etiam inscriptio est, in eodem libro, capitis 5. *Interfectores.* 33. q. 2. *Vnde Nicolaus Papa scribit Rodulpho Bituricensi Archiepiscopo.* In margine est: *Sent. 4. dist. 38. Ivo p. 8. c. 125. Pann. l. 7. c. 15.* Ad verba, *Leonis Papæ XXV. regula*, additur : *Infrà eadem, In adolescentia. Sent. ibid.* Et in Notis : xxv.] *Hoc eodem numero habetur in codice canonum inter decreta seu regulas Leonis.* Capitis 14. *In adolescentia,* eadem quæstione inscriptio est : *Item Leo Papa ad Rusticum epistola 90. al. 92. c. 11.* Et capitis 15. *Latorem.* eadem quæstione hæc inscriptio est : *Item Nicolaus Papa Rhatoldo Episcopo sanctæ Ecclesiæ Argentoratensis.* In margine hæc sunt : *Al. Rodulpho. Polyc. l. 6. tit. 10. Anselm. l. 11. c. 52. Burchard. l. 6. c. 46. Ivo p. 10. c. 137.* Et vers. *Si autem : Vide Rhenatum ad finem Tertulliani operum.* Ad vocem *conversionem* additur : *Al. conversationem.* In Notis est : *Pœniten-*

tia parricidarum, quæ hic præcipitur, habetur in Concilio Vuormacienſi. c. 30. Capitis 16. *Si quis cum duab.* eadem quæſtione pro inſcriptione eſt vox *Item.* Et in margine: *Al. Idem.* Et: *In Concilio Vuormacienſi c.* 33. *idem habetur.* Et in Notis: *Ivo citat hoc, quemadmodum & ſequens, ex Nicolao ad Carolum Archiepiſcopum & ejus ſuffraganeos. Idem verò habetur in Concilio Vuormacienſi c.* 33. *niſi quòd pro illis verbis,* lapſa, ut fornicationis non perducatur ad chaos, *in eo legitur,* lapſa fornicationis, liceat.

(4) Ante caput ſecundum *Sufficiat.* 27. q. 2. in eodem libro hæc verba ſunt: *Item Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum c.* 3. In margine eſt: *Sent. ibidem.* (hoc eſt, *Sent.* 4. *diſt.* 27.) Et in Notis: *Emendatum eſt caput hoc ex ipſis Nicolai reſponſis.*

(5) Eadem quæſtione, capitis 26. Romanis, *Scripſit nobis Thietberga,* in eodem libro inſcriptio eſt: *Item Nicolaus Papa Carolo Regi.* In margine eſt: *Sent. ibidem.* (hoc eſt, *Sent.* 4. *diſt.* 27.) *Anſ. l.* 10. *c.* 21. *Burch. l.* 9. *c.* 49. *Ivo p.* 8. *c.* 128. *&* 188. *Pann. l.* 6. *c.* 77. Et in Notis: *Scripſit*] *Vſque ad verſ.* (ſcribe *verb.*) elegerit *ſunt ex epiſtola Nicolai primi Carolo Regi ſcripta, cujus initium eſt* Nunquam dolorem, *& extat in codice monaſterij Dominicanorum. Nam licèt*] *Hæc uſque ad finem ſunt ex epiſtola ejuſdem Nicolai ſcripta Lothario, cujus initium eſt* Audito revertente Miſſo noſtro, *& extat in eodem codice.* Ante verſ. *Nam licèt ſit,* additur: *Et in altera epiſtola ad Lotharium Regem.*

(6) Gratianus ante verba capitis unici 30. q. 2. his verbis utitur: *Teſtatur hoc idem Nicolaus Papa dicens: Vbi non eſt &c.* In Notis: *Vtraque*] *Sic eſt emendatum ex pleriſque vetuſtis, cùm antea legeretur, alterutra. Vtriuſque enim conſenſus neceſſarius eſt.* Et poſtea: *In Decretalibus tit. de deſponſatione impub. c.* 2. *habetur initium hujus capitis; & adjiciuntur alia ex eo Nicolai reſcripto. Conſentiat*] *In vulgatis codicibus ſequitur,* nec eſt conjugium niſi ſit conſenſus utriuſque. *quæ verba abſunt à pleriſque manuſcriptis.* In margine eſt: *Extrà de deſpon. impub. c.* 2. *Pann. l.* 6. *c.* 122. Capitis 2. *Vbi non eſt,* de deſpon. impub. in-

ſcriptio eſt : *Nicolaus Papa.* In margine eſt : *Cap. 4. eo. tit. in 1. compil. Pannormia lib. 6. tit. 11. c. 3. ſive c. 122. Gratianus 30. q. 2. c.* Ubi non eſt.

(7) Inſcriptio capitis tertij *Noſtrates. 30. q. 5.* in libro Romano hæc eſt : *Item Nicolaus ad conſulta Bulgarorum c. 3.* In margine eſt : *Ivo par. 8. c. 6. Pann. l. 6. c. 9.*

(8) Capitis 22. *Quidquid. 32. q. 5.* in eodem libro inſcriptio eſt : *Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum c. 96.* In margine eſt : *Ivo par. 8. c. 228.* Et in Notis : *Quæ eſt] Hæc uſque ad finem addita ſunt ex ipſis reſponſionibus.* In margine eſt : *Eph. 5.*

(9) Hæc etiam eſt in eodem libro inſcriptio capitis 11. *Nec uxorem. 33.* quæſt. 4. *Item Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum c. 48.* Et in margine eſt: *Sent. ibidem* (hoc eſt, *Sent. 4. diſt. 32.) Ivo p. 8. cap. 47. Pann. l. 6. c. 3.*

(10) Extremi capitis 31. q. 2. in eodem libro inſcriptio eſt hæc : *Item Nicolaus Radoaldo Portuenſi & Ioanni Ficolenſi Epiſcopis : Lotharius Rex (in commonitorio) profitetur &c.* In margine eſt : *Ivo p. 8. c. 334.* Et in Notis : *In commonitorio] Hæc verba videntur accipienda quaſi pro titulo, & ſejuncta à cæteris, ut indicetur caput hoc ſumptum eſſe ex commonitorio quod Nicolaus Legatis ſuis Rodoaldo Portuenſi & Ioanni Ficolenſi Epiſcopis dederit. Nam totius capituli verba ſunt ipſius Nicolai Legatos monentis quomodo ſe in ea cauſa gerere debeant. Datum verò ab eo fuiſſe commonitorium his ipſis Legatis Nicolaus in epiſtola ad Epiſcopos in Convicinum congregatos in appendice bibliothecæ ſanctorum patrum teſtatur his verbis:* Porrò quid de Lotharij &c. *Cùm nec etiam] Hæc verba non ſunt hoc loco apud Ivonem; ſed paulò ſuperiùs, poſt illa verba* admiſiſſe ſe dicit, *multa interjiciuntur, in quibus & hæc continentur, licèt alio ordine. Sed ob gloſſam non eſt mutatum.*

(11) Ante caput 25. *Hi qui. 32. q. 7.* in eodem libro hæc verba ſunt : *Item Nicolaus ad Carolum Moguntinenſem Epiſcopum.* In margine eſt : *L. 2. ſent. Paulli tit. 19. in interpretatione legis 4. in Co. Theod. Sent. 4. diſt. 34. Ar. l. 10. c. 27. Burc. l. 9. c. 28.*

Pol. l. 6. tit. 4. Ivo par. 8. c. 166. Pann. l. 6. c. 93. Inscriptio capitis 26. *Neque furiosus.* eadem quæstione est: *Item Fabianus Papa.* In margine est: *Paullus ibidem. Sent. ibid. Polyc. ibdem* (scribe *ibidem*) *Anselm. l. 10. c. 28. Buro. l. 9. c. 30. Ivo par. 8. c. 168. Pann. l. 6 c. 92.*

(12) In eodem libro inscriptio capitis 6. *Inter hæc.* 33. q. 2. hæc est: *Hinc idem Nicolaus scribit Albino Archiepiscopo.* In margine hæc sunt: *Sent. ibidem* (hoc est, *sent. 4. dist. 38*) *Polyc. l. 6. tit. 10. Ivo p. 8. c. 124. & 333. Pann. l. 7. c. 14.* Vide dialogum 17. hujus libri additione tertia.

DE EADEM RE.

Dialogus Decimusnonus.

A. UT suave est navigantibus, post varias multorum dierum agitationes, è longinquo portum videre, aut patriæ suæ mœnia atque turres adgnoscere, sic mihi videor non injocundè portum videre post nostræ peregrinationis cursum atque sermonum quibus de Nicolai incertis capitibus egimus, cùm hodie undecim capitibus discussis, quæ reliqua sunt, finem facere licebit. Namque titulus XIX. de impedimentis matrimonij sex habet capita, XX. titulus de bellis quinque. Primum igitur caput prioris tituli, cujus principium est *Nosse desideras a*, ita inscribitur apud Gratianum *Nicolaus Salonitano Episcopo. Salomonitano* apud Ivonem *b* in Panormia edita, *Salemonio* in veteri & in excerptionibus. *Saleminio* est in libro Cæsaraugustano *c. Nicolaus ad Salemoniam* in Tarra-

a 30. q. 1. c. 3. Nosse.
b *Ivo lib. 6. tit. 11. c. 5. Panor. & par. 1. c. 136. dec.*
c *Cæs. lib. 10. c. 71.*

d *Tarrac. lib. 6. c. 132.*
e *30. q. 4. c. 1.*
f *Ivo lib. 7. tit. 9. c. 1. Panorm. & par. 1. c. 137. & par. 9. c. 35. decr.*
g *Cæs. lib. 10. c. 131.*
h *Tarrac. lib. 6. c. 268.*
i *30. q. 1. c. 6. De his.*
k *Ivo lib. 6. tit. 11. c. 7. Panorm. & par. 1. c. 304. decr.*
l *Cæs. lib. 10. c. 135.*
m *30. q. 3. c. 1. Ita.*
n *Ivo lib. 6. tit. 11. c. 4. Pan & par. 1. c. 135. & par. 9. c. 34. decr.*
o *Ans. lib. 10. c. 72. in addit.*
p *Cæs. lib. 10. c. 130.*
q *Gal. 5. c.*

conensi *d.* (1) Sed & fortasse verior est inscriptio capitis quarti *Sciscitatur e, Salomoni Constantiensi Episcopo*; quæ tam apud Gratianum quàm apud Ivonem *f* in utraque collectione & in libro Cæsarauguſtano *g* exstat, quamvis in Tarraconensi *h* vox *Constantiensi* desideretur. B. Non displicet conjectura. Sed utrumque caput incertum est etiam selectis viris. (2) A. Capitis secundi, cujus initium *De his qui filiastros i*, inscriptio apud Gratianum est: *Nicolaus Papa Rodulpho Bituricensi Episcopo.* & apud Ivonem *k* non dissimilis est. *Archiepiscopo*, pro *Episcopo*, est in Cæsarauguſtano *l* & apud Cochlæum. B. Hoc etiam caput in incertis numeratur. (3) A. Quod sequitur, *Ita diligere debet m*, exstat in responsis ad consulta Bulgarorum capite secundo; idque etiam adfirmant Ivon & Anselmus *o* & Gratianus & Cæsarauguſtanus liber *p*, licèt in numero capitis errent. Sed in verbis referendis multùm sibi sumunt, cùm alia omittunt, alia adscribunt, alia breviùs dicunt. Nos id tantùm dicamus quod pro illis est: *Item. Est inter fratres & filios spirituales gratuita & sancta communio &c. Nulla verò inter eos & filios eorum consanguinitas est, quoniam spiritus ea quæ sanguinis sunt nescit. Caro enim, secùndum Apostolum q, concupiscit adversùs spiritum. Hæc enim invicem adversantur. Est tamen alia inter eos gratuita & sancta communio &c.* Ex his verbis apparet non rectè *inter fratres* apud Gratianum scribi, sed *inter patres* esse scriben-

dum, ut etiam Ivo habet & liber Cæsaraugustanus. (4) Nunc ad quintum caput veniamus, cujus initium est *Si quis cum matre r*, quod Nicolao adscribitur ab Ivone *s* & Gratiano. Sed Gratianus non adjecit ex qua epistula. Ivo addit *ex epistula missa Carolo Archiepiscopo & ejus suffraganeis*. Hodie existat in Concilio Vormacienſi cap. XXXIV. quod rectè in margine Ivonis est adscriptum. Est autem in eo Concilio & apud Ivonem scriptum: *Si quis cum commatre spirituali fuerit fornicatus, usque ad dignam pœnitentiam anathematis percutiatur ictibus.* (5) Capitis sexti, cujus initium *De consanguinitate t*, inscriptio est apud Gratianum hæc: *Nicolaus Papa Amalphitanæ Ecclesiæ suffraganeis.* Sed verius est scribendum esse: *Nicolaus secundus in Concilio Romano* CXIII. *Episcoporum.* (6) Extremi tituli de bellis caput primum *Monomachiam u* Gratianus inscripsit *Ex decretis Nicolai Papæ.* Ivo *x* quoque in excerptionibus & in epistulis solum Nicolai nomen adscripsit. Burchardus *y* videtur ad epistulam ad Carolum Regem referre. Tu nobis certiora ostendes. B. In epistula ad Carolum Regem, cujus initium *Nil æque* sive *Nunquam æquè*, verba ejus capitis sunt, quæ ita scripta leguntur: *Monomachiam verò in lege assumi nusquam præceptum fuisse reperimus: quia licet quosdam iniisse legerimus &c.* (7) A. Caput secundum, cujus initium est *Quin etiam præfato z*, pars est capitis *Auctoritatem*, de quo diximus *a* cùm de titulo

r 33. *q.* 2. *c.* 17. Si quis.

s *Ivo lib.* 7. *tit.* 9. *c.* 2. *Pan. & par.* 1. *c.* 138. *& par.* 9. *c.* 56. *decr.*

t 35. *q.* 2. *& c.* 17. De consanguinitate.

u 2. *q.* 5. *c.* 22. Monomachiam.

x *Ivo par.* 8. *c.* 187. *decret. & epist.* 68. *vel* 31. *ad Cenomanen. Episc. & epist.* 200. *vel* 74. *ad Gulliel. militem.*

y *Burch. lib.* 9. *c.* 51.

z 15. *q.* 6. *c.* 2.

a *Dial.* 13.

quarto ageremus. (8) Tertium caput, *Omnium vestrum* b, hanc habet apud Gratianum inscriptionem: *Nicolaus exercitui Francorum.* Apud Ivonem c in excerptionibus Leoni quarto in epistula missa exercitui Francorum adscribitur; ex qua aliud caput est apud Gratianum d. In Panormia Ivonis e Alexandro secundo videtur adscriptum. Illud quidem certè constat, meliùs & pleniùs apud Ivonem in utraque esse collectione quàm apud Gratianum; nisi tibi aliud videatur. B. Hoc ipsum probo, nihilque habeo quod his addam. (9) A. Veniamus igitur ad quartum caput, *Si nulla urget necessitas* f, quod esse ex responsis ad consulta Bulgarorum cap. XLVI. Ivo g & Gratianus scribunt. quod mendosum est in libro Cæsaraugustano h. Si quis integrum caput legerit, alia videbit à Nicolao dicta non contemnenda. (10) Extremum caput, cujus initium est *Illi qui pregrinos* i, ita inscribunt Ivo k & Gratianus: *Nicolaus omnibus Episcopis.* Tuam de hoc capite sententiam expecto. B. In incertis collocandum esse censeo. (11) A. Nos nostrum pensum absolvimus. Vestrum est ut de aliis incertis capitibus Nicolai à Cochlæo prætermissis dicatis. B. Non multa sunt ab eo prætermissa. Initio quod à Gratiano dicitur distinctione XXIII. l *Item ex sexta synodo. Vnde Nicolaus Papa,* mendosum est; ac meliùs Ivo in Pannormia m nihil de sexta synodo scripsit. Sed ut ex Ivonis & Gratiani verbis relatis constat, à Nicolao minore synodus ea habita est Romæ anno

b 23. q. 5. c. 46. Omnium.

c *Ivo par.* 10. c. 87. *decret.*

d 23. q. 8. c. 9. Omni.

e *Ivo lib.* 8. *tit.* 4. c. 16. *Panor.*

f d. q 8. c. 15. Si dulla.

g *Ivo lib.* 8. *tit.* 4. c. 23. *Panorm. & par.* 10. c. 93. *decr.*

h *Cæs. lib.* 7. c. 11.

i 24. q. 3. c. 25. Illi qui.

k *Ivo lib.* 5. *tit.* 3. c. *ult. Panor.*

l *Dist.* 23. c. 1.

m *Ivo lib.* 3. *tit.* 1. c. 1. *Panor.*

Christi MLIX. in qua fuerunt Episcopi octuaginta sex. Fit etiam in ea mentio Henrici Imperatoris & Stephani Pontificis. quæ à primo Nicolao aliena sunt. Rectè igitur Democharis Nicolao minori adscripsit id caput, & Cochlæus omisit id in Nicolai primi capitibus. (12) De alio capite omisso distinctione XXVII. *n* à te dictum est *o*. Tertium caput est distinctione XXXIII. cujus initium *Clerici qui p*. id in incertis numerant selecti viri. Quarti capitis mentio à te facta est *q*, cujus initium est *De his Clericis r*. (13) De quinti capitis inscriptione hodie actum est, licèt cum aliqua varietate scripta sit apud Gratianum caussa XV. quæstione quinta extrema *s*; *Nicolaus Soloni Constantiensi Episcopo*. Apud Ivonem *t* est *Salomoni* pro *Soloni*, tam in excerptionibus quàm in epistula ad Hildebertum Cenomanensem Episcopum. Sine inscriptione est in libro Cæsaraugustano *u*. (14) Sextum caput *x* falsò Nicolao primo adscribitur. Est enim Nicolai secundi in Concilio Romano, quod exstat, CXIII. Episcoporum. Hæc etiam verba Alexandri secundi esse dicuntur apud Gratianum *y* & in libro Cæsaraugustano *z*. (15) Caput septimum nomen Nicolai habet apud eundem Gratianum *a*. *Ex Concilio Arausico* est apud Anselmum *b*. quod illic non inveni. Incertum igitur relinquatur. (16) Duo his capita *c* addimus, quæ in magna epistula ad Michaëlem Imperatorem, de qua sæpius dictum est, inveniuntur. Sed eorum alterum

n *Dist.* 27. *c.* 7. Nam si.
o *Dial.* 17. *lib.* 1.
p *Dist.* 33. *c.* 4. Clerici.
q *e. dial.* 17.
r *Dist.* 50. *c.* 6. De his.

s 15. *q.* 5. *c. ult.*

t *Ivo par.* 6. *c.* 122. *decr.* & *in epist.* 201. *sive* 77.

u *Cæs. lib.* 15. *c.* 36.
x 16. *q.* 2. *c.* 3. Præcipimus.

y *Dist.* 32. *c.* 6. Præter. *in fine*
z *Cæs. lib.* 8. *c.* 44.
a 16. *q.* 5. *c.* 1.
b *Ans. lib.* 5. *cap.* 9. *in Rom.*

c 24. *q.* 1. *c.* 36. Apertè. & *c.* 37. Miramur.

adscribunt Gratianus & Ivo *d* Nicolao ad clerum Constantinopolitanum, alterum solum habet Nicolai nomen apud Gratianum. Rectè Democharesnotat, in posterioris margine, unde id sumptum sit. A. Magna pars exstat in Concilio Ephesino. B. Ita est ut dicis. (17) Ad extremum duo etiam capita videntur esse omissa, quæ Gratianus posuit caussa xxxv. quæstione ix. *e* quorum alterum incipit *Apostolicæ sedis*, idque Gregorio inscriptum est; alterius initium est *Sententiam Romanæ sedis*, quod rectè Democharesait esse sumptum ex epistula ad Michaëlem Imperatorem. quod etiam apud Ivonem *f* & Anselmum *g* notatur. Illud non Gregorij est, sed Nicolai in epistula ad omnes Episcopos in Ludovici regno existentes, cujus initium *Gaudemus*, & in epistula ad Ludovicum Regem, cujus initium est *Epistulam serenitatis vestræ*. Ex quibus pro illis verbis, *tanta patientia & maturitate decoquitur*, scribendum est: *tanta sapientiæ maturitate decoquitur*. & pro illis, *ut nec immutari*, scribendum: *ut retractatione non egeat, nec immutari*. (18) Hæc sola sunt à nobis inventa, quæ dedita fortasse opera, aut, ut fit, humana negligentia prætermissa sunt. A. Gratum mihi fuit quod dixisti. Alio die de non editis Hispaniæ Conciliis agemus.

d *Ivo lib.* 5. *tit.* 5. *c.* 12. *Panorm. & par.* 14. *c.* 59. *decr.*

e 35. *q.* 9. *c.* 4. Apostolicæ *& c.* 6. Sententiam.

f *Ivo lib.* 5. *c.* 19. *decr.*

g *Ans. lib.* 1. *c.* 72.

ADDITIONES.

(1) GRATIANI verba sunt in editione Gregoriana, ante caput 3. *Nosse desideras.* 30.

q. 1. *E contrà verò scribit Nicolaus Salonitano Episcopo dicens.* Et in margine est: *Al. Salamonio. Sent. 4. distin. 42. Ivo p. 1. c. 136. Pan. lib. 6. c. 124. Dist. 18.* Si quis docuerit. *& dis. 31.* Quicumque.

(2) Eadem caussa quæst. 4 ante caput 1. hæc verba sunt in eodem libro: *Vnde Nicolaus Papa scribit Constantiensi Episcopo Salomoni. Sciscitatur à nobis &c.* In margine est: *Sent. ibidem* (hoc est, *Sent. 4. dist. 42*) *Ivo p. 1. c. 137. & p. 9. c. 35. Pann. l. 7. c. 63.*

(3) Quod attinet ad caput 6. *De his qui. 30. q. 1.* in libro Romano ita inscribitur: *Item Nicolaus Papa Rodulpho Bituricensi Episcopo.* In margine est: *Ivo p. 1. c. 304. Pann. l. 6. c. 126.*

(4) Caput primum 30. q. 3. in eodem libro ita inscriptum est: *Nicolaus Papa respondens ad consulta Bulgarorum c. 2. testatur ita dicens. Ita diligere debet &c.* In margine hæc sunt: *Sent. 4. dist. 42. Ivo p. 2. c. 135. & par. 9. c. 34. Pann. l. 6. c. 123. Ivo serm. 1. de rebus ecclesiasticis.*

(5) Hæc est in eodem libro inscriptio capitis 17. *Si quis cum matre. 33. q. 2. Item.* Et in margine est: *Al. Idem. In eodem Concilio* (Vuormaciensi) *c. 34. Ivo par. 1. c. 138. & part. 9. c. 36. Pann. l. 7. c. 64.* In Notis est: *Cum matre*] *Sic in Pannormia & apud Ivonem par. 9. c. 36. Sed apud eundem par. 1. c. 138. legitur:* Si quis cum commatre. *sicut etiam in Concilio Vuormacienſi. Quos enim*] *Hæc non sunt in Vuormacienſi neque apud Ivonem, sed ferè eadem in Pannormia.*

(6) Ante caput 17. *De consanguinitate. 35. q. 2. &* 3. in eodem libro hæc verba sunt: *Item Nicolaus Papa II. Amalphitanæ Ecclesiæ suffraganeis.* In margine est: *Habetur in synodo Episcopor. 113. in basilica Constantiniana c. 11. & 12. Sent. ibidem* (hoc est, *Sent. 4. dist. 40.*)

(7) Inscriptio capitis 22. *Monomachiam. 2. q. 5.* in eodem libro hæc est: *Item ex decretis Nicolai Papæ.* In margine hæc sunt: *Burc. l. 9. c. 51. Ivo p. 8. c. 187.* Ad illa verba, *in lege non assumimus*, additur: *in legem assumi nusquam præceptum reperimus. orig.* In Notis est: *Epistola scripta Carolo Regi patruo Lotha-*

rij (ex qua caput hoc est acceptum) extat Romæ in tabulario sæpe citato monasterij Dominicanorum: in qua inter alia refertur Lotharium, cùm scire vellet an Theuperga sive Thietberga (ut vocat Rhegino) ipsius uxor adulterium patrasset, voluisse duos homines monomachiam committere; ita ut si ille qui partes Theupergæ tueretur caderet, ipsa planè adulterij convicta censeretur. Hócque valde reprehendit Nicolaus, docens hanc non esse legitimam rationem probandi crimina, (quamvis in Longobardicis constitutionibus & in Capitularibus habeatur) sed potiùs nihil aliud esse quàm Deum tentare. Addit verò denegatam fuisse à Lothario Theupergæ justam purgationem his verbis: Sed de adulterio illa coram Missi nostri præsentia purgare se voluit: sed ipse non annuit. *Totam hanc historiam describit Rhegino lib. 2. Chronicorum. Ex his verò ostenditur rubricam hujus capitis apud Gratianum nimis esse generalem; quippe cùm Nicolaus hoc tantùm voluerit demonstrare, non esse utendum monomachia ad purgationem.*

(8) De inscriptione capitis 2. *Auctoritatem.* 15. q. 6. scriptum est dialogo 13. hujus libri, additione septima.

(9) Capitis 46. *Omnium.* 23. q. 5. in eodem libro inscriptio est: *Item Nicolaus exercitui Francorum.* In Notis additur: *Ivo parte* 10. *c.* 87. *vers.* omnium vestrum. *hoc idem citat ex epistola Leonis quarti ad exercitum Francorum, ubi etiam affert id quod infrà ead. q.* 8. *c.* Omni timore. *ex eodem Leone refertur.* In margine est: *Ivo par.* 10. *c.* 87. *Pann. l.* 8. *c.* 30. Capitis 9. *Omni timore.* 23. q. 8. inscriptio est: *Idem* (hoc est, Leo quartus) *exercitui Francorum.* In margine est: *Pann. l.* 8. *c.* 30. Addi debuit: *Ivo p.* 10. *c.* 87.

(10) Eadem quæst. 8. cap. 15. *Si nulla.* in eodem libro inscriptio est hæc: *Item Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum c.* 46.

(11) Ante caput 25. *Illi qui.* 24. q. 3. hæc in eodem libro verba sunt: *Item Nicolaus Papa omnibus Episcopis.* In margine est: *Pann. l.* 5. *c.* 114.

(12) Gratiani verba sunt ante caput 1. dist. 23. in

eodem libro: *Vnde Nicolaus Papa II. in Conc. Lateranenſi.* In margine eſt: *Pann. l. 3. c. 1.* In Notis: *Hujus decreti integrum exemplum eſt in vetuſtiſſimo libro abbatiæ monaſterij Farfenſis litteris Longobardicis ante annos pænè quingentos ſcripto, & alibi.* Vid. lib. 1. dial. 9. add. 7.

(13) De inſcriptione capitis 7. *Nam ſi.* diſt. 27. ſcriptum eſt dialogo 17. addit. 3. hujus libri. Et de inſcriptione capitis 6. *De his.* diſt. 50. in eodem dialogo 17. addit. 2.

(14) Poſterioris capitis, cujus initium eſt *Preſbyter.* 15. q. 5. in eodem libro inſcriptio eſt: *Item Nicolaus Salomoni Conſtantienſi Epiſcopo.* In margine eſt: *Ivo p. 6. c. 122.*

(15) Inſcriptio capitis tertij *Præcipimus.* 16. q. 2. in eodem libro hæc eſt: *Item Nicolaus Papa II. epiſt. unica c. 5.* Et in margine eſt: *diſt. 32. Præter hoc. par. Deinde.*

(16) Ejuſdem cauſſæ quæſt. 5. caput 1. hanc habet inſcriptionem in eodem libro: *Vnde Nicolaus Papa ait. Si quis Epiſcopor. &c.* In margine eſt: *Anſ. l. 5. c. 9.* Et in Notis: *Anſelmus citat ex Arauſico, in cujus 10. capite ferè idem legitur.*

(17) Capitis 36. *Apertè.* 24. q. 1. in eodem libro hæc inſcriptio eſt: *Item* (Nicolaus vel Cæleſtinus Papa) *ad clerum Conſtantinopolitanum.* In margine eſt: *Nicolaus ibidem* (eſt epiſt. 7. Michaëli Auguſto) *ex eodem Cæleſtino ad Clerum Conſtantinop.* Et: *Ivo par. 14. c. 59. Pann. l. 5. c. 135.* Et in Notis: *Hinc etiam citatur à Nicolao alia epiſtola ejuſdem Cæleſtini quæ eſt inter acta ipſius Concilij Epheſini. Intellexiſtis*] *Hic incipiunt propria Nicolai verba.* Capitis 37. *Miramur.* eadem quæſtione inſcriptio eſt: *Idem Nicolaus Papa ibidem paulò inferiùs.* In margine eſt: *In can. Apoſt. 32. al. 34. & in Conc. Antioch. c. 7.*

(18) Hæc etiam eſt in eodem libro inſcriptio capitis 4. *Apoſtolicæ.* 35. q. 9. *Item Gregorius.* In Notis eſt: *Apud Anſelmum & Polycarpum citatur ex epiſtola Nicolai Papæ ad Regem Carolum. Extat in codice ſæpe memorato monaſterij Dominicanorum in epi-*

ſtola Nicolai quæ inſcribitur ad Ludovicum Regem, & in altera ejuſdem ad Epiſcopos omnes in regno Ludovici, quæ incipit Gaudemus. In margine eſt: *Deus dedit ibidem* (hoc eſt, *p.* 1.) *Polyc. l.* 5. *tit.* 6. *Anſ. l.* 2. *c.* 69. Inſcriptio capitis 6. *Sententiam.* eadem quæſtione eſt hæc: *Item Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem in epiſtola ſeptima.* In margine hæc ſunt: *Anſ.* 1. *c.* 75. *Ivo par.* 5. *c.* 19. Et in Notis: *Voluerit*] *Sic etiam in originali impreſſo. ſed Anſelmus & Ivo habent renuerit.* Vid. dial. 13. add. 10.

DE HISPANIÆ CONCILIIS NON editis, & de aliis veteribus libris.

Dialogus vigeſimus.

C. QUÆNAM ſunt ea quæ dixiſti non edita Hiſpaniæ Concilia? A. Septem Toletana Concilia, duo Cæſarauguſtana, duo Barcinonenſia, Emeritenſe, Oſcenſe, Egarenſe, & cum his conjungitur ex Gallia, Narbonenſe. C. Præclara quidem nomina & noſtris æqualibus ac præceptoribus inaudita. nec ſat ſcio an Gratianus his unquam uſus fuerit; uno excepto Emeritenſe, quo illum mutato nomine inveniri dicebas uſum. To-
Dial. 3. *lib.* 1. letana autem, quæ Gratianus ſæpe refert, Concilia, & ex Cæſarauguſtano quædam, omnia ferè in editis voluminibus exſtant. A. Qua ratione Emeritenſe vidit & quædam Toletana non edita, potuit etiam cetera legere. Sed age videamus capita quædam ex his To-
26. *q.* 5. *c.* 13. letanis accepta. Cauſſa XXVI. quæſtione V.
Quicumque. caput illud, cujus initium *Quicumque ſacer-*
dotum,

dotum, ex Toletano Concilio sumi Gratianus fatetur. In editis Conciliis non invenies; sed in his quæ dixi non edita inventum est ex duobus capitibus duorum Conciliorum sumptum. Initium enim ejus capitis est ex Concilio Toletano XII. capite septimo. Posterior pars, cujus initium *Plerique etiam*, est ex Toletano XVII. capite quinto. Sed multa in utroque capite relicta sunt studiosis viris legenda. Pro illis, *causſa doloris cujuslibet*, illic est, *causæ cujuslibet doloris vel amaritudinis*. Pro *altare vestibus sacris* est *altare divinum vestibus sacratis*. Pro voce *accinxerit* est *accingi*, aut ut in alio libro est, *accingisse*. Sed scribendum est *accinxisse*. Pro illis, *& extingui præceperit*, plura sunt: *vel extingui præceperit, aut quodcumque lugubritatis in templo Dei induxerit, atque, quod pejus est, occasionem nutrierit unde templis Domini aut officia consueta desint aut oblatio singularis sacrificij videatur in aliquo defraudari*. Pro illis, *loci sui dignitate &c.* illic est: *ignobilitati perpetuæ mancipatus, juxta superiorem sententiam Domini, & loci sui dignitate &c.* Pro illis *Plerique etiam sacerdotum sauciati &c.* multa sunt alia prætermissa. Pro illis, *ipsum offertur sacrificium, mortis incurrat periculum*, illic est: *idipsum offertur sacrificium ipsius sacrosancti libaminis interventu, mortis ac perditionis incurrat periculum; & quod cunctis datum est in salutis remedium, illi hoc perverso instinctu, quibusdam esse expetunt in interitum*. Pro illis, *ergastulo relegentur*, pleniùs illic est, *ergastulo*

religati, excepto supremo vitæ curriculo, cunctis vitæ suæ diebus sacræ communionis eis denegetur perceptio, quia Domino se crediderunt fraudulento delibasse studio. B. Multò meliora sunt hæc, in quibus & exilij & excommunicationis pœna est, quàm illa quæ exilium tantùm continebant. (1) A. Ex Toletano XVI. capite V. illa sunt quæ Gratianus refert post aliud Emeritensis Concilij caput. Omittuntur autem multa exordij verba, ut in superioribus. Et in extremo capite, post verbum *persolvere*, additur: *nec populis sacerdotali jure occurrere, sed nec rebus &c.* & post verbum *parvipenderit* hæc adduntur: *ut quippiam exinde temerandum crediderit.* In fine sunt hæc verba non satis integra post verbum *multari: ita nempe ut postquam ab hoc excommunicationis interdicto ad ordinis sui sanctiones modis omnibus studeat adimplere.* B. In libro Michaëlis Tomasij legi cujusdam docti viri scripturam, post vocem *interdicto, liber fuerit, ad ordinis sui remeaverit locum, cunctas hujus canonis sanctiones, modis omnibus &c.* A. Magna libertate is interpres utebatur. [2] Ex capite septimo ejusdem Concilij Gratianus sumpsit extremum caput distinctionis XVIII. quod falsò Contius refert ex Toletano tertio capite decimo octavo. Varietas non magna est, his exceptis. Proillis verbis *plenissimè omnia reseret &c.* illic est *publicè omnia reserata, de his quæ eodem anno in Concilio acta vel definita extiterint plenissimè notiores efficiantur.* & post alia:

10. q. 3. c. 3. Unio.

Distin. 18. c. ult.

Quòd si quispiam ea parvipendenda crediderit, aut contemnenda delegerit, aut contra hæc inobedientia tumidus, susurratione plenus, invidia incensus, & laceratione perfunctus, nec unquam potiùs earundem definitionum extiterit fautor benevolus, sententia excommunicationis eorum mensium curriculo persistet usquequaque multatus. (3) Hæc sunt apud Gratianum propertè ex his Conciliis sumpta. Sed quia incidi in verba quædam Augustini apud Gratianum relata, quæ in Toletano Concilio XVII. cap. IV. Cypriani esse dicuntur, de his videndum censeo. Augustini verba sunt: *Frustra, inquit, quidam, qui ratione convincuntur, consuetudinem nobis obiciunt &c.* In eo Concilio est: *Itémque præcellentissimus doctor & egregiissimus martyr Cyprianus prosequens ait: Frustra qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponant &c.* Ivo Augustino eadem adscripsit. Utrumque existimo eisdem fuisse verbis usum, & Cyprianum, & Augustinum, neque in illo verbo, *inquit*, ad Cyprianum respexisse. Cypriani verba sunt in epistula ad Pompeianum: *Proinde frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt &c.* Augustini libro quarto de baptismo contra Donatistas cap. V. *Proinde*, inquit, *frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis obiciunt &c.* C. Non igitur ubi debuit, *Frustra, inquit quidam*; sed, *Proinde, inquit, frustra quidam.* neque *convincuntur*, sed *vincuntur.* Cur autem *obiciunt* habet Augustinus, *opponunt* Cyprianus? A.

Dist. 8. c. 7. Frustra.

Ivo par. 2. c. 94 & par. 4. c. 255. decr.

Memoria fortaſſe lapſus eſt, & ſententia ejuſdem verbum protulit. Ideo retinendum arbitror. (4) De aliis videamus quæ ex aliis libris non editis ſumpta ſunt. Sed quid illud eſt quod puer ad vos attulit? B. Nuntiat venisse librarium cum jure pontificio tamdiu deſiderato Gregorianæ editionis. A. Manum igitur de tabula, ut aiunt. Velim tamen interea ſcire quinam alij libri eſſent reliqui. De illis loquor de quibus agebamus nondum in vulgus editis, cum quibus Gratianus conferri potuit. B. Eos nullo ordine referam, ſed ut ut venerint in buccam. Initium faciam à ſeptimi Gregorij regiſtro, in quo præter epiſtularum libros decem multa ſunt Concilia Romæ ab eodem Pontifice habita. Succeſſit huic Victor tertius; & poſt eum Urbanus minor. Utriuſque ſynodos habes, Victoris Beneventanam, Urbani Claromontenſem, Melfienſem, Placentinam, item Paſchalis minoris duo Romana Concilia, aliud Innocentij minoris Romanum Concilium, & horum trium Pontificum Urbani, Paſchalis, & Innocentij aliquot epiſtulas. Eugenij tertij Remenſe concilium, falsò Eugenio minori à Colonienſibus inſcriptum. His omnibus antiquius eſt Concilium Ravennæ habitum ab Joanne IX. Pontifice Maximo. Item epiſtulæ aliquot Leonis minoris & Leonis quarti. Concilia provincialia Galliæ addere poſſumus, Andegavenſe, Troſleianum, Lemovicenſe, Bituricenſe, Tullenſe, Pictavienſe, atque alia hujuſmodi. Vitæ quoque addantur

Pontificum Romanorum ad Joannem XXII. Anastasij Bibliothecarij historia ex Georgio & Theophane, & interpretatio Concilij Nicæni de imaginibus & octavi CP. contra Photium. Fragmenta Hadriani Pontificis ad Carolum Magnum de imaginibus, quæ in Suriana editione desiderantur. Hæc & alia plenius in Romano Gratiani volumine & in epitome veteris juris pontificij tua cognoscentur. A. Habes igitur C. quod tantopere expetebas, juris pontificij emendationem, non ex sordidis rivulis & lacunis, sed ex ipsis fontibus splendidissimis quasi Venerem quandam è mari exorientem, quæ omnium in se oculos convertat & mirificos amores & cupiditates eliciat.

ADDITIONES.

(1) ANTE caput 13. *Quicumq.* 26. q. 5. in editione Gregoriana hæc verba sunt: *Quorum omnium maleficia nequissima Toletanum Concilium 13. condemnat dicens c. 7.* Et in Notis est: *Principium hujus capituli usque ad vers.* Plerisq. *est ex 13. Concilio Toletano c. 7. Reliqua verò sunt ex 17. Toletano c. 5. Quorum Conciliorum duo exemplaria sunt habita ex Hispania, & inde nonnulla hic emendata & addita.*

(2) In eodem libro inscriptio capitis 3. *Vnio.* 10. q. 3. hæc est: *Item ex Concilio Toletano 16. c. 4* In Notis hæc sunt: *Caput hoc est pars quarti canonis Concilij 16. Toletani, cujus duo exemplaria missa sunt ex Hispania, ex quibus nonnulla sunt in hoc capite emendata & addita. Habitum verò est Concilium hoc Aera* DCCXXXI. *cùm illud Emeritense habitum fuerit Aera* DCCIIII. *Mulctari*] *In Concilio sequitur*: ita nempe ut postquam ab excommunicationis interdicto ad ordinis sui remeaverit locum,

cunctas hujus canonis sanctiones modis omnibus studeat adimplere.

(3) Distinctione 18. capitis extremi inscriptio in eodem libro hæc est: *Vnde in Concilio Toletano 16. c. 6. Decernimus &c.* In Notis est: *Quatenus*] *In duobus exemplaribus hujus decimi sexti Concilij Toletani locus hic ita legitur:* Quatenus coram eis publicè omnia reserata, de his quæ eodem anno in Concilio acta vel definita extiterint plenissimè notiores efficiantur.

(4) Caput septimum distinctionis 8. in eodem libro ita inscribitur: *Idem* (Augustinus) *in lib. 4. de baptismo contra Donatistas c. 5. Frustrà, inquit, quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis ejiciunt &c.* In margine est: *Hic refert beatus Augustinus verba beati Cypriani in epist. ad Iubaia. Ivo p. 2. c. 94. & par. 4. c. 235.* Et vers. *Hoc planè* additur: *Hic beatus Augustinus respondet.*

FINIS.

TITULI DIALOGORUM libri prioris.

I. *De titulo libri Gratiani, & de mendis.* pag. 1.

II. *De Gratiani erratis in propriis nominibus.* 11.

III. *De eodem erratorum genere.* 21.

IV. *De eadem re.* 33.

V. *De aliis mendis Gratiani.* 46.

VI. *De Gratiani majoribus erratis.* 55.

VII. *De capitibus sumptis à sexta synodo.* 77.

VIII. *De eadem re.* 88.

IX. *De eadem re.* 100.

X. *De Martino Bracarensi, & de Martini Papæ Concilio.* 108.

XI. *De eadem re.* 120.

XII. *De aliis Martini Bracarensis capitibus, & de Gratiani erratis.* 137.

XIII. *De falsis inscriptionibus apud Gratianum, & de fragmentis quibusdam Conciliorum & epistularum pontificiarum.* 146.

XIV. *De eadem re.* 156.

XV. *De eadem re, & de aliis Gratiani erroribus.* 165.

XVI. *De beati Antonini censura in Gratianum, & de Romanorum selectorum sententia.* 178.

XVII. *De aliis majoribus erroribus Gratiani ex beati Antonini sententia.* 190.

XVIII. *De eadem re.* 199.

XIX. *De erroribus quibusdam & mendis Gratiani in distinctionibus.* 211.

XX. *De eadem re.* 225.

TITULI DIALOGORUM libri posterioris.

I. *De Gratiani emendatione ex Conciliis non editis.* 245.

II. *De eadem re ex Concilio Eugenij & Leonis.* 256.

III. *De eadem re.* 264.

IV. *De Calliſti ſecundi Romana ſynodo.* 271.

V. *De eadem re.* 277.

VI. *De duplici octava ſynodo.* 284.

VII. *De eadem ſynodo octava Hadriani.* 294.

VIII. *De eadem re, & de falſa inſcriptione querundam capitum Gratiani ex octava & nona ſynodo inſcriptorum.* 300.

IX. *De eadem re.* 309.

X. *De Capitularibus Caroli & Ludovici & aliorum Imperatorum.* 321.

XI. *De eadem re.* 327.

XII. *De Nicolai primi epiſtulis & reſponſis.* 334.

XIII. *De eadem re.* 343.

XIV. *De eadem re.* 351.

XV. *De eadem re.* 361.

XVI. *De quibuſdam locis Gratiani Romanæ editionis, & de aliis Nicolai capitibus.* 369.

XVII. *De aliis Nicolai Papæ capitibus.* 376.

XVIII. *De eadem re.* 383.

XIX. *De eadem re.* 391.

XX. *De Hiſpaniæ Conciliis non editis, & de aliis veteribus libris.* 400.

INDEX OMNIVM CAPITVM
Gratiani quæ in his duobus libris continentur.

DIST. 1. lib. 1. dial. 1. Principium. l. 1. d. 19
cap. 7. Jus natur. l. 1. d. 19
cap. ultimum. l. 1. d. 19
Dist. 2. cap. 7. Quædam. l. 1. d. 5
Dist. 3 Principium. l. 1. d. 5
cap. 1. l. 1. d. 1.
cap. 2. l. 1. d. 1.
Dist. 4. cap. 3. In istis. p. Leges. l. 1. d. 16
cap. 4. Statuimus. l. 1. d. 16
cap. 5. Quadragesi. l. 1. d. 16
cap. ult. l. 1. d. 16
Dist. 5. in principio. l. 1. d. 19
Dist. 6. in fine. l. 1. d. 19
Dist. 7. cap. 1. l. 1. d. 19
Dist. 8. cap. 1. l. 1. d. 19
cap. 3. Mala. l. 2. d. 12
cap. 4. Veritate. l. 1. d. 19
cap. 5. Si consuetud. l. 1. d. 19
cap. 7. Frustra. l. 2. d. 20
Dist. 9. cap. 5. Ego. l. 1. d. 19
cap. 6. Ut veterum. l. 1. d. 4
cap. 9. Noli. l. 1. d. 19
Dist. 10. cap. 1. l. 1. d. 19. l. 2. d. 12
cap. 3. Certum. l. 1. d. 19
cap. 5. Imperium. l. 2. d. 14
cap. 8. Quoniam. l. 2. d. 14
cap. 9. De capitulis. l. 1. d. 19. l. 2. d. 10
cap. 10. Vides. l. 1. d. 19
cap. 11. Quis autem. l. 2. d. 19
cap. 12. Certum. l. 1. d. 19
cap. ult. l. 1. d. 19. add. 12. & 16
Dist. 11. cap. 2. Consequens. l. 1. d. 20. l. 2. d. 14
cap. 5. Ecclesiasticar. l. 1. d. 20
cap. 6. Consuetudinem. l. 1. d. 13.
cap. 7. In his. l. 1. d. 20
cap. 8. Catholica. l. 1. d. 20
cap. 10. Hoc vestræ. l. 1. d. 20
Dist. 12. cap. 2. Præceptis. l. 1. d. 20.
cap. 3. Scit sancta. l. 1. d. 20. l. 2. d. 12
cap. 5. Ridiculum. l. 1.

d. 20. l. 2. d. 12
cap. 8. Non consuetud. l. 1. d. 13. add. 5.
cap. 11. Illa autem. l. 1. d. 20.
cap. 12. Omnia. l. 1. d. 20
Dist. 13. In principio. l. 1. d. 17
Dist. 14. In principio. l. 1. d. 17
Dist. 15. cap. 1. l. 2. d. 6
cap. 2. l. 1. d. 5. l. 2. d. 6
cap. 3. Sancta. p. Item venerabilis. l. 1. d. 4
d. cap. 3. Sancta. p. in primis. l. 1. d. 6
d. cap. 3. p. Ceterum. l. 1. d. 20
Dist. 16. Initium. l. 1. d. 6. add. ult.
cap. 1. l. 1. d. 6. & 20
cap. 3. Clementis. l. 1. d. 6. & 20
cap. 4. Placuit. l. 1. d. 6. add. 10. & 11
cap. 5. Sextam. l. 1. d. 7
cap. 6. Habeo. l. 1. d. 7. & 8. add. 1. & 2.
cap. 7. Quoniam. l. 1. d. 1. 4. 6. 7. 8. 20
cap. 8. Sancta. l. 1. d. 20. l. 2. d. 6
cap. 9. Sexta. l. 1. d. 20. & d. 3. add. 7
cap. 10. Prima. p. quinta. l. 1. d. 3
cap. 11. Prima. p. vigesi. l. 1. d. 3.
cap. 12. Septuaginta. l. 1. d. 20
cap. 13. Viginti. l. 1. d. 20
cap. ult. l. 1. d. 20
Dist. 17. cap. 6. Concilia. l. 1. d. 8. add. 9
Dist. 18. cap. 4. Propter. l. 1. d. 11.
cap. 7. Quoniam. l. 1. d. 8
cap. 15. Propter. l. 1. d. 11
cap. ultimum. l. 2. d. 20
Dist. 19. cap. 1. l. 1. d. 1. & d. 3. add 5. l. 2. d. 14
cap. 1. Nulli. l. 1. d. 20
cap. 7. Ita domin. l. 1. d. 6. ad. 1.
cap. 8. Secundum. in fine. l. 1. d. 6
cap. 9. Anastasius. l. 1. d. 6
Dist. 20. cap. 1. l. 1. d. 1. 3. & 18
cap. 2. l. 2. d. 14
Dist. 21. In principio. l. 1. d. 15
cap. 4. Inferior. l. 2. d. 11
cap. 5. Nolite. l. 2. d. 11
cap. 6. Deniq. l. 2. d. 11
cap. 7. Nunc autem. l. 2. d. 12
cap. 8. Submittitur. l. 2. d. 12
cap. ult. l. 2. d. 11
Dist. 22. cap. 1. l. 1. d. 8. add. 9. l. 2. d. 13.
cap. 3. CP. l. 1. d. 9. add. 5
cap. 6. Renovantes. l. 1. d. 9
cap. ultimum. l. 1. d. 9. l. 2. d. 7
Dist. 23. cap. 1. l. 1. d. 9. l. 2. d. 19
cap. 12. Præterea. l. 2. d. 15

Dist. 24. cap. ult. l. 1. d. 10
Dist. 27. cap. 1. l. 1. d. 10
cap. 6. Quod interrog. l. 2. d. 17
cap. 7. Nam si. l. 2. d. 17. & 19
cap. 8. Presbyteris. l. 2. d. 5
Dist. 28. cap. 7. Præterea. l. 1. d. 10. & 15
cap. 8. Diaconi. l. 1. d. 10
cap. 12. Si qua. l. 1. d. 12
cap. 14. Si quis. l. 1. d. 8
cap. 16. Presbyterum. l. 1. d. 8
cap. ult. l. 2. d. 17
Dist. 31. cap. 9. Quicumq. p. 1. l. 1. d. 8
cap. 11. Omnino. l. 1. d. 8. add. 9
cap. 17. Quoniam. l. 1. d. 8
cap. ultimum. l. 1. d. 8
Dist. 32. cap. 4. De illo. l. 2. d. 17
cap. 5. Nullus. l. 2. d 16
cap. 6. Præter. l. 2. d. 16. & 19
cap. 7. Si quis. l. 1. d. 8
cap. 10. Eos, qui. l. 1. d. 4
cap. 13. Placuit. l. 1. d. 8
Dist. 33. cap. 3. Communiter. l. 1. d 13
cap. 4. Clerici. l. 2. d. 19
Dist. 34. cap. 1. l. 2. d. 15
cap. 4. Is, qui. l. 1. d. 15
cap. 11. Se cujus. l. 1. d. 10. & 11
cap. 12. Si laici. l. 1. d. 10
cap. 17. Si subdiac. l. 1. d. 12.
cap. 18. Lector. l. 1. d. 12
Dist. 37. cap. 12. De quibusd. l. 2. d. 2
Dist. 38. cap. 13. Indignum. l. 1. d. 2
cap. 14. Locutio. l. 1. d. 2. add. 4
Dist. 40. cap. 1. Non nos. l. 1. d. 8. add. 9
cap. 6. Si Papa. l. 2. d. 3
Dist. 43. cap. ult. l. 2. d. 15
Dist. 44. cap. 3. Nulli. l. 1. d. 8
cap. 10. Non oportet. l. 1. d. 11
cap. ultimum. l. 1. d. 11
Dist. 45. cap. 5. De Judæis. l. 1. d. 5
Dist. 47 cap. 2. Quoniam. l. 1. d. 10
cap ultimum. l. 1. d. 13
Dist. 50. cap. 5. Clericum. l. 2. d 17
cap. 6. De his. l. 2. d. 17. & 19
cap. 19. Cum ex audiero. l. 1 d. 4
cap. 22. Si quis. l. 1. d. 10
cap. 24. Sacerdos. p. quomodo. l. 1. d. 18.
cap. 28. Domino. l. 1. d. 4
cap. 32. Presbyt. in fine. l. 1. d. 18
cap. 33. Sacerdotes. l. 2. d. 16
cap. 39. Studeat. l. 2. d. 16. & 17
cap. 42. Eos. l. 1. d. 10
cap. 44. Si quis. l. 1. d. 10

cap. 48. Hi, qui ar. l. 2. d. 17
cap. 68. Placuit l. 1. d. 12
Dist. 54. cap. 3. Magnus. l. 1. d. 2.
cap. 7. Si quis obligatus. l. 1. d. 12
cap. 11. Quis aut. l. 1. d. 19
cap. 12. Generalis. l. 1. d. 5
cap. 22. Abbati. l. 2. d. 8
Dist 55. cap. 7. Si quis à medicis. l. 1. d. 10
cap. 9. Si quis præ. l. 1. d. 10
cap. 10. Si quis in. l. 1. d. 4. & 15
Dist. 56. cap. 1. & 2. l. 1. d. 6
cap 10. Si gens. l. 2 d. 3
Dist. 60. cap. 2. Nullus. l. 2. d. 4.
Dist. 62. cap. ult. l. 2. d. 4
Dist. 63. cap. 1. l. 1. d. 4. l. 2. d. 8
cap. 2. l. 1. d. 4. l. 2. d. 8
cap. 4. Porro. l. 2. d. 14
cap. 6. Non est. l. 1. d. 11
cap. 7. Omnis. l. 1. d. 9. l. 2. d. 8
cap. 8. Non licet. l. 1 d. 11
cap. 13. Episcopos. l. 2. d. 15
cap. 16. Reatina. l. 1. d. 19
cap. 31. Inter nos. l. 1. d. 19
cap. 34. Sacrorum. l. 2. d. 10
Dist. 64. cap. Primum, l. 1. d. 10
cap. 7. l. 1. d. 10
Dist. 65. cap. 2. Non debet. l. 1. d. 11
cap. 3. Episcopus. l. 1. d. 11
Dist. 71. cap. 6. Privatus. l. 1. d. 18
Dist. 72. cap. 1. l. 1. d. 16, l. 2. d 1
Dist. 73. In principio. l. 1. d. 16
cap. 1. & 2. l. 1. d. 16 add. 3
Dist. 77. cap. 4. Subdiaconus. l. 1 d 8
Dist. 78. cap. 1. l. 1. d. 11
cap. 4 Presbyter. l 1 d. 11
Dist. 79. cap. 1. l. 2. d. 13
cap 9. Si quis. l. 2. d. 13
Dist. 80. cap. 1. & 2. l. 1. d. 15
Dist. 81. cap. 2. Nemo. l. 1. d. 8. add. 9
cap. 4. Si qui. l. 1. d. 10
cap 7. Sacerdos. l. 2. d. 1
cap. 19. Ministri. l. 1. d. 13
cap. 20. Clericus. l. 1. d. 13
cap. 21. Sed si. l. 1. d. 13.
cap. 22. Si quispiam. l. 2. d 1
cap. 26. In omnib. l. 2. d. 8
Dist. 82. cap. ult. l. 1. d. 14
Dist. 83. cap. 3. Error. l. 1. d. 15. add. 7.
Dist. 84. cap. 3. Cum in. l. 1. d. 8
cap. 4. Cum de. l. 1. d. 8
Dist. 86. cap. 3. Facientis. l. 1. d. 15. add. 7. & dial. 19, add. 13.

cap. ultimum. l. 1. d. 3
Dist. 90. cap. 4. Alienus. l. 2. d 8
cap. 5. Si quis l. 2. d. 8
Dist. 92. cap. 4. l. 1. d. 11
cap. 5 Si quis. l. 1. d 11
cap. 8. Si quis. l. 1. d. 11 add. 9.
cap. ult. l. 1. d. 12
Dist. 93. cap. 4. Juxta. l. 1. d. 13. l. 2. d. 1
cap. ult. l. 1. d. 8
Dist. 95. cap. 2. p. 1. l. 1. d. 17
cap. 5. Olim. l. 1. d. 15
cap. 8. Non oportet. l. 1. d. 11
cap. ult. l. 1. d. 4
Dist. 96. cap. 1. p. Eulalius. l. 2. d. 4
cap. 4. Ubinam. l. 2. d. 14
cap. 5 Deniq. l. 2. d 14
cap 6. Cùm ad verum. l. 2. d. 14
cap. 7. Satis evidenter. l. 2. d. 14
cap. 8. In scripturis. l. 2. d. 17
cap. 13. & 14. Constantinus. l. 1 d. 6
Dist. 97 cap. ult. l. 2. d 13
Dist. 96. cap. Primum. l. 1. d. 15
1. q. 1. cap. 9. Qui per. l. 2. d. 8
cap. 10. Sanctorum. l. 2. d. 4
cap. 34. Sacramenta. l. 1. d. 3
cap. 58. Spiritus. p. ecce. l. 1. d. 2
cap. 66. Non oportet. l. 1. d. 11
cap. 67. Non liceat. l. 1 d. 11
cap. 86. Non quales. l. 2. d. 14
cap. 96. Dictum. p quod. l. 1. d. 6
cap. 100. Nullus. l. 1. d. 8
cap. 102. & 103. Placuit. l. 1. d. 14
cap. 107. Statuimus. l. 2. d. 15
cap. 117. Quibusdam. l. 1. d. 4
cap. 123. Per principalem. l. 2. d. 13
e. q. 2. cap. 7. Si quis. l. 1. d. 4
cap. 8. Salvator. l. 1. d. 4
e. q. 7. cap. 2. p. Sed quoniam. l. 2. d. 8
2. q. 1. cap. 10. Notum. l. 2. d. 16
cap. 14 Prohibentur. l. 1. d. 17
cap. 16. Quæ Lotharius. l. 1. d. 17. l. 2. d. 15
cap. 20. Deus. p. Quando. l. 1. d 17
cap. ult. l. 2. d. 15
e. q. 2. cap. 2. Omnes. l. 2. d. 12.
e. q. 3. cap 2. l. 1. d. 14
cap. 4. Si quis l. 1. d. 14
cap. 8. Si quem. l. 2. d. 10
e. q. 4. & 5. cap. 7. Mennam. l. 1. d. 12
cap. 11. Super causa. l. 1. d. 12

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cap. 15. Nobilis. l. 1. d. 15
cap. 22. Monomachiam. l. 2. d. 19
cap. 23. Sæpe. l. 1. d. 15. & 16
cap. 25. Statuit. l. 1. d. 15
c. q. 6. cap. 11. Decreto. l. 1. d. 20
cap. 13. Arguta. l. 2. d. 13
cap. 22. Propter sup. l. 1. d. 6
cap. 30. Post appellationem. p. forma. l. 2. d. 9
c. q. 8. cap. 4 Qui crimen. l. 1. d. 14. add. 6
3. q. 5. cap. 14. Null. p. 1. l. 1. d. 2
cap. 15. ult. Quod suspecti. l. 1. d. 2. & l. 2. d. 12
c. q. 6. cap. 1. l. 1. d. 14. add. 6.
cap. 10. Hæc quippe. l. 2. d. 15
cap. 17. Si quis. l. 1. d. 13
c. q. 9. cap. 12. Revera. l. 2. d. 12
cap 14. Indicas. l. 2 d. 12
cap. ult. l. 2. d. 12
4. q. 1. cap. 2. Quod autem. l. 2. d. 12
c. q 4. cap. 2. Nullus. l. 1. d. 14
cap. ultimum. l. 2. d. 12
5. q. c. cap. ult. l. 1. d. 2
c. q. 3. cap. ult. l. 2. d. 2
c. q. 6. cap. 7. Si quis. l. 2. d. 8
6. q. 3. cap. 3. Deniq. l. 2. d. 15
c. q 4. cap. 1. & 2. l. 1. d. 11
cap. 3. Si inter. l 1. d. 14
cap. 6. Quod bene. l. 2. d. 12
7. q. 1. In principio. l. 1. d. 15
cap. 4. Pontifices. l. 1. d. 15
cap. 15. Illud. l. 1. d. 13
cap. 16. Nihil. l. 1. d. 13
cap. 30. Remoto. l. 1. d. 1
cap. 41. In apib. l. 1. d. 4
cap. 45. Hoc nequaquam. l. 2. d. 6
cap. 47. Scisciteris. l. 2. d. 15. & 17
8. q. 1. cap. 3. & 4. Episcopo. l. 1. d. 11
c. q. 4. cap. Un. l. 1. d. 8. add. 9
9. q. 3. cap. 1. l 1. d. 11
cap. 2. Per singulas. l. 1. d. 11
cap. 8. Conquestus. l. 2. d. 15
cap. 10. Putet. l. 2. d. 13
cap. 11. Fuit. l. 1. d. 1
cap. 14. Alior. l. 1. d. 8. add. 9
cap. 17. & 18. Cunct. l. 1. d. 12
cap. 21. Per principalem. l. 2 d. 13
10. q. 1. cap. 14. Sanctor. l. 2. d. 15
c q. 2. cap. 8. Episcopus. l. 1. d. 11
c. q 3. cap. 2. Priscis. l. 1. d. 3
cap. 3. Unio. l. 2. d. 20
cap. 8. Inter cetera. l. 1. d. 4

11. q. 1. cap. 4. Judices. l. 1. d. 14. & 20
cap. 8. Nullus. l. 1. d. 14
cap. 26. Quicumq. l. 2. d. 11
cap. 37. Omnes. l. 2. d. 11
cap. 38. Volumus. l. 2. d. 11
cap. 43. Inolita. l. 1. d. 4
e. q. 2. cap. Unicum. l. 1. d. 4
e. q. 3. cap. 1. l. 1. d. 17
cap. 3. Præcipue. l. 2. d. 14
cap. 6. & 7. Si quis. l. 1. d. 11
cap. 10. Teuguald. l. 2. d. 15
cap. 18. Cum excommunicato. l. 2. d. 8
cap. 24. Ad mensam. p. Evidenter. in fine. l. 1. d. 17
cap. 28. Si quis. l. 2 d. 8
cap. 69. Cùm apud. l. 1. d. 5.
cap. 77. Non solum. l. 1. d. 17. l. 2. d. 8
cap. 78. Quattuor. l. 2. d. 8
cap. 96. Ita corporis. l. 2. d. 14
cap. 102. Excellentiss. l. 2. d. 15
12. q. 1. cap. 2. l. 1. d. 15
cap 3. Necessaria. l. 2. d. 1
cap. 4. Nulla. l. 2. d. 17
cap. 15. Futuram. l. 1. d. 6
cap. 23. Episcopus. l. 1. d. 11
cap. 24. Præcipimus. p. sed notandum. l. 1. d. 17
cap. 27. Nulli. l. 2. d. 1
e. q. 2. cap. 3. Nulli. l. 1. d. 14
cap. 13. Apostolicos. l. 2. d. 7
cap. 17. De viro. l. 2. d. 18
cap. 19. Quisquis. l. 1. d. 9. l. 2. d. 4
cap. 22. De rebus. l. 2. d. 17
cap. 25. Vulteranæ. l. 1. d. 11. add. 11
cap. 37. Alienationes. l. 2. d. 5. add. 7. & 8
cap. 42. Si qua. l. 1. d. 10
cap. 48. Non liceat. l. 1. d. 9
cap. 52. Sine exceptione. l. 1. d. 14
13. q. 2. cap. 15. Præcipiendum. l. 1. d. 15
14. q. 1. cap. 1. p. 1. l. 1. d. 17
cap. ult. in fine. l. 1. d. 4
e. q. 2. cap. 2. l. 2. d. 1
e. q. 4. cap. 4. Si quis. l. 1. d. 10
cap. 8. Quoniam. l. 1. d. 10
15. q. 4. cap. 2. Placita. l. 1. d. 3
e. q. 5. cap. ultimum. l. 2. d. 19
e. q. 6. cap. 2. Auctoritatem. l. 2. d. 13. & 19
e. q. 7. cap. 3. Si quis. l. 1. d. 2
e. q. 8. cap. 1. l. 1. d. 11
cap. 4. Si quis. l. 1. d. 11. & d. 10. add. 3
cap. 5. Scisitantib. l. 2. d. 16

16. q. 1. cap. 10. Interdicimus. l. 2. d. 5
cap. 12. Qui verè. l. 1. d. 12
cap. 48. Et tempor. l. 1. d. 4
cap. 49. Postquam. l. 1. d. 5
cap. 59. Quia juxta. l. 2. d. 10
cap. 62. Nulli. l. 2. d. 2
e. q. 2. cap. 3. Præcipimus. l. 2. d. 19
e. q. 3. cap. 4. Quicumq. l. 1 d. 15
cap. 9. Placuit. l. 2. d 7
cap. 13. Prima. l. 1. d. 4
cap. 15. Placuit. p. præscript. l. 1. d. 17
e. q. 4. cap. 1. l. 2. d. 5
e. q. 5. cap. 1. l. 2. d. 19
e. q. 7. cap. 11. Nullus. l. 2. d. 4
cap. 14. Si quis. l. 1. d. 9. add. ult.
cap. 15. Sanè. l. 1. d. 15
cap. 24. Laicis. l. 2. d 4
cap. 25. Si quis. l. 2. d. 4
cap. 33. Monasterium. l. 2. d. 2
cap. 39. Decimas. l. 2 d. 5
17. q. 4. cap. 6. Sicut. l. 2. d. 17
cap. 21. Quisquis. l. 2. d. 9
cap. 23. De Presbyteror. l. 2. d. 16
cap. 24. Qui Presbyterum. l. 1. d 15
cap. 26. Omnes. l. 1. d. 5
cap. 27. Qui subdiaconum. l. 2. d. 11
cap. 28. Qui occiderit. l. 2. d. 11
cap. 29. Si quis. l. 1. d. 17
cap. 30. Nemini. l. 2. d. 13
cap. 37. & 38. Si quis. l. 1. d. 11
cap. 40. In venditionib. l. 2. d. 8. add 3
18. q. 2. cap. 10. Quidam. l. 1. d. 12
20. q. 1. cap. 1. l. 2. d. 8
cap. 9. Si qui. l. 2. d. 1
e. q. 2 cap. 3. Statuimus. l. 1. d. 13
cap. ultimum. l. 2. d. 9
e. q. 3. cap. 4. Præsens. l. 2. d. 17
21. q. 1. cap. 5. Relatio. l. 1 d. 2
cap. 6. Illud. l. 1. d. 1
e. q. 2. cap. 1. l. 1. d. 8
e. q. 3. cap. 1 & 2. l. 1. d. 13
e. q. 4. cap. 1. & 2. l. 1. d. 9
cap 3. Episcopi. l. 2. d. 1
cap. 4. Sine. l. 2. d. 1
e. q. 5. cap. 2. l. 1. d. 11
cap. 5. Si quis. l. 1. d. 11
22. q. 1. cap. 10. Si quis. l. 1. d. 13
cap. 12. Habemus. l. 1. d. 13
cap. 16. Movet. p. Alia. l. 2. d. 16
cap. ult. l. 1. d. 13. l. 2. d. 15
e. q. 4 cap. 2. Est etiam. l. 2. d. 16
cap. 5. In malis. l. 2. d. 15. & 16
cap. 8. Unusquisq. l. 2. d. 15

cap.

cap. 9. Incommutabilis. l. 2. d. 15. & 16
cap. ult. p. Unde datur. & p. Est etiam l. 1. d. 17
c. q. 5. In principio. l. 1. d. 17
cap. 11. Humanæ. l. 1. d. 4
cap. 12. Juramenti. l. 1. d. 3
cap. 13. Qui. l. 1. d. 3. add. 4
cap. 14 Parvuli. l. 1. d. 13
cap. 15. Pueri. l. 1. d. 13
cap. 16. Honestum. l. 1. d. 13. & 16
cap. 17. Decrevit. l. 1. d. 16
cap. 18. De forma. l. 2. d. 9
23. q. 3. cap. 3. Nostri. l. 1. d. 3
cap. 8 Qui potest. l. 1. d. 15
c. q. 4. cap. 29. Si illic. p. sed. l. 1. d. 2
cap. 30. Guilisarius. l. 1. d. 3.
c. q. 5. cap. 44. Quali. l. 1. d. 2
cap. 46. Omnium. l. 2. d. 19
c. q. 8 cap. 9. Omni. l. 2. d. 19
cap. 15. Si nulla. l. 2. d. 19
cap. 19. Reprehensibile. l. 2. d. 16
24. q. 1. In principio. l. 1. d. 18
cap. 1. & 3. Acacius. l. 1. d. 15
cap. 4. Audivimus. l. 1. d. 4. & 18
cap. 35. Ait. l. 2. d. 12
cap. 36. Apertè. l. 2. d. 19
cap. 37. Miramur. l. 2. d. 19
e. q. 2. c. ult. p. Item Rabanus. l. 1. d. 3
e. q. 3. cap. 19. An non. l. 2. d. 14
cap. 23. Si quis. l. 2. d. 5
25. q. 1. cap. 5. Violatores. l. 1. d. 14
cap. 24. Paternor. l. 2. d. 5
cap. 25. Illi qui. l. 2. d. 19
25. q. 2. cap. 18. Si quis. l. 2. d. 13
cap. 25. Ita nos. l. 1. d. 5
26. q. 2. In principio. l. 1. d. 2
e. q. 5. cap. 2. & 3. p. Si quis. l. 1. d. 10
cap. 12. Episcopi. l. 1. d. 14
cap. 13. Quicumq. l. 2. d. 20
e. q. 7. cap. 3. De his. l. 2. d. 18
cap 7. Pro qualitate. l. 2. d. 9
cap. 8. Hoc sit. l. 2. d. 9
cap. 9. Pœnitentem. l. 2. d. 9
cap. 10. Affectum. l. 2. d. 9
cap. 11. Erga eum. l. 2. d. 9
cap. 14. Si quis. l. 2. d. 1
27. q. 1. cap. 6. Si quis. l. 1. d. 8
cap. 8. Viduas. l. 1. d. 12
cap. 29. De filia. l. 1. d. 12

cap. 27. Devotam. l. 1. d. 12
cap. 31. Mulieres. l. 2. d. 2
cap. 34. Vidua. l. 2. d. 17
cap. 37. Sciendum. l. 1. d. 15
cap. 38. Viduæ. l. 1. d. 15
c. q. 2. cap. 2. Sufficiat. l. 2. d. 18
cap. 21. Si quis. l. 2. d. 9
cap. 22. Si vir & uxor. l. 2. d. 3
cap. 25. Scripsit. l. 2. d. 18
cap. 46. Atho. l. 1. d. 3
28. q. 1. cap. 6. Non solùm. l. 1. d. 6
cap. 13. Nullus. l. 1. d 8
30. q. 1. cap. 3. Nosse. l. 2. d. 19
cap. 6. De his. l. 2. d. 19
c. q. 2. cap. Unicum. l. 2. d. 18
c. q. 3. cap. 1. Ita. l. 2. d. 19
c. q. 4. cap. Primum. l. 2. d. 19
c. q. 5. cap. 3. Nostrates. l. 2. d. 18
31. q. 2. cap. 1, & 2. Tua. & 3. De neptis. l. 1. d. 5
cap. ult. l. 2. d. 18
32. q. 2. cap. ult. l. 1. d. 15
c. q. 5. cap. 22. Quidquid. l. 2. d. 18
c. q. 7. cap. 18. Quod proposuisti. l. 1. d. 6
cap. 24. Si quis. p. Illud. l. 1. d. 6
cap. 25. Hi qui. l. 2. d. 18
cap. 26. Neque. l. 2. d. 18. add. 11
33. q. 2. cap. 3. Historia. l. 2. d. 12
cap. 4. Sive. l. 2. d. 12
cap. 5. Interfectores. l. 2. d. 18
cap. 6. Inter hæc. l. 2. d. 17. & 18
cap. 11. Hoc ipsum. l. 2. d. 4.
cap. 14. In adulescentia. l. 2. d. 18
cap. 15. Latorem. l. 2. d. 18
cap. 16. Si quis. l. 2. d. 18
cap. 17. Si quis. l. 2. d. 19
c. q. 4. cap. 11. Nec uxorem. l. 2. d. 18
c. q. 5. cap. 2. l. 2. d. 9
34. q. 1. cap. 7. Ego dixi. l. 1. d. 6
35. q. 2. cap. 2. & 3. l. 2. d. 4
cap. 17. De consanguinitate. l. 2. d. 19
c. q. 5. cap. 6. Primo gradu. l. 1. d. 6. l. 2. d. 10
c. q. 9. cap. 4. Apostolicæ. l. 2. d. 19
cap. 6. Sententiam. l. 2. d. 13. & 19
36. q. 2. cap. 3. Quis. l. 1. d. 4
DE PŒNITENTIA.
Dist. 1. cap. 6. Si quis. l. 1. d. 4. & 18
cap. 19. Aut facta. l. 1. d. 18
cap. 30. Si cui. in fine. l. 1. d. 18
cap. 32. Facilius. p. Hoc. l. 1. d. 18
cap. 41. Non potest. l. 1. d. 5

c. 67. Si agamus. l. 1. d. 4
cap. 68. Quamobrem. p. Rursus. l. 1. d. 4
cap. 86. Quis aliquando. p. Econtra auctorit. & p. Latentia. l. 1. d. 18
cap. 88. Quamvis. p. Quib. l. 1. d. 18
cap. ultimum. l. 1. d. 18
Dist. 2. cap. 1. l. 2. d. 9
DE CONSECRATIONE.
Dist. 1. cap. 7. Ecclesia. l. 2. d. 13
cap. 23. De fabrica. l. 1. d. 14
cap. 30. Altaria. l. 1. d. 3
cap. 33. Clericos. l. 1. d. 9
cap. 45. Consulto. l. 1. d. 14
cap. 46. Jacobus. l. 1. d. 9
cap. 48. Sacramenta. l. 1. d. 16
cap. 55. Porrò. l. 2. d. 16
cap. 56. Nullus. l. 1. d. 4. l. 2. d. 1
cap. 57. Ut illud. l. 1. d. 13
Dist. 2. cap. 6. Didicimus. l. 1. d. 9
cap. 7. Cùm omne. l. 1. d. 14
cap. 13. Cotidie. l. 1. d. 16
cap. 17. In cœna. l. 1. d. 13. & 16
c. 19. Sæculares. l. 1. d. 16
cap. 21. Omnis. l. 1. d. 16
c. 22. Triforme. l. 1. d. 16
cap. 23. Tribus. l. 1. d. 16
c. 25. Timorem. l. 2. d. 9
cap. 30. Sacerdotum. l. 1. d. 13. l. 2. d. 2
cap. 42. Ego B. l. 2. d. 13
c. 54. Liquidò. l. 1. d. 16
Dist. 3. cap. 1. & 3. Rogationes. l. 1. d. 16
cap. 7. Non licet. l. 1. d. 11. & 16
cap. 8. Non oportet. l. 1. d. 11. & 16
cap. 19 Crucis. l. 1. d. 6
cap. 21. Nosse. l. 1. d. 6
cap. 29. Sextam. l. 1. d. 7
Dist. 4. cap. 4. Non potest. l. 1. d. 3
cap. 10. Nunquam. l. 1. d. 3
cap. 22. Quicumq. l. 1. d. 12
cap. 24. A quodam. l. 1. d. 18. l. 2. d. 17
cap. 44. Ab antiqua. l. 1. d. 4
cap. 57. Catechismi. l. 2. d. 17
cap. 58. Baptizandor. l. 1. d. 11
cap. 59. Non liceat. l. 1. d. 11
cap. 80. De trina. l. 1. d. 2
cap. 94. Pleriq. l. 1. d. 5
cap. 104. Monachi. l. 2. d. 11
cap. 124. Omni tempore. l. 1. d. 11. & 12
cap. 126. In sabbato. l. 2. d. 11
cap. 152. Placuit. l. 1. d. 2
Dist. 5. cap. 8. Dictum. l. 1. d. 15
cap. 34. In omnib. l. 2. d. 11

Index capitum Gregorij noni, & libri sexti, & extravag.

De adulteriis. c. 3. l. 1. d. 6
ætate & qualitate. c. 9. l. 1. d. 8
bigamis. c. 4. l. 1. d. 8
cler. non res. c. 2. l. 2. d. 3
cler. excomm. cap. 1. & 2. l. 1. dial. 11. add. 5
cohabit. cler. c. 2 l. 2. d. 1
eod. tit. cap. 7. l. 2. d. 16
consang. & affin. cap. 8. l. 1. d. 16
desponsi. imp. c. 1. l. 1. d. 5 add. 4. cap. 2. l. 2. d. 18
foro comp. c. si diligenti. l. 1. d. 4. add. 17
Hæret. cap. 9. & 13. l. 1. d. 18
his quæ fiunt à Præl. sine consens. cap. 1 & 8. l. 1. d. 14
immun. eccles. cap. 2. l. 1. d. 2
jurejur. cap. 4. l. 2. d. 1
oblig. ad ratiocinia ordinandis. c. uni. l. 1. d. 2
De pœniten. c. 2. l. 1. d. 15
eod. tit. cap. 12. l. 1. d. 16. & 18
pœnis. cap. 2. l. 1. d. 5
postul. Præl. c. 3. l. 2. d. 7
præscriptionib. cap. ult. l. 1. d. 17
privilegiis. c. 23. l. 2. d. 1
purg. canon c. 1. l. 1. d. 15
Qui cler. vel vou. c. 6. l. 1. d. 17
regularib. c. 4. l. 1 d. 12
religiosis dom. cap. 3. l. 2. d. 2
renuntiat. c. 11. l. 2. d. 6
verbor. signif. c. 15. in his. l. 1. dial. 4
vita, & hon. cler. cap. 1. l. 1. d. 13. add. 1.
electione lib. 6. cap. 17. Fundam. l. 1. d. 6. add. 6.
verb. signif. extrav. Cum inter. & extrav. Quia quorundam. l. 1. d. 11

Index capitum juris Cæsarei.

Cap. 10. Quæritur. D. de statu hominum. l. 1. d. 20
cap. 15. D. qui potio. l. 2. d. 7
cap. 2. p. Si quis nemine, D. ne quid in loco pub. l. 2. d. 7
Const. 5. C. de Ep. & cler. l. 1. d. 4
Const. litib. C. de agri & cens. li. xi. l. 2. dial. 7. add. 1.

STEPHANI BALUZII
TUTELENSIS
NOTÆ
AD
ANTONIUM AUGUSTINUM
ET GRATIANUM.

STEPHANI BALVZII TUTELENSIS NOTÆ AD DIALOGOS ANTONII AVGVSTINI De emendatione Gratiani.

GRATIANI DECRETUM] Rectè admonet Antonius Augustinus hunc librum falsò vocari Decretum Gratiani, cùm sit potiùs collectio decretorum, ut scriptum est in editionibus Democharis & Contij. Nam & in codice Sangermanensi, in quo ad marginem textus posita est à manu recentiore glossa Bartholomæi Brixiensis, hæc scripta sunt manu antiqua: *Explicit Apparatus Decretorum.* In Victorino autem antiquo, in pagina quæ antecedit initium operis, scriptum est manu antiqua: *Liber dictus Decreta Graciani.* Quin & in antiqua editione Veneta *Decretorum codex* vocatur. Et in ipsa editionis illius fronte hæc inscriptio præposita est præfationi editoris. *Ad celeberrimos Iurisconsultos suósque municipes Brixianos in novam Decretorum impressionem Petri Albignani Tractij præfatio feliciter.* Decretorum corpus vocavit Innocentius III. apud Odoricum Raynaldum ad annum 1202. §. 12. *quod est ultimum septimæ causæ capitulum in corpore decretorum.* Item Vincentius His- Pag. 31

panus vetus Decretalium interpres, ex quo hunc locum descripsit Antonius Augustinus in ipso ferme principio Notarum ad primam antiquam collectionem Decretalium. *Quia non omnia*, inquit Vincentius, *poterant comprehendi in Decretorum corpore, ideo magister B. Papiensis Præpositus hoc opus compilavit.* Respexisse autem videtur Vincentius ad verba Tancredi relata ab illustrissimo Episcopo Monspeliensi Francisco Bosqueto in Notis ad epistolas Innocentij III. pag. 48. Hæc sunt verba Tancredi : *Post compilationem Decretorum factam à Gratiano, multæ à Romana Curia decretales epistolæ emanaverunt, quas magister Bernardus tunc Præpositus postmodum Episcopus Papiensis ad studentium utilitatem sub competentibus titulis compilavit.* Denique vir celeberrimus Iacobus Cujacius *ad cap. penult. & ult. de sentent. & re jud.* ita omnino loquitur de Gratiano : *Collectio autem Decretorum facta à Gratiano fuit prima quæ præcessit sex collectiones Decretalium.* Hunc secutus est Franciscus Florens, cujus hæc sunt verba ex præfatione tractatuum in novem priores titulos libri primi Decretalium pag. 3. *Secundò de collectione Decretorum Gratiani tractabimus.* Quin & Hieronymus Rubeus lib. 5. historiæ Ravennatis pag. 246. loquens de epistola Stephani V. ad Romanum Archiepiscopum Ravennatem, quæ extat apud Gratianum, ita ait : *Id testatum litteræ faciunt quæ in Decretorum libris adhuc leguntur.* At si auctoritatem à veteribus libris & ab antiquitate editionum petere lubet, *Decretum Graciani* simpliciter scriptum est in pagina quæ antecedit initium operis in recentiori codice Victorino, & *Gratiani Decretum* in calce veteris editionis Moguntinæ. Neque aliter habent editiones Parisienses quæ in initio postremi seculi prodierunt. Unde secutus est consensus generis humani. Eam ob causam censeo retinendam esse inscriptionem illam, non solùm apud Gratianum, sed etiam apud Burchardum & Ivonem. Sanè Antonius ipse Augustinus in Notis ad primam collectionem Decretalium, cùm Decretum Ivonis citat, citat autem frequenter, exprimit opus illud in numero singulari. Decretum Ivonis vocat etiam Cujacius ad ti-

tulum Decretalium de vita & honestate Clericorum cap. 1. Atque hæc de titulo libri dicta sufficiant.

EXCERPTIONES] Assentior Antonio Augustino. Attamen nollem quicquam mutare apud Ivonem in hoc loco, cùm vox *exceptiones* extet in omnibus antiquis Ivonis codicibus & editionibus. Quin & apud Hildebertum Cenomanensem in epistola XLVIII. *exceptiones* disertè scriptum est in omnibus vetustis exemplaribus. Ea enim erat seculi illius prisci ratio & usus ut *exceptiones* dicere mallent quàm *excerptiones*. Possent hujus rei plurima adferri exempla, si restanti esset. Sufficiet tamen, ut arbitror, auctoritas codicum Ivonis & Hildeberti. Addam nihilo minùs etiam istud ex veteri codice MS. bibliothecæ regiæ: *Incipit prologus Petri viri disertissimi in exceptionibus legum Romanarum*. Ex quo fortassis libro aut alio simili descripsit Ivo quæ sic ab eo referuntur libro quarto Pannormiæ cap. 127. tam in editis quàm in manuscriptis codicibus: *Excepta de legibus Theodosianis.* Pag. 4.

CANONICOS REGUL.] Festivè & eleganter, ut solet, hanc tautologiam traducit D. Erasmus in colloquio de peregrinatione religionis ergò. *Collegium est Canonicorum*, inquit, *sed quibus à Latinis regulæ cognomen additur, medium genus inter monachos & Canonicos quos seculares appellant. In odiosis Canonici sunt, in favorabilibus monachi. Si Romanus Pontifex fulmine feriat omnes monachos, tum Canonici fuerint, non monachi. Sin idem permittat omnibus monachis uxorem ducere, tum fuerint monachi.* Respiciebat videlicet Erasmus ad perditissimos mores sui seculi: qui si nostro reviviscceret, viderétque hodiernas Canonicorum regularium congregationes, abstineret profectò ab eorum insectatione. Rectè Cujacius ad titulum Decretalium de præbendis & dignitatibus: *Et quamvis hæc duo, Canonici & regulares, idem significent, & hoc tantùm interest quòd una Græca, altera Latina appellatio sit, tamen, quia ita loquendi mos est, ita loquimur vel discretionis gratia, ut scilicet discernantur à secularibus.* Pag. 7.

DUOR. ANTONIOR.] Democharis & Con- Pag. 11.

tij, qui primi medicas manus admoverunt Gratiano. Post hos secutus est tertius Antonius Augustinus.

LIBER CÆSARAUG.] Quoniam auctor istorum dialogorum sæpe laudat hunc librum, visum est semel observare intelligi vetustam canonum collectionem MS. ad Antonium Augustinum missam ex monasterio Carthusianorum Cæsaraugustano, quò pervenerat post obitum Hieronymi Suritæ clarissimi scriptoris annalium Aragonensium; ut ipse Augustinus docet in dialogo quinto libri prioris. Divisa est illa in libros quindecim. Cùm verò nullius Romani Pontificis qui post Urbanum secundum vixerit decretis utatur illius auctor, rectè judicatum est illam eo tempore scriptam fuisse. Usus est autem istius collectionis auctor canonibus Conciliorum, decretis Romanorum Pontificum, & dictis sanctorum patrum. Hæc ex Antonio Augustino Iesuita, ut opinor.

Pag. 26. COLLECT. CONC. TARR.] Nescio quid his verbis intelligat Antonius; nisi si loqui vult de collectione constitutionum provincialium Tarraconensium, quæ Tarracone edita est. Verùm tamenetsi editionem illam non viderim, non puto locum heic fuisse emendandi alicujus veteris canonis Africani, cùm probabile sit hanc collectionem non fuisse diversam ab ea quæ anno MDXCIII. recusa Tarracone est ex decreto secundi Concilij provincialis celebrati sub Ioanne de Teres Archiepiscopo Tarraconensi post Antonium Augustinum. Atqui in nova illa collectione nihil extat præter nudas constitutiones absque Notis.

PALEA] Instituti mei non est inquirere in originem hujus vocabuli. Sufficere arbitror Notam Correctorum Romanorum, quam invenies editam apud Antonium Augustinum pag. 20. Illud tantùm dicam, non vidisse me hoc vocabulum in antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis; nisi quòd aliquando, sed id tamen rarò, diù postea scriptum est in notis marginalibus libro Sangermanensi adjectis. Idem vocabulum non reperitur etiam in prima editione Moguntina in fronte capitum quæ eo nomine prænotantur in vulgatis editionibus. Extat tamen, sed non

adeo frequenter ut in vulgatis editionibus, in antiqua editione Veneta. Istud verò non impedit quin antiquitus adscriptum fuerit in libris Gratiani, cùm ejus diserta mentio extet apud Ioannem Andreæ & alios veteres Iurisconsultos.

TARRACONENSIS] Et hunc quoque librum saepe laudat auctor istorum dialogorum. Dono ad eum pervenerat ex celebri monasterio Populeti, vulgò *Poblete*, ordinis Cisterciensis, haud procul Tarracone, ubi etiamnum extat optima bibliotheca veterum librorum manuscriptorum. Quoniam autem is liber auctoris nomine carebat, placuit illum Tarraconensem appellari ex diœcesi. Continet decreta Romanorum Pontificum usque ad Gregorij septimi tempora, non verò postea; indicium non mediocre pro ætate conscriptum eum esse paulò ante Cæsaraugustanum, ut eodem ferè tempore hæ duæ collectiones prodierint. Hæc rursum ex Augustino Iesuita. Pag. 39.

ZURITÆ] Hunc virum plerique Zuritam Latini vocant. Sed ipse se Suritam vocavit in Indicibus & in epistola dedicatoria veterum scriptorum rerum Hispanicarum ad Antonium Augustinum. Pag. 49.

MODESTIAM REQUIRO] Dictum adversùs Albertum Pighium & alios illorum temporum defensores & vindices effusissimæ potestatis Romani Pontificis. Sic Covarruvias lib. 4. variar. resolut. cap. 13. notat eundem Pighium lib. 4. de eccles. hierarch. cap. 8. multam ex ea occasione adversùs Gratianum candescere in iram, *pio quidem animo*, inquit, *& feruentissimo in apostolicæ sedis majestatem zelo, quippe qui omni conatu contendat Summos Pontifices qui sunt Petrum sedem illam obtinuere, à labe hæresis prorsus immunes fuisse*. Itaque & Augustinus & Covarruvias damnant nimium Alberti Pighij zelum. Gaudeo verò idem eos dicere, quos veri inquirendi studium conjunxit & amicitia non vulgaris, ut ipsa Augustini verba ponamus ex dialogo quinto libri prioris pag. 49. Pag. 56.

DE LIBRO PASTORIS] Certum est hunc librum esse apocryphum, quòd extra canonem ab omnibus Ecclesiis collocetur. Antiquum tamen esse Pag. 64.

& magnæ apud veteres auctoritatis ostendit nuper eruditissimus amicus noster Ioannes Baptista Cotelerius societatis Sorbonicæ Theologus in Notis ad hunc librum. Has tu consule, lector, & mihi pro indicina gratiam habeto.

Pag. 66. PECCATOR APPELLATUR] Loquitur de Isidori collectione, qui vulgò Mercator dicitur, cùm in codicibus quibusdam manuscriptis legatur *Peccator*. Vide illustrissimum Archiepiscopum Parisiensem Petrum de Marca in libro tertio de concordia sacerdotij & imperij cap. 5. §. 2.

Pag. 82. SOLIUS EST ROM. PONT.] Loquitur heic Antonius Augustinus ex usu posteriorum temporum & sui seculi. Nam antiquitus aliud obtinebat, ut cuivis paulò erudito manifestum est.

Pag. 102. LOCUM VACUUM] Optima est conjectura Antonij Augustini existimantis locum vacuum relictum esse subscriptioni Romani Pontificis in actis Concilij Trullani. Videndus autem omnino Marca libro quinto de concordia cap. 18. §. 4.

Pag. 104. IMAGIN. SCRIPTURAS] id est, imaginum picturas, ut rectè paulò pòst loquitur Anastasius. Hinc imaginarius ordo in canone tertio Concilij Turonensis secundi: *Vt corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* Vide Notas ad Reginonem pag. 549.

Pag. 168. NON ARVERN.] Verissimum est quod ait Antonius Augustinus suprà pag. 151. multa nos interdum falsa credere quæ vera esse posteri fortasse cognoscent. Burchardus, Ivo, & Gratianus ex Concilio apud Arverniam celebrato retulerant decretum quoddam quo cavetur ne quis viventi Episcopo superponatur aut superordinetur Episcopus. Id cùm Antonius Augustinus non inveniret in vulgatis Concilij Arvernensis canonibus, sed inter canones Concilij quinti Aurelianensis, sibi visus est justè in hoc loco reprehendisse veteres illos canonum collectores. Non viderat nimirum Arvernensem secundam Synodum, quam vir celeberrimus Iacobus Sirmondus postea bono publico vulgavit, in qua eadem circa Episcopos statuuntur quæ decreta in Aurelianensi fuerant. Ia

similem postea errorem impegit idem Sirmondus, & quidem occasione decretorum alterius synodi Arvernensis. Gratianus 1. q. 3. caput *Quæsitum.* & 16. q. 2. caput *Sanè quia.* retulerat ex Concilio Arvernensi sub Urbano secundo. Illa cùm Sirmondus non inveniret inter canones editos Concilij illius Arvernensis sive Claromontani, legeret autem inter canones non editos Concilij quod anno post habitam synodum Arvernensem sequente Urbanus habuit apud Nemausum in Gallia Narbonensi, admonuit in Antirrhetico secundo adversùs Aurelium pag. 97. falsam esse inscriptionem horum capitum apud Gratianum, adeóque restituenda illa esse Concilio Nemausensi. Quod etiam adnotasse illum manu sua in exemplari impresso Gratiani quod extat Parisiis in bibliotheca collegij Claromontani societatis Iesu testis est omni exceptione major Gabriel Cossartius in tomo decimo Conciliorum pag. 590. ubi Sirmondum verè ac liberè reprehendit. Nam duo illi canones postea reperti sunt esse Concilij Claromontani in veteri codice monasterij Anianensis, unde editi olim à nobis sunt in additionibus ad librum sextum de concordia sacerdotij & imperij multò antè quàm intrarent in amplissimam Conciliorum collectionem.

ARANDI ANTE MISSAM] Refert ista Antonius Augustinus ex Concilio Moguntino, id est, ex Concilio quod in ea urbe habitum est extremis Karoli Magni temporibus. Apud Reginonem lib. 1. cap. 378. ex Concilio apud Adrisphac in Bajoaria. De quo Concilio dictum est in Notis ad Reginonem pag. 573. Non extat enim in vulgatis editionibus Conciliorum; neque ulla illius alibi, quod sciam, memoria superest quàm apud Reginonem. Pag. 181.

PROPRIA HABUISSE] Ingens & difficilis controversia emersit ævo Ioannis XXII. inter eum & Franciscanos de paupertate Christi & Apostolorum, habuisséntne illi aliqua in proprio vel in communi. immo parum abfuit quin bellum propterea esset. Ea igitur quæstio extorsit duas constitutiones Ioannis quarum heic mentio est. Prima incipit: *Cùm inter nonnullos.* Alterius initium est: *Quia quorun-* Pag. 194.

dam mentes. Habeo ego veterem librum pulcherrimè scriptum, in quo continetur magistri Petri Rogerij Doctoris Theologi Parisiensis lectura, ut ipse vocat, seu commentarius in secundam illam constitutionem, dictata publicè Lutetiæ eo tempore quo quæstio illa maximè incaluerat. In hoc libro bene multa notatu digna referuntur, & inter alia narratio de quodam Doctore Parisiensi, cujus nomen proditum non est memoriæ literarum, qui eodem quo Petrus tempore docebat Lutetiæ doctrinam quæ à Ioanne XXII. declarata erat catholica, contrariam impugnabat. Hic ergo, ut solebant tum nonnulli scholastici Theologi insanire in novas cogitationes, eò usque progressus est ut doceret opinionem Franciscanorum non solùm esse hæreticam, quod à Ioanne definitum erat, sed magis hæreticam esse quàm eam quæ asserit Christum non fuisse incarnatum. Res est adeo demens ac stolida ut omnis huic narrationi fides deneganda foret nisi testimonio niteretur ejusdem Petri Rogerij, cujus hæc sunt verba sub finem operis: *Dico tamen hic quòd licèt talis assertio sit hæretica, non tamen est magis hæretica quàm assertio qua asseritur Christum non fuisse incarnatum. Quod dico propter dictum unius Doctoris, qui pridie oppositum, ut audivi, in sua lectione asseruit, arguens sic. Illud est magis hæreticum quod est contra majorem evidentiam fidei. Hæc videtur certa; quia quanto aliquid est magis evidens secundùm fidem, tanto ipsum negare est magis absurdum & erroneum. Sed asserere quòd Christus & Apostoli nihil habuerunt in proprio vel communi est contra majorem evidentiam fidei. Illi enim qui erant tempore Christi & Apostolorum clarè videbant quòd Christus & Apostoli habebant aliqua vel in proprio vel in communi, non tamen ita clarè videbant quòd Deus esset incarnatus, quia non videbant clarè Christum esse nisi purum hominem. Ergo asserere Christum & Apostolos nihil habuisse est magis hæreticum quàm asserere Deum non esse incarnatum.* Refellit deinde Petrus ridiculam illam assertionem. Ceterùm Petrus ille erat tum monachus Casæ-Dei & Prior sancti Baudilij Nemausensis, postea verò factus est Romanus Pontifex, voca-

tus Clemens istius nominis sextus. Initio operis præfixa est epistola dedicatoria ad Ioannem XXII.

SI QUID IN VET. LIBRO] Notat imperitorum hominum stultitiam, qui stolidè abutuntur auctoritate veterum codicum, pravam lectionem manuscripti codicis præferentes bonæ lectioni librorum editorum, nullam aliam ob causam quàm ut emendasse videantur antiquas bonorum auctorum editiones. Et tamen certum est, ut ex Rigaltio jam alibi observavimus, etiam veterum codicum auctoritate falsissimas lectiones asseri. Magno usui sunt veteres libri ad emendandos auctores antiquos, nemo negat. Sed tamen multo judicio heic opus est, multo sale, multa diligentia, & plurimo istarum rerum usu. Pag. 199.

VINO ÆGR. BAPTIZARI] Certum est caput istud non esse Siricij, ut rectè observat Antonius Augustinus. Neque tamen protinus verum est id scriptum fuisse à vano aliquo semipagano. Est enim ex responso undecimo Stephani secundi Papæ, ubi sic legitur: *Si in vino quis, propterea quòd aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa. Infantes sic permanent in ipso baptismo. Nam si aqua adfuit præsens, ille Presbyter excommunicetur & pœnitentiæ submittatur, quia contra canonum sententiam agere præsumpsit.* In antiqua collectione canonum Andegavensi caput illud ita scriptum est: IN EPISTOLA SANCTI SIRICI PAPÆ, HERA XIIII. *Presbyter qui in vino babtizat proxima necessitate, ut æger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa ascribatur. Si verò aqua aderat, & necessitas talis non urgebat, hic communione privetur & pœnitentiæ submittatur. Infans verò ille, si in sancta Trinitate babtizatus est, in eo babtismo permaneat.* Pag. 200.

LATENTIA PECCATA] Vide decreta Innocentij 1. cap. 24. quæ citantur à Rhabano in epistola ad Heribaldum Episcopum Autissiodorensem cap. 21 à Reginone lib. 2. cap. 139. & à Burchardo lib. 9. cap. 77. Pag. 205.

DE IOANNE VII. FEM.] Notissima est fabula, quam pueri & mulierculæ norunt, extitisse Pag. 225.

olim feminam quæ per biennium sacrosanctam sedem apostolicam occupaverit, detecta porrò fuerit ob subitum puerperium. Sed nunc illa adeo putida visa est ut etiam ab adversariis nostris repudietur tanquam vanissima & opprobrium historiæ. Anno MDCXLIX. David Blondellus eam confixit speciali dissertatione, in quam acriter invectus est Samuel Maresius; adversùs quem cùm Stephanus Curcellæus anno MDCLVII. præfationem apologeticam edidisset, quæ edita est in secunda editione libelli Blondellici, Maresius impatienter ferens, se adversùs illum ultus est, rursum incumbens refutationi dissertationis Blondellicæ. Pronuntiavit autem in initio Blondellus neminem ante Æneæ Sylvij tempora repertum fuisse cui falsi suspicio suboleret. Attamen ex vita Urbani V. ab auctore coætaneo scripta, quam vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Monspelienſis emisit in publicum, colligi posse videtur jam tum in suspicionem falsi venisse narrationem illam. Hæc sunt verba auctoris: *Abinde verò ad palatium remeavit pacificè & quietè, per urbem equitando, rectàmque viam tenendo; nec obliquavit hinc & inde, etiam occasione illius fatuæ mulieris quæ aliquandiu papatum dicitur occupasse, & in eadem vice abortum faciendo peperisse refertur.*

Pag. 231. M. MENDIS PURGASSE] Præstitit illud Covarruvias in libro 4. variar. resolut. cap. 14. & seqq. ubi multa doctè & eruditè pro suo more scribit digna quæ legantur ab hominibus rei canonicæ & ecclesiasticæ studiosis.

Pag. 233. PRO NICÆNIS HABITI] Loquitur de canonibus synodi Sardicensis, quos manifestum est citatos fuisse à veteribus collectoribus sub nomine Nicænorum. Nolo heic enarrare totam eam historiam. Illud tantùm moneo, plerosque canones Sardicenses, ac præsertim eos qui tractant de judicandis Episcopis, ex Concilio Nicæno referri in antiqua collectione canonum Andegavensi itémque in alia antiqua collectione quæ extat in monasterio sancti Germani de pratis apud Lutetiam.

IS LIBER NON EXTAT] Loquitur de libro

bro diurno, in quo vetus Romanorum Pontificum professio descripta est. Hunc librum non extare putabat Antonius Augustinus. Et tamen varia ejus exemplaria etiamnum supersunt, unum Romæ in bibliotheca Vaticana, alterum Lutetiæ in bibliotheca Collegij Claromontani Societatis Iesu, ex quo nonnulli viri clarissimi descripserunt in suos usus. Immo vir clarissimus Ioannes Launoius aliud exemplar viderat, ut ipse testatur in dissertatione de Lazari & Magdalenæ in Provinciam appulsu cap. 10. observat. 10. *Laudatum porrò Romanæ Ecclesiæ diurnum*, inquit, *qui videre voluerit, apud eos videbit ad quos integra pervenit Caroli Montchalli Tolosatis Archiepiscopi bibliotheca* Vaticanum ediderat vir de antiquitate ecclesiastica optimè meritus Lucas Holstenius anno MDCLX. prioráque & postrema editionis folia miserat ad illustrissimum virum Petrum de Marca Archiepiscopum ea tempestate Tolosanum; è cujus manibus illa reciperavit Cœlius Picolomineus Nuntius tum apostolicæ sedis in Gallia, nunc verò eminentissimus Cardinalis. Suppressa autem statim est editio illa Diurni, nescio quam ob causam. Fortassis quia in initio nimiùm multa circa electionem Romani Pontificis tribuuntur Imperatori & Exarchæ apud Ravennam commoranti.

MOLINÆI ESSE] Reprehendit in hoc loco Franciscus Florens Antonium Augustinum, quòd scripserit verba paulò antè relata sibi videri Molinæi esse, non Contij. *Sunt enim*, inquit Florens in pagina octava ejusdem præfationis, *re vera Contij, & ipse Contius ea sibi asserit, si loca omnia quæ citavimus suprà ex editione Antuerpiana diligenter comparentur.* Qua verò conjectura ductus Antonius Augustinus putaverit hoc scholium non esse Contij, sed Molinæi, sanè non video. Tota enim Latinitas scholij valde diversa est à stilo Molinæi, neque in editione Gratiani à Contio procurata operæ præstitæ à Molinæo ulla mentio est. Pag. 236.

INDEX SELECT.] Hunc indicem nos huc transtulimus, cùm antea editus esset in fine additionum ultimi dialogi. Mutationis auctor nobis fuit Anto- Pag. 237.

nius Augustinus, qui in fine dialogi ait pag. 236. *Ecce tibi, minùs tamen perfectum, indicem.* Vnde nos collegimus sequi eum debuisse statim post dialogum, non verò post additiones.

Pag. 238. EUSTACHIUS] Nos addidimus hanc vocem, cùm lacuna heic esset in superioribus editionibus. Neque puto quemquam ægrè laturum hanc audaciam.

PAMPHILUS] Et hanc quoque vocem nos addidimus, quæ deerat in aliis editionibus.

ARNALD. PONTACUS] postea Episcopus Vasatensis, vir doctissimus; de quo Franciscus Florens in præfatione tractatuum de qua suprà diximus, agens de selectis viris emendationi Gratiani præfectis, ita loquitur pag. 8. *Doleo tamen, & moneo, nec abs re, unicum Gallum Arnaldum Pontacum, & serò adhibitum. Reliqui omnes fuerunt aut Itali aut Hispani.* Hujus viri diligentiæ debemus editionem Chronicorum Eusebij & aliorum veterum emendatam ad codices antiquos.

FR. PEGNA] Diù molestum me habuere quæ heic dicuntur de Francisco Pegna. Videbam virum fuisse doctissimum & laudatum, non solùm ab hominibus qui eodem cum illo tempore vixerunt, sed etiam ab illis qui secuti postea sunt. Et tamen Antonius Augustinus subindicare videtur aliquid adversum famæ viri, dum ait eum templum Dianæ incendisse visum esse cùm additiones Decretalium componeret, ac si Franciscus, alioqui ignotus, famam sibi comparare voluerit hoc labore, non secus ac Herostratus incendendo templum Dianæ Ephesiæ. Per additiones autem istas intelliguntur Notæ marginales Decretalium in editione Gregorij XIII. quas nullus ferme scit esse Franciscj Pegnæ, atque adeo sunt sine nomine. Scripsit ille varia opera, commentarium in Directorium Inquisitorum Nicolai Eymerici, tractatum de extravagantibus, quem doctissimum tractatum vocat Franciscus Florens, annotationes in Lucernam Inquisitorum Bernardi Comensis, ac nonnulla alia.

Pag. 250. SYNODIS NON EDITIS] Editæ illæ nuper

sunt à Luca Holstenio bibliothecæ Vaticanæ præfecto ex veteri codice MS. Francisci Cardinalis Barberini.

SIGEFREDUS] Intelligit haud dubiè Sigebertum, apud quem ad annos 816. & 823. reperiuntur quæ heic notat Antonius Augustinus. Sed nihil mutare voluimus. Ceterùm quæstio quam hic movet auctor de annis Lotharij facilè solui potest si recurramus ad originem imperatoriæ dignitatis ejusdem Lotharij. Nam ille in consortium imperij adscitus à patre est anno DCCCXVII. III. Kalendas Augusti, uti diximus in Notis ad Agobardum pag. 109. & patet ex actis divisionis imperij factæ à Ludovico quæ apud nos extant. Itaque qui cœpit imperare anno DCCCXVII. mense Iulio, trigesimum septimum imperij annum agebat anno DCCCLIII. die octava Decembris, qua celebratum fuit Concilium à Leone quarto. Idem Concilium dicitur celebratum anno quinto imperij Ludovici filij Lotharij. quod verum est. Nam Ludovicus consors imperij factus à Lothario est anno DCCCXLIX. exeunte. Probatur illud ex Præcepto ejus pro monasterio Farfensi apud Ducheſnium tomo III. pag. 667. quod datum est v. Kal. Iunij anno XXIII. ejusdem Ludovici, Indictione quinta, id est, anno DCCCLXXII. Ibidem pag. 690. extat aliud ejusdem Præceptum datum III. Idus Iunij anno imperij ejus XVIII. Indictione XIV. id est, anno DCCCLXVI. Denique in Chartulario monasterij Casaurienſis leguntur acta quædam, in quibus continetur donum Hirmingardis Augustæ, quæ data dicuntur *anno septimo imperij Ludovici Imperatoris, mense Iunio, Indictione quarta*, id est, anno DCCCLVI. Hinc ergo corrigas velim Chronicon Casaurienſe editum in tomo quinto Spicilegij Dacheriani pag. 364. ubi annus dominicæ incarnationis DCCCLIV. componitur cum anno tertio imperij Ludovici, XXXIV. Lotharij, & Indictione prima. Hæc omnia mendosa sunt. Meliùs in conventu Ticinensi ejusdem Ludovici apud Henricum Canisium to. V. lectionis antiquæ, ubi annus DCCCLIV. dicitur esse annus sextus imperij Ludovici, nimirum incep-

Pab. 267.

tus, sed non exactus. Sed heic rursum Indictio quarta mutanda est in tertiam. Emendandum eodem modo est aliud ejusdem Ludovici Præceptum apud Duchesnium to. III. pag. 666. quod datum dicitur Kalendis Decembris anno VIII. ejusdem Ludovici, Indictione VIII. Indictio enim octava non congruit cum anno octavo Ludovici.

Pag. 273. STEPHANI SANCTIONEM] Canon est Concilij Lateranensis à Callisto secundo celebrati, in quo refertur decretum Stephani primi adversùs laicos ne ullam facultatem habeant disponendi de rebus ecclesiasticis. Idem decretum refertur etiam ab Hildeberto Cenomanensi in epistola 54. ad A. Episcopum Claromontensem scripta. Sed Alexander III. in epistola ad Archiepiscopum Upsellensem, quæ est XIX. in appendice Petri Cellensis, citare videtur ex synodo Symmachi Papæ. Tum consequenter adfert postremam clausulam istius canonis Lateranensis.

Pag. 278. LIBRUM CALLISTI] Non puto Antonium Augustinum ista referre tanquam crederet, sed ut referret simpliciter quæ de Callisto feruntur opinione vulgi Hispanici. Constat enim narrationem illam falsam esse, Callistum verò nunquam fuisse in Hispania. Fuit tamen studiosissimus sancti Iacobi Compostellani, ut ait Baronius, & de ejus miraculis volumen confecit. Is est ipse Callisti liber ab Antonio Augustino memoratus. Illius exemplar nos vidimus in veteri codice MS. bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis, ex quo decerpere visum est elegantem jucundissimámque præfationem istam. INCIPIT ARGUMENTUM BEATI CALIXTI PAPÆ *de miraculis sancti Iacobi Apostoli. Summopere pretium est beati Iacobi miracula ad decus Domini nostri Iesu Christi scriptura tradere & memoriæ æternaliter commendare. Dum enim sanctorum exempla à peritis narrantur, auditorum corda ad patriæ cœlestis dulcedinem & amorem piè excitantur. Quod ego animadvertens, barbaras terras perambulans, quædam ex his miraculis in Galetia, quædam etiam ultra tria maria, diversa scilicet in diversis locis scripta repperi, quædam in oris barbaris quibus beatus Apostolus ea dignatus est operari, nar-*

rantibus illis qui ea viderunt vel audierunt didici, quædam propriis oculis vidi, quæ diligenter ad decus Domini & Apostoli litteris commendavi. quæ quanto magis pulcriora, tanto magis cariora. Nec quis putet me omnia quæ audivi de eodem miracula & exempla scripsisse, sed quæ verissimis assertionibus verissimorum hominum vera approbavi fuisse. Si enim omnia miracula quæ de eodem in compluribus locis sub multorum narratione audivi scriberem, magis deficeret manus studiumque pergamenum quàm ejus exempla. Quapropter præcipimus ut codex iste inter veridicos & autenticos codices deputetur & in Ecclesiis & in refectoriis diebus festis ejusdem Apostoli aliisque, si placet, legatur. Stimulabat Callistus Anglos ad peregrinationem Compostellanam, ut ex Vvillelmo Malmesburiensi docet Baronius. Contrà Hildebertus Cenomanensis Episcopus in epistola LVIII. Comitem Andegavensem deterrabatur ab eo itinere capessendo. Et omnino digna est epistola illa quæ legatur ab hominibus sacrarum peregrinationum ardore succensis.

INNOCENTII TERTII] Optimè notat Antonius Augustinus falsum esse hoc loco Innocentium, qui crediderit canonem de quo heic agitur esse Concilij Constantinopolitani primi, cùm sit ex synodo quam Photius habuit Constantinopoli. Vide lib. 5. de concordia sacerdotij & imperij cap. 21. §. 12. Pag. 289.

REGNARE DESIDERANT] Legendum, *desiderant*. Error fuit typographi. Pag. 321.

FORUM IUDICUM] vulgò hodie *Fuero Iuzgo*. Editio commentariorum Alfonsi à Villadiego in eum librum cusa Madriti anno MDC. ita habet in prima pagina. *Forus antiquus Gothorum Regum Hispaniæ, olim* LIBER JUDICUM, *hodie* FUERO IUZGO *nuncupatus.* Iacobus Cujacius ad titulum secundum *De foro competenti* in Decretalibus probat multis exemplis forum dici in genere masculino, quo modo scriptum est ab Alfonso. Antonius tamen Augustinus heic forum posuit in neutro genere, quod esse aptius quàm *forus* idem pronuntiavit in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 36. cap. 10. Rectè autem ait Augustinus librum illum esse eum qui à

Petro Pithœo editus est Parisiis anno MDLXXIX cum hoc titulo : *Codicis legum Vvisigothorum libri* XII. Hunc codicem nos contulimus cum duobus antiquissimis exemplaribus manuscriptis, uno monasterij Moyssiacensis, altero Ecclesiæ Albiensis. Rursum duo illius antiqua exemplaria extant in bibliotheca Thuana, & aliud antiquissimum in monasterio Rivipullensi.

Pag. 322. ATQUE LOTHARII] Imposuit Antonio Augustino editio Capitularium Ioannis Tilij, ubi in præfatione Ansegisi scriptum est libris quatuor Capitularium contineri capitula quæ domnus Karolus Imperator fecit & ea quæ domnus Ludovicus Imperator & Lotharius Cæsar filius ipsius ediderunt. Sanè fatendum est ita pariter haberi in vetustissimis Capitularium exemplaribus Rivipullensi, Camberonensi, Trecensi, & in editione Basileensi Ioannis Heroldi. Nihilo minùs vir clarissimus Petrus Pithœus pronuntiavit heic perperam adjectum esse nomen Lotharij, cùm nihil inter hæc proprium ejus esse putaret. Hæc sunt Pithœi verba. *Sanè quòd in Ansegisi præfationibus Lotharij nomen adjectum est, datum id scias exemplarium quorundam antiquitati, quæ sub ejus ditione, ut verisimile est, primùm descripta, non hoc solum ipsius honori tribuerant.* At parte ex alia antiquissimi & optimi libri, Pithœanus, Thuanus, Colbertinus, non habent nomen Lotharij. Præterea certum est omnia quatuor istorum librorum capita sumpta esse ex constitutionibus Karoli Magni & Ludovici Pij. Vide Concilium Meldense cap. 78.

SENONEN. ARCHIEPISC.] Et istud quoque falsum est, uti jam observaverunt viri eruditissimi. Nam Ansegisus collector Capitularium diversus omnino est ab Ansegiso Senonensi Archiepiscopo.

APOST. AUCTOR. CONFIRMATA] Intelligendum istud non est de libris septem Capitularium in universum, sed tantùm de tribus ultimis à Benedicto Levita collectis, ut sapienter monuit illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis in libro sexto de concordia cap. 27. §. 3. Nam collectio illa Benedicti Levitæ diversa prorsùs erat à collectione Anse-

gisi, neque unum semper corpus cum ea constituebat. Testis sit Hincmarus Remensis Archiepiscopus in opusculo quod inscripsit *De Presbyteris criminosis de quibus approbatio non est.* Illic enim referens caput 34. libri quinti Capitularium, qui est primus Benedicti Levitæ, ita ait: *Quid de Presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est, agendum sit, in libro primo capitulorum Domni Karoli Imperatoris Augusti capite trigesimo quarto scriptum est: Hoc nobis magno cum studio retractandum est &c.* Denique Isaac Lingonensis Episcopus collectionem suam adornavit ex solis tribus libris Capitularium à Benedicto Levita editis. Quod evincit divisos illos utplurimum fuisse à collectione Ansegisi. Unde factum ut in antiquissimis exemplaribus Capitularium nulli alij libri reperiantur præter quatuor priores.

NON INVENIANTUR] Quia nimirum ingens capitulorum numerus ex tribus postremis libris Capitularium detractus est à Ioanne Tilio & Petro Pithœo, vel quia jam edita erant aliis in locis Capitularium, vel fortassis quia superflua & inutilia videbantur. Nos suis quæque locis, si Deus firmam valetudinem nobis & otium dederit, restituemus secundùm antiquas librorum illorum divisiones quarum vestigia supersunt in Capitulis Ludovici Pij & Karoli Calvi, apud Hincmarum, Isaacum, Reginonem, in Concilio Trosleiano, denique apud Fulbertum & Ivonem. Pag. 324.

IMPER. CUM EPISC.] Verissimum est quod hic observat Antonius Augustinus, fontem Capitularium fuisse ipsa Concilia atque conventus in quibus Imperator cum Episcopis & aliis Consiliariis de rebus tam ecclesiasticis quàm profanis agebat. Vnde capitula synodalia dicebantur quæ in synodis inventa erant, ut dictum est in Notis ad Reginonem pag. 542. Sapienter autem dixit Augustinus *Concilia atque conventus*; quia tamenetsi certum sit magnam partem horum capitulorum decretam fuisse in Conciliis, negari tamen non potest quin multa etiam à Principibus nostris pro jure suo statuta fuerint extra synodorum præsentiam. Vide Marcam lib. 6. de concordia cap. 25.

Pag. 331. MIHI INTERPRETARI] Notanda est singularis modestia & ingenua confessio Antonij Augustini, qui non intellecta à se fatetur verba ista abbreviata ex capitulis Karoli Magni, CCCC. *solid. culp. jud.* conjicit verò scribi fortasse debuisse *comp. jud.* pro *compositione judicetur.* Legendum igitur est *solidis culpabilis judicetur*, ut scriptum est in capitulis quæ idem Karolus addi præcepit legi Salicæ, tum etiam in antiquo codice MS. sancti Petri Pictavensis, & in libro Capitularium Rivipullensi. Attamen fatendum est in libro Petri Pithœi scriptum esse, CCCC. *solid. componat.* quo etiam modo habetur in codice Colbertino & in Camberonensi. At in regio & in Thuano legitur *componatur.*

Pag. 332. IN PANORMIA EDITA] tam in editione Basileensi quàm in Lovaniensi. Sed in codice Victorino legitur: *Capitular. lib. cap.* CCXCIIII. Extat capitulum istud iisdem verbis in Additione prima Capitularium cap. 16. quæ sumpta est ex conventu Aquisgranensi Abbatum Franciæ cum monachis suis acto anno DCCCXVII. Sed in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Iuliæ Helmæstadiensis academiæ, cujus exemplum ad me miserunt viri clarissimi Hermannus Conringius & Ioachimus Iohannes Maderus, ita legitur: *Vt sibi conpatres commatrésve non faciant, & nullam quamlibet mulierem oſculentur.* Centuriatores verò Magdeburgenses centuria nona cap. 6. pag. 275. sic ediderunt: *Vt sibi compatres commatrésque non faciant, & nullam unquam quamlibet mulierem oſculentur.*

Pag. 336. ROTHADI EPISCOPI] Vide quæ de hac causa dicta sunt in capite octavo, undecimo, & duodecimo præfationis nostræ ad hos Antonij Augustini dialogos.

Pag. 357. PRÆCIPUÆ CUM Æ] Contij hæc verba sunt in margine istius capitis: *Puto legendum* Præcipuæ. *ut sit proprium nomen.* Doleo hanc conjecturam excidisse viro doctissimo. Vide locum integrum tomo tertio Conciliorum Galliæ pag. 329. in epistola Nicolai ad Lotharium quæ incipit *Audito revertente Missо nostro.*

NON ADMONITUS] Rectè. Nam etiam in manuſcripto Pannormiæ codice Victorino ſic ſcripta eſt vox illa ut facilè dignoſci non queat utrum *euiratus* legendum ſit an *eiuratus*. Attamen vetuſti correctoris diligentia effectum eſt ut intelligeremus legendum eſſe *euiratus*, ut qui mucrone cultelli diſiunxerit literas *u* & *i*. Pag. 361.

OSVVALDUS] Vir fuit optimus & ſanctiſſimus, valde laudatus à Vvillelmo Malmeſburienſi in libro tertio de geſtis Pontificum Anglorum & à ceteris ſcriptoribus Anglis, tum etiam à Franciſco Godvvino, licèt illum is poſtea mordeat in cauſa cœlibatus Clericorum. At calidiſſimus Ioannes Balæus omnes reverentiæ & honeſtatis terminos heic exceſſit, huc etiam progreſſus ut Oſvvaldum Odonis Archiepiſcopi Cantuarienſis filium ex monacha fuiſſe impudenter inſinuaret, quia videbat eum dici nepotem Odonis, id eſt, fratris filium, ut interpretatur Godvvinus. Fuit autem primò Vvigornienſis Epiſcopus, (non Vvintonienſis, ut malè credidit Antonius Auguſtinus) deinde Archiepiſcopus Eboracenſis. Retinuit tamen ſemper epiſcopatum Vvigornienſem, ne monaſtica profeſſio, quam ipſe illic recenter inſtituerat, evaneſceret per abſentiam ejus. Deceſſit die 27. Februarij anno 992. Vvigorníæque in Eccleſia à ſe conſtructa ſepultus eſt, ubi ad tumulum ejus, ut ſcribit idem Godvvinus, multa patrata perhibentur miracula, propter quæ à poſteritate credula ſanctorum numero adſcriptus eſt. Attamen Ioannes Pitſeus putat eum perveniſſe uſque ad annum decimum ſupra milleſimum. Scripſit nonnulla opuſcula quæ à Balæo & Pitſeo enumerantur. Nullus tamen eorum meminit Martyrologij ab eo ſcripti. Pag. 372.

FUITNE ALIQUIS] Ingenuè fatetur Antonius Auguſtinus neſcire ſe quis ſit hic Gerardus vel Airardus Archiepiſcopus Turonenſis. Vide infrà in Notis ad Gratianum 2. q. 1. cap. 10. *Notum*.

EGARENSE] Habitum illud fuit ſub Siſebuto Rege Gothorum in Hiſpania. Egaram porrò urbem fuiſſe Hiſpaniæ Tarraconenſis, ſitam ubi nunc eſt Terracia, inter Barcinonem, Minoriſſam, & Au- Pag. 400.

sonam, ostendimus olim in dissertatione de episcopatu Egarensi, quæ nuper edita est in tomo quinto Conciliorum pag. 1645. Illud nunc addo, graviter heic lapsum esse Maurum Castellam Ferrerium, qui in libro secundo historiæ sancti Iacobi pag. 209. scribit Concilium Egarense celebratum fuisse in Gallia Narbonensi, quæ tum parebat imperio Regum Gothorum in Hispania regnantium.

STEPHANI BALVZII TVTELENSIS NOTÆ AD GRATIANVM.

INSCRIPTIO istius capitis hæc est in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus: *Item Nicolaus Papa Higmaro* vel *Igmaro Remensi Archiepiscopo.* Malè Sangermanensis: *Ignatio Remensi Episcopo.* Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 4. c. 1.

Di. 8. c. 5. Mala.

In vulgatis editionibus legitur simpliciter: *Item Gregorius Vvimundo Aversano Episcopo.* Sed Correctores Romani adnotant in hoc loco in aliquot manuscriptis & apud Ivonem esse *Gregorius* VII. Ivo parte 4. Decreti cap. 213. *Gregorius VII. Vvimundo Aversano Episcopo.* Idem in Pannormia edita Basileæ lib. 2. cap. 166. *Gregorius Guillimundo Aversano Episcopo.* In editione Lovanienſi: *Augustinus cap. 5. & 6. lib. 4. de baptismo.* In veteri codice Pannormiæ Victorino: *Gregorius IIII. Vvimundano Aversano Episcopo.* In antiqua collectione canonum quæ fuit viri clarissimi Claudij Puteani, nunc verò servatur in bibliotheca regia, ita legitur: *Gregorius VII. Vvimundo Aversano Episcopo.* Codex sancti Germani Parisiensis: *Item Gregorius VII. Guimundo Aversano Episcopo.* Vetus codex Victorinus: *Item Gregorius Papa VII. Guillimundo Aversano Episcopo.* Antiqua editio Moguntina: *Item Gregorius VII. Guilimundo Aversano Episcopo.* Codex Colbertinus: *Item Gregorius VII. Simundo Adversano Episcopo.* Ex voce *Adversano* factum est postea *Adversario.* Alter codex Victorinus: *Item Gregorius VII. Guimundo Adver-*

Ibid. c. 5. Si consuetudinem.

sario Episcopo. Vnde facilè corrigas errorem qui extat apud Guillelmum Durandi in præfatione libri secundi de modo generalis Concilij celebrandi: *Gregorius VII. Gilmundo etiam adversario Episcopo scribit.* Atque hoc mendum non esse typographorum erratum patet ex vetustissimo ejusdem libri exemplari scripto diù ante typographicam artem inventam.

Di. 10. *c.* 3. Certum est.

In codicibus Gratiani manuscriptis & per typographos vulgatis legitur: *Item Felix Papa.* Apud Democharem: *Item Fœlix Papa loquitur Principi.* Ad quem verò Principem scripta sit epistola illa, cujus Felicis, docet nos Sirmondi præfatio ad appendicem Codicis Theodosiani, ubi monet ita restituendam esse inscriptionem istius capitis: *Item Felix III. Zenoni Augusto.*

Di. 15. *c.* 3. Sancta Ro.

GELASIUS IN CONCILIO] Constat decretum istud de libris canonicis & apocryphis vulgò tribui Gelasio Papæ istius nominis primo. In veteri tamen codice MS. Ecclesiæ Vrgellensis, in quo continetur sincera Isidori collectio, & in pervetusto codice monasterij Iurensis, ut monet R. P. Petrus Franciscus Chiffletius in Notis ad Vigilium Tapsensem, idem decretum tribuitur Hormisdæ Romano Pontifici, qui non multò post Gelasium floruit. Sed & olim beneficio clarissimi viri Lucæ Dacherij vidi vetustissimum codicem collectionis Dionysianæ, in quo scriptum erat decretum hoc à Damaso Papa, diù videlicet ante Gelasij tempora, editum fuisse. Unde olim collegimus in Notis ad epistolam CXXVIII. Lupi Ferrarienſis, Damasum fortassis primum omnium de hujuscemodi libris publicè statuisse, deinde verò Gelasium renovasse decretum Damasi, illúdque auxisse eorum auctorum nominibus qui post Damasum vixere. Quod idem de Hormisda quoque dici potest.

VENER. SUSCIPIENDÆ SUNT] Post hæc verba nihil ex Gelasiano isto decreto legitur in antiquis Gratiani exemplaribus regio & Sangermanensi. Quin & Nicolaus Cardinalis Cusanus in libro tertio de concordantia catholica cap. 2. admonet antiqua Decreta (id est, veteres Gratiani codices) non

habere hunc textum nisi usque ad vers. *Item decreta Romanorum Pontificum* inclusivè, nimirum usque ad ultima verba à nobis relata. Sequentia tamen, quæ in vulgatis Gratiani editionibus leguntur, extant in duobus Victorinis & in Colbertino, tum etiam in duabus antiquis editionibus Moguntina & Veneta.

HEROICIS VERSIBUS] Sic omnino habent antiqua Gratiani exemplaria Victorina & Colbertinum, tum etiam veteres editiones Moguntina & Veneta. Et tamen Ioannes Pierius Valerianus, in libello quem scripsit pro sacerdotum barbis, docet vulgata hactenus exemplaria pro *heroicis versibus* habuisse *hæreticis versibus*. Hæc sunt ejus verba, digna profectò quæ heic describantur: *At videte, obsecro, quæ damna plerunque depravati codices afferant. Nostris in sacris legibus, dist.* XV. *Gelasij Papæ sententia est, venerabilis viri Sedulij paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude proferendum. Vulgata tamen hactenus exemplaria, pro* heroicis versibus, hæreticis versibus *habuere. Quod bonis quibusdam legum professoribus suspicionem oggessit poëmata omnia esse hæretica, poëtásque inter pios, etiamsi sacra tractent, nequaquam adnumerari. id quod Hadriano VI. Pont. Max. usque adeo persuasum vidimus ut hac de causa nullum hominum genus majori prosequeretur odio quàm poëtas, id nominis nihil aliud præ se ferre arbitratus quàm impietatem. Et adhuc aliqui, non mali quidem Præsules, depravata illius lectionis hallucinatione & alterius hujus de rasitanda barba errore ducti, neminem sacerdotio dignum putant qui vel barbam nutriat vel versus faciat. Tanti est pravam semel opinionem imbibisse.*

HISTORIA EUSEBII PAMPHILI] Heic Gelasius, sive quis alius sit auctor istius decreti, historiam Eusebij ecclesiasticam numerat inter apocrypha. Et tamen idem, cùm in initio ageret de opusculis sanctorum patrum quæ in Ecclesia catholica recipiuntur, eandem historiam inter probatorum auctorum lucubrationes connumeraverat. Quòd cùm videret Beatus Rhenanus, existimavit verba illa, *Historia Eusebij Pamphili apocrypha*, adjecta deinde

huic decreto fuisse ab homine imperito. Hæc sunt ejus verba ex epistola ad Stanislaum Turzum Episcopum Olomutzensem, quæ præfixa est editioni Latinæ Eusebij & nonnullorum aliorum historicorum ecclesiasticorum ab eodem Rhenano procuratæ anno MDXXIII. Basileæ. *Quod autem*, inquit, *eadem* XV. *dist. paulò pòst legitur historiam Eusebij Pamphili apocrypham esse, ab aliquo asino adjectum est. nisi velimus dicere Gelasium sibi ipsi contrarium, ut qui in eodem decreto improbet librum antè à se probatum. quod est valde inconveniens.* Reprehendit autem Rhenanum Carolus Molinæus quòd existimaverit hæc verba ab aliquo asino adjecta, cùm potiùs dici debuisset alterius Eusebij esse historiam illam quàm Cæsarienſis. Hæc sunt verba Molinæi. *Non est dicendum hæc verba ab aliquo asino adjecta, ut ait Beatus Rhenanus in præfatione sua in historiam Eusebij Cæsariensis, præsertim quia omnes libri sic habeant etiam inter Concilia Ecclesiæ to.* 1. *Sed dicendum, esse alterius Eusebij quàm illius Cæsariensis suprà eod. col.* 2. *approbati.* Carolum deinde Molinæum, tacito tamen ejus nomine, reprehendit Contius in scholio ad hunc locum. *Sed nec iis assentior*, inquit, *qui de alio Eusebio hunc locum intelligi volunt quàm illius Cæsariensis cujus hodie extat utraque lingua historia ecclesiastica. Nam & Nicephorus in præfatione histor. eccles. ait in ejus historia apparere cacoëthes ejus hæreseos, & idem Gelasius paulò antè id significat.*

Mihi sanè illa conciliandæ istius contradictionis ratio probari non potest quam adfert Molinæus. Itaque observandum est cum clarissimo viro Ioanne Baptista Cotelerio, apocrypha à Gelasio non pro pseudepigraphis duntaxat sumi, verùm pro omnibus quæ quia notam aliquam mereri videntur, sive suppositionis, sive erroris, sive impietatis, abscondi debent atque ignorari, nec in publica versari notitia sicut libri canonici scripturarum & ij ecclesiastici patrum qui inoffenso pede decurri queunt. Quare inter apocrypha recenset Clementis Alexandrini opuscula, Tertulliani, Cypriani, Arnobij, Lactantij, aliorum, quamvis indubia. Huc usque observatio

Cotelerij. Iam verò satis omnes intelligunt sublatam esse eam repugnantiam, non quæ esset, sed quæ esse videretur in decreto de libris canonicis & apocryphis. Nam qui in prima parte monuerat Chronicon Eusebij Cæsarienſis atque ejusdem historiæ ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & postea in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum texuerit librum, propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad institutionem pertinent, *usquequaque non renuendos*, nunc cùm de libris agit auctorum in quibus nævi quidam & errores sunt, quíque propterea non in omnium manibus esse debent, inter eos ponit historiam ecclesiasticam Eusebij, quam tolerari potiùs quàm suscipi ab Ecclesia dixerat in prima parte decreti, ut seculi nostri verbis sententiam veteris temporis explicemus. Vide Didacum Covarruviam lib. 4. variar. resolut. cap. 17. §. 7. ubi rectè ista explicat, conjecturam etiam Beati Rhenani refellens.

FAUSTI MANI. APOCHYPHA] In variis quæ hactenus prodierunt Gelasiani istius decreti editionibus sequitur: *Opuscula Commodiani apocrypha.* Quæ descripta non sunt apud Gratianum in vulgatis editionibus. Extant tamen in Contiana, sed diverso charactere cusa, ut intelligeremus addita ea non esse ex antiquis Gratiani exemplaribus, sed ex ipso Gelasij decreto huc translata velut in suum. Hic tamen agendi modus, ut ego arbitror, excitavit gravem Antonij Augustini censuram adversùs Contium, tanquam is perperam nonnulla Gratiano inseruisset quæ inserenda non erant. Hæc sunt Augustini verba ex præfatione ad antiquas collectiones Decretalium: *Audaciùs Antonius Contius nuper & Ioannes Quintianus, qui multa inserere ausi sunt pontificiis rescriptis. Eorum ego ingenium laudo, atque quod dat minimè aspernor. Id tamen mihi malo exemplo fieri videtur, si quod publica auctoritate accepimus, liceat nobis privata voluntate interpolare. Illi quidem præclarè notas addunt quibus sua ab alienis distinguantur. At res est plena periculi, cùm facilè in his librarij labi soleant & aliena verba vel longiùs separata in nostrorum verborum numerum referre.*

Di. 19. *c.* 3. Inmemoriam

Hæc est inscriptio istius capitis in codicibus regio & Sangermanensi & in prima editione Moguntina: *Item ex capitulo Karoli Imperatoris.* Reliqui habent *Capitul.* Editio Veneta: *Item ex c. Caroli Imperatoris.* Burchardus lib. 1. cap. 220. citat ex Concilio Triburiensi, ubi extat. Fatendum tamen est cognitum magis fuisse hoc caput sub nomine Karoli quàm sub nomine Concilij Triburiensis, nimirum à viris quibus Gratiani collectio notior erat quàm codex Conciliorum. In tomo octavo Spicilegij Dacheriani edita est oratio à Pio secundo habita in conventu Mantuano, in qua hæc scripta sunt pag. 323. quæ ita legi debent, sicuti etiam leguntur in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ. *Mirum si hac ratio Carolum movit, quem prædecessoris sui Magni Caroli decebat imitatorem esse, cujus hæc verba leguntur: In memoriam beati Petri Apostoli honoremus &c.* Sed ex canone Triburiensi descripsisse videntur Episcopi provinciæ Iuvavensis in epistola scripta anno DCCCI. ad Ioannem IX. Papam, quæ à Goldasto edita est in appendice documentorum de regno Bohemiæ. Hi enim ita loquuntur: *Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa sancta & apostolica sede, quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis & origo Christianæ religionis, profluxerit quippiam perversitatis, sed doctrinæ & auctoritas ecclesiastica rationis.* Vide additionem nostram ad caput XVI. libri secundi de concordia sacerdotij & imperij.

Di. 19. *c.* 9. Anastasius.

Certum est permulta in hoc capite esse quæ non congruunt cum fide historiæ. Neque tamen propterea accusandus est Gratianus, cùm ille non sit auctor istius narrationis, quam accepit ex veteri libro pontificali Romanæ Ecclesiæ. Rectè ergo Albertum Pighium reprehendunt Antonius Augustinus & Didacus Covarruvias quòd omnem istius loci invidiam rejecerit in Gratianum. Vide quæ suprà à nobis dicta sunt in Notis ad Antonium Augustinum pag. 417.

REVOCARE ACACIUM] id est, *dogma ejus*, ut habet glossa interlinearis in codice regio. Baronius autem ita interpretatur ac si Anastasius propensior fuerit in restituendo sublato è Diptychis Acacij nomine

mine. Fortassis neutra harum interpretationum vera est.

Epistola ista Leonis quarti ad Episcopos Britanniæ, cujus varia fragmenta refert Gratianus, reperitur integra in tomo tertio Conciliorum Galliæ. Aliqua autem illius pars extabat in collectione Severini Binij. *Di.* 20. *c.* 1. De libellis.

Initium istius capitis sumptum est ex epistola 63. libri 7. epistolarum sancti Gregorij, ut rectè notant Correctores Romani. *Di.* 22. *c.* 4. De Constantinopolitana.

QUOD ET D. PIISSIM.] Tota illa clausula usque ad verbum *profitentur* deest in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, etiam apud Democharem & Contium. Adjecta ergo est à Correctoribus Romanis contra omnium codicum & editionum fidem. Et tamen iidem cùm soleant admonere si quid propria auctoritate ex originalibus, ut iunt, addant in contextu Gratiani, nihil heic admonuerunt; sed locum hunc uno tenore ediderunt interpolatum, ac si Gratianus ita legisset. Qua audacia non video fieri quicquam posse audacius.

EUSEBIUS] Tamenetsi clausula illa non extet apud Gratianum, adeóque Eusebius iste nihil faciat ad auctorem nostrum, utar tamen hac occasione ut admoneam vocem illam deesse in antiquissimo codice epistolarum sancti Gregorij manuscripto in bibliotheca regia, tum Thomam Iamesium in Vindiciis Gregorianis pag. 123. notare eandem deesse in antiquis epistolarum Gregorij libris à se visis. Denique Amalarius, qui epistolam illam totam integram refert in libro 4. cap. 26. de ecclesiasticis officiis, legit simpliciter, *frater noster ejusdem civitatis Episcopus*, omisso nomine Eusebij, quod omisit etiam Anselmus Lucensis lib. 2. cap. 68. Nullus quippe ea tempestate Eusebius fuit Episcopus Constantinopolitanus, sed Cyriacus, ut cuivis manifestum est.

PRIMAS BYZANCENUS] Apud sanctum Gregorium lib. 7. Indict. 2. epist. 64. hæc scripta sunt in titulo: *De Episcopo Constantinopolitano de crimine accusato.* Hanc porrò summulam, ut vocant Correctores Romani, seu potiùs corruptelam esse

antiquissimam colligitur ex epistola XLVII. Hincmari Remensis Archiepiscopi ad Ioannem VIII. Papam scripta nomine Karoli Calvi. In capite enim quinto referens locum ex hac epistola Gregorij de prærogativa sedis apostolicæ, cui se Episcopus in ea epistola nominatus dicebat velle subjici, Hincmarus apertè interpretatur de Episcopo Constantinopolitano. Quod aliunde, ut opinor, accipere non potuit Hincmarus quàm ex lemmate jam tum appositio huic epistolæ. Habetur illud in antiqua editione Parisiensi epistolarum sancti Gregorij facta anno MDXVIII. itémque in ea quæ anno MDLXXXVI. in eadem urbe procurata est cum reliquis sanctissimi Pontificis operibus. Cùm ergo lemma istud sit antiquum, adeóque per multa secula citra controversiam putatum sit heic agi de Episcopo Constantinopolitano, ut patet ex glossis Gratiani tam editis quàm manuscriptis, non bene mihi feciſse videntur qui Romæ curam edendarum sancti Gregorij lucubrationum susceperunt anno MDXCI. titulum illum ita mutantes propria auctoritate: *De Episcopo Bizaceno provincia Africa de crimine accusato.* Porrò omnes antiqui codices, omnes Gratiani editiones ante Romanam, habent in hoc loco *Byzancenus Primas.* In antiquissimo tamen epistolarum ejusdem Gregorij codice MS. bibliothecæ regiæ legitur *Bizazenus*; apud Anselmum verò Lucensem lib. 2. cap. 68. in codice Sangermanensi *Byzacenus*, in Barberino *Bizacenus.* quo etiam modo habetur in editione Romana epistolarum sancti Gregorij. Certa est hauddubiè emendatio. Itaque verè mendum heic esse pronuntiavit illustrissimus Cardinalis Baronius ad annum DXCIX. de Primate enim Byzaceno agi, non autem de Episcopo Constantinopolitano. Vt mirum valde sit illustrissimum Cardinalem Perronium postea contendisse loqui in hoc loco sanctum Gregorium de Constantinopolitanæ urbis antistite. Occasio postulat ut post emendatum istum locum, eandem medicinam adhibeamus Hieronymo, Augustino, & Zozimo, qui eodem vitio laborant. Itaque apud Hieronymum in dialogo adversùs Luciferianos Muzonius (quem fuisse Episcopum primæ

sedis Byzacenæ patet ex Concilio Carthagine habito anno CCCXCVII.) dicitur *Episcopus provinciæ Byzantinæ.* pro quo reponendum est *Byzacenæ*, ut nemo non videt. Atque ita omnino scriptum vidi in vetustissimo codice MS. bibliothecæ sancti Germani Parisiensis: *Muzonius Episcopus provinciæ Byzacenæ, cui propter ætatem primatus ab omnibus deferebatur, ita locutus est.* Apud Augustinum in epistola XLVIII. ita editum est: *Omnes vos Maximianistæ superabunt, quorum schisma in Byzantio & in Tripoli exarsit.* Legendum ergo heic quoque *Byzacio*, ut manifestum est. Eodem modo emendanda est inscriptio epistolæ XIII. Zozimi Papæ, quæ ita habet: *Zosimus Episcopis per Byzantium constitutis.* Quid enim hoc monstri est, si per Byzantium heic Constantinopolim intelligas? Data est ergo ad Episcopos per Byzacium constitutos. quæ una est ex provinciis Africanis. Error hinc ortus quòd antiqui illi librarij sæpenumero scriberent *Byzantium* pro *Byzacium.* Exemplum istius mali moris extat in veteri Notitia provinciarum MS. cujus nos exemplar unum habemus, aliùd simile extat in bibliotheca illustrissimi Archiepiscopi Remensis Karoli Mauritij Tellierij. *In Africa sunt provinciæ numero* VI. *Proconsularis, in qua est Carthago, Numidia, Bizantium &c.* Item vetus codex sancti Petri Pictaviensis MS. *Provintiæ Africanæ numero* VI. *Proconsolabris, in qua est Cartago, Nudimia, Bizantium, Tripolis, &c.* Sed has provincias rectiùs enumerat Rufus Festus in breviario suo: *Per omnem Africam sex provinciæ factæ. Ipsa ubi Carthago est, proconsularis, Numidia consularis, Byzacium consularis.* Sic in veteri codice canonum Ecclesiæ Romanæ, cùm in actis Concilij Carthagine habiti anno tertio & quadringentesimo recensentur Episcopi provinciarum Africæ qui Concilio illi adfuerunt, ita legitur: *Ordo itaque rerum deposcit ut primitus de fratribus nostris & consacerdotibus qui ad hoc Concilium vel de Byzantio vel certè de Mauritania convenerunt, quæramus, quemadmodum huic Concilio decreverint interesse. Et offerentibus Philologo, Gesta, Venustiano, & Feliciano Episcopis provinciæ Byzantinæ legationis lite-*

ras &c. Et infrà : *Animadvertimus fratres & coëpiscopos nostros Byzantinæ provinciæ &c.* In quibus locis *Bjzacio* & *Bjzacenæ* rectè reposuit vir clarissimus Christophorus Iustellus, tum in codice Dionysij Exigui, tum etiam in codice canonum Ecclesiæ Africanæ.

Di. 22. *c.* 6. Renovantes.

SUPERIOR ROMA] In antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur *inferior Roma*; nisi quòd in regio emendatum est à manu antiqua *superior*. In vetere Victorino supra vocem *inferior* addita est hæc inepta glossa, *ratione vallis*, ac si superior & inferior Roma esset ratione situs. Meliùs Contius, qui in margine adnotavit legendum heic esse *senior*. quod etiam placuisse video Antonio Augustino.

DEINDE ANTIOCHENA] Cogor in hoc loco defendere Gratianum adversùs Cujacium, qui eum arguit malæ fidei, quasi canonem istum Trullanum, quem Cujacius adscribit synodo Chalcedonensi, corruperit. Hæc sunt verba Cujacij ad caput 3. *Sanè si.* de foro competenti : *Et initio quidem quatuor tantùm Primates constituti sunt ex Concilij Constantinopolitani sexti canone* 36. *& Iustiniani Nov.* 123. *nempe hi quatuor, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus. Deinde cùm Romanus se super omnes sic in cœlum extulisset, jam noluit se Primatem appellari aut Primatibus adnumerari, quasi non habentem comparem. Tum pro Romano subditus est Antiochenus Primas* c. penult. 22. dist. *ex Concilio illo Chalcedonensi, sed depravato dedita opera à Gratiano, putà pro Romano substituto Antiocheno.* Primò certum est nihil heic circa Romanum Pontificem mutatum fuisse à Gratiano, & Antiocheni Patriarchæ mentionem in hoc canone Trullano verè factam. Deinde errat Cujacius cùm existimat Patriarcharum quatuor sive Primatum institutionem primò factam fuisse in synodo Trullana, quam ipse Constantinopolitanam sextam nominat. Ex Novellis porrò Iustiniani colligitur quinque olim patriarchales sedes fuisse, & in his connumeratam etiam Romanam. Qua de re vide Marcam in libro primo de concordia cap. 5. §. 4. & 5.

Heic ad verba Gratiani in principio distinctionis posita adnotandum est cum Antonio Augustino in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 1. tit. 4. cap. 9. tractatum ordinandorum appellari solere à Gratiano à distinctione ista usque ad quæstionem primam sive causam conscripta, ideóque veteres interpretes Alanum, Vincentium, Tancredum, Laurentium, & ceteros, cùm capita collectionis illius referunt, semper *suprà* addere, perinde ac si post Gratiani volumen hoc adscriptum esset. Occasio hujus observationis hæc est ex loco citato primæ collectionis Decretalium: *Illud autem quod de Archiepiscopi consecratione, ordinatione &c. ut in tractatu ordinandorum.* id est, dist. 66. cap. 1. ut monuit idem Augustinus. *Di.* 23.

Hoc caput à Gratiano citatur ex Concilio Carthaginensi quarto. Nos verò in Notis ad Reginonem pag. 177. monuimus sumptum esse ex Statutis Ecclesiæ antiquis, quæ olim unicuique Episcopo legebantur in consecratione sua. *Ibid. c. 2.* Qui Episcopus.

COMAM NON NUTRIANT] Ad Clericorum enim modestiam pertinet, ut ait vir doctissimus Karolus Annibal Fabrotus ad titulum Decretalium de vita & honestate Clericorum, ut neque comam alant neque barbam. quo loco multa de hoc vetere instituto disserit. Hinc celebratissimus ille canon Concilij quarti Carthaginensis: *Clericus nec comam nutriat nec barbam.* ubi tamen quidam codices addunt *radat* vel *tondeat*. Inde factum ut inter oppositiones quas ævo Nicolai primi adversùm Latinos Græci faciebant, illud etiam quærerent, cur Clerici barbas raderent, ut patet ex Ratramno, Ænea Parisiensi, & aliis. Quod rursum ævo Leonis IX. Latinis exprobratum fuisse à Niceta cognomento Pectorato observat Christianus Lupus pag. 1439. ubi multis ex antiquitate testimoniis probat hunc occidentalis Ecclesiæ usum antiquitus fuisse ut Clerici barbam raderent. Itaque verè Gregorius VII. lib. 9. epist. 10. scribere potuit totius occidentalis Ecclesiæ clerum ab ipsis Ecclesiæ Christi primordiis barbam radendi morem tenuisse. Elegans & festiva est *Ibid. c. 21.* Prohibete.

historia cujusdam Presbyteri Gothi sive Dalmatæ, quem Thomas Archidiaconus Spalatensis in capite XVI. historiæ Salonitanæ graviter objurgatum narrat ab Alexandro secundo quòd barbam radere secundùm catholicæ Ecclesiæ morem renueret; addítque: *Illico autem venerandus Pontifex propria manu paucos pilos de barba illius præcidit, & mox astantibus ut eum ecclesiastico more raderent jussit.* Denique cùm barbæ cœpissent in honore esse, ac tamen plerique eas exhorrescerent tanquam rem novam & alienam à moribus Ecclesiæ, Ioannes Pierius Valerianus ævo Clementis septimi libellum Romæ edidit pro sacerdotum barbis, qui dein Parisiis recusus est anno MDXXXIII. In eo libello Pierius evincere multis ac variis argumentis conatur faciendum esse sacerdotibus barbæ alendæ potestatem. Inter incommoda verò quæ ex barbæ rasitatione in Ecclesiam invecta esse conqueritur, illud etiam addit, eò aliquando nostrorum delitias processisse ut hujus rasitationis ergò confusa quodammodo specie difficulter vir à femina internosceretur, atque hinc accidisse ut mulier ad pontificij solij majestatem eveheretur. Sed adversùs Pierium, quem novellum barbæ laudatorem vocat, scripsit postea Gentianus Hervetus alium libellum de pilis & barba radenda, qui editus est Parisiis anno MDXXXV. in quo inter alia sic loquitur: *Quamquam satis mirari non possum quid sacerdotem ullum ulla ex parte impellere possit ut barbam alere quàm radere malit. Si enim ex eo vultui dignitatem & majestatem quærit, quorsum attinet pilorum densitate inanem gravitatis laudem captare, turpissimis & nequissimis (pro dolor) factis summam levitatem effundere?*

Di. 23. c. 29. Mulier.

Aliter legitur hoc caput in prima appendice Reginonis cap. 19. *Mulier, quamvis docta & sancta sit, viros in conventu docere non præsumat. Similiter nec baptizare.* Apud Burchardum verò lib. 8. cap. 83. *Mulier quamvis docta in conventu docere non audeat.* In Concilio Carthaginensi quarto, unde petitum est istud caput, ita legitur: *Mulier, quamvis docta & sancta, viros in conventu docere non præsumat. Muliet baptizare non præsumat.*

Caput istud nullam habet inscriptionem in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, etiam usque ad Democharis & Contij tempora. Sed quia Democharis & Contius in margine adnotaverant sumptum esse ex canone 13. Concilij quarti Carthaginensis, hinc audaces facti Correctores Romani eam observationem transtulerunt in textum Gratiani fari coacti quæ nunquam sciverat. Accepit enim hauddubiè ex Burchardo aut Ivone, apud quos dicitur esse caput 101. Concilij apud Valentias. Rectè Regino lib. 2. cap. 153. *Ex Concilio Carthaginensi.* *Di.* 23. *c.* 33. Sponsus.

Sumptum est hoc caput ex epistola Isidori Hispalensis Episcopi ad Ludifredum Cordubensem Episcopum, ut præfert inscriptio. Sub finem verò, cùm dignitas & auctoritas Archidiaconi explicantur, hæc addantur: *Archipresbyter se esse sub Archidiacono &c.* usque ad *vel cui ipse injunxerit.* Eadem extant in Decreto Ivonis parte 6. cap. 20. ubi Ioannes Molinæus ista adnotavit in margine: *Hæc non habentur in codice regio, suspectáque mihi perpetuò visa sunt, quòd Archipresbyter subdatur Archidiaconis. quod vetustum non esse in canonibus Conciliorum vel mediocriter versatus nemo ignorat.* Consuluimus nos super ea re codicem antiquissimum bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis, in quo clausulam illam non invenimus; ejusdémque, ut opinor, auctoritate ductus Antonius Contius ista ad hunc locum adnotavit in margine Gratiani: *Desunt apud Ivonem.* Itaque Correctorum Romanorum hæc verissima adnotatio est ad locum de quo nunc agimus: *Hinc usque ad vers.* Ad primicerium *non sunt in ipsa epistola Isidori, neque in Pannormia, neque apud Burchardum.* Mirum enimvero non est ista non extare apud Burchardum, qui non omnia ex illa Isidori epistola descripsit quæ de Archidiaconi officio agunt, sed in illis verbis excerpta sua finivit, *Clericis proprias partes idem distribuit.* In Decretalibus Gregorij IX. in titulo *De officio Archipresbyteri* ea quæ à Gratiano referuntur de auctoritate Archidiaconi super Archipresbyterum, laudantur ex Concilio Toletano. Sed in nullo Toletanorum Conciliorum reperiuntur, & Garsias Loaïsa *Di.* 25. *c.* 1. Perlectis.

noluit verba illa agnoscere pro verbis canonum Toletanorum. Ceterum Cujacius, agens de hoc ipso negotio *ad caput penult. de causa possess. & propriet.* ait: *Nam Archipresbyter subjectus est Archidiacono, Presbyter Diacono. Quod prima fronte mirum videtur. Et verum est tamen.* Item ad caput 8. *Ex parte.* De Clericis non residentibus: *Et quamquam*, inquit, *possit videri in clero tanto major esse Archipresbyter Archidiacono quanto major est Presbyter Diacono, tamen Archidiaconus Archipresbytero præponitur, cap. 1. sup. de offic. Archipresbyt. & can. 1. 25. dist. Et Arnulphus Episcopus Lexoviensis in epistolis etiam scribit Archipresbyterum ab Archidiacono eligi & confirmari ab Episcopo. Ex quo sequitur Archidiaconum esse Archipresbytero majorem.* Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 1. tit. 16. cap. 1.

Di. 27. c. 6. Quòd interrogasti. Hoc caput in prima appendice Reginonis cap. 57. refertur ex epistola Nicolai Papæ primi ad Adalvvinum Archiepiscopum Iuvavensem. quæ est sincera capitis istius inscriptio. Vide Notas ad Reginonem pag. 595. Similis medicina adhibenda est capiti *Quorundam.* dist. 34. & capiti *In tuis.* 7. q 2. ut illic dicemus. De sensu porrò istius capitis consule Cujacium ad cap. *Consuluit.* 4. Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.

Di. 28. c. 8. Diaconi. Ex isto capite collegit Cujacius ad caput primum ejusdem tituli etiam Diaconos ex permissu Episcopi ea lege posse in ordinem Diaconorum conscribi ut tamen sibi quandoque liceat ducere uxorem liberorum procreandorum causa. *Quod tamen Iustinianus*, inquit, *probare non videtur Nov. 123.*

Ibid. c. 12. De Syracusanæ. Variant inscriptiones istius capitis in antiquis codicibus. Sangermanensis habet: *Item Pelagius Cathego Patricio.* Colbertinus & Victorini duo, *Cethego.* Regius, *Cetheo.* Veteres editiones, *Cethego.* quo etiam modo edidit Iuretus in epistola 55. Ivonis Episcopi Carnotensis, qui hunc locum citat. atque ita etiam habet editio istius epistolæ apud Holstenium in collectione Romana. Sed apud Anselum lib. 6. cap. 40. in codice sancti Germani Parisiensis scriptum est

Cætero. quæ lectio reperitur etiam in libro Barberino ejusdem Anselmi. Correctores Romani videntur elegisse meliorem lectionem. Cethegi namque Exconsulis & Patritij tempore Iustiniani mentio est in epistola Vigilij Papæ encyclica ad universam Ecclesiam de secessu suo ad sanctam Euphemiam.

In antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus hæc est inscriptio istius capitis : *Item ex sexta synodo.* Reliqua addita sunt à Correctoribus Romanis, sed admonitis à Contio, qui in margine editionis suæ adnotavit ista extare in canone 26. synodi in Trullo. *Di. 28. c. 16.* Presbyterum.

PRESBYTERUM] *scilicet orientalem*, ut ait vetus interpres in veteri codice Victorino, vel *orientalis Ecclesiæ*, ut ait alter vetus interpres in codice regio.

PER IGNORANTIAM] Hæc verba non habentur in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, neque apud Democharem & Contium. Sed in glossa legitur : *Potest intelligi de eo qui contraxit secundas nuptias per ignorantiam juris.* Nam & vetus interpres in codice regio per non legales nuptias intellexit secundas. *non legalibus*, ait, *id est, secundis.* quam interpretationem amplexus esse videtur Innocentius III. lib. 2. epist. 66. ex qua sumptum est caput *Nuper* De digamis non ordinandis. At Balsamon & Zonaras in scholio ad hunc locum interpretari maluerunt de eo qui per ignorantiam suæ cognatæ legitimè conjunctus est & postea factus Presbyter. Atque ego sanè eam sententiam puto esse veriorem. Nemo enim se secundis nuptiis alligat per ignorantiam juris, & nihil unquam fuit vulgatius in Ecclesia quàm ei non licere esse in sacerdotio qui non esset unius uxoris vir. Vide Antonium Augustinum in fine dialogi octavi libri prioris. Quòd autem Correctores Romani hæc in contextu Gratiani addiderunt has duas voces, *per ignorantiam*, sumpserunt haud dubiè ex canone Trullano, ubi extant. Ego tamen maluissem Gratianum purum putum edidissent, additiones porrò istas, quæ alioqui bonæ sunt, potuissent in margine aut in Notis.

Cujacius ad caput 7. *Vestra* De cohabitat. Cleric. *Di. 32. c. 5.* Nullus.

ac mul. disputat in utramque partem an rite possit quis & impune sine fraude interesse sacris quæ facit is qui concubinam habet vel focariam, qui inquam quo in alio flagitio & dedecore volutatur, vel etiam an de manu ejus ritè & legitimè sacramenta sumere possit.

Carolus Molinæus in annotatione ad caput istud hæc omnino ait: *Cùm hæc decreta Dominus Mansencallus primus Tolosani senatus Præses exequi vellet anno 1550. non caruit Epicureorum & Sophistarum cum illis colludentium calumniis.*

Di. 32. *c.* 6. Præter hoc. CUM HIS QUI PRÆFATÆ] In editione Lovanienſi Pannormiæ lib. 3. cap. 135. ita legitur hic locus: *officia qui præfatæ constitutioni fuerint inobedientes maneat.* Meliùs in editione Basileensi & in codice Victorino: *ad divina officia qui præfatæ constitutionis fuerit inobediens maneat.*

Di. 32. *c.* 17. Hospitiolum. Hoc caput ita inscriptum est in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus: *Item Hieronymus.* Demochares addidit: *ad Nepotianum de vita Clericorum.* quam additionem retinuit Contius. Retinuerunt quoque Correctores Romani, sed addiderunt, *& alibi*, quia videbant caput hoc esse collectum ex variis beati Hieronymi locis in quibus de vitanda mulierum consuetudine agitur.

Di. 32. *c.* 19. Mulieres. MATRICURIÆ] Apud Fulgentium Ferrandum in breviatione canonum cap. 221. legitur *matriculæ*, quam lectionem confirmat in Notis suis Petrus Franciscus Chiffletius vir doctissimus.

Di. 34. *c.* 1. Quorundam. Mendosa est inscriptio istius capitis, quæ sic restituenda est: *Nicolaus Papa ad Adaluvinum Archiepiscopum.* Vide quæ dicta superiùs sunt dist. 27. cap. 6. *Quòd interrogasti.*

Di. 36. *c.* 1. Illiteratos. Admonent in hoc loco Correctores Romani duas istas voces *vitiatos vel* abesse à plerisque vetustis exemplaribus Gratiani & ab originali. Non extant sanè in regio Gratiani codice, neque in Sangermanensi aut Victorinis, neque demum in Colbertino. Immo Regino lib. 1. cap. 411. & Burchardus lib. 2. cap. 18. referentes istud Gelasij decretum, duas illas voces omiserunt. Ivo verò parte 6. Decreti cap. 37.

& 75. & in Victorino Pannormiæ codice illas pariter non habet : Habentur tamen in editionibus Pannormiæ & in antiquissimis Gratiani editionibus Moguntina & Veneta.

CUNCTOS IPSE JUDICATURUS] Indubitati juris est in Decreto Gratiani, Romanum Pontificem nullius mortalis hominis judicio subjacere, ipsum autem fas habere de omnibus judicandi, neque cuiquam licere de ejus judicare judicio, ut legitur in capite *Cuncta* 9. q. 3. Ex ea persuasione descendit nobile illud & celeberrimum Bonifacij VIII. apophtegma in capite *Licèt* De Constitutionib. in Sexto; *Romanus Pontifex jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere.* Attamen eam non fuisse omnium sedis apostolicæ Pontificum sententiam probari potest auctoritate Silvestri secundi. Consultus ille à quodam Abbate, non statim respondit, quia destitutus erat auxilio suorum librorum, quos in Gallia reliquerat, & Romæ libri istiusmodi non extabant qui de rebus canonicis tractarent. Hac sapienti excusatione deprecatus culpam tarditatis, tum se præmuniens adversùs invidiam si quid non rectè rescriberet absque librorum auctoritate, ad postulata Abbatis respondere se ait quæ memoria teneret. Quòd si Silvester putasset omnia jura contineri in scrinio pectoris sui, nimirum expectoranda statim erat responsio ad inquisitiones Abbatis, neque recurrendum ad frivolam illam & inutilem excusationem de absentia librorum suorum. Sed operæ pretium est heic describere epistolam ipsam ex veteri codice sancti Germani Parisiensis in quo collectio continetur quæ vulgò tribuitur Anselmo Lucensi. Sic ergo ibi habet in fine libri undecimi. *Di.* 40. *c.* 6. Si Papa.

EX DECRETO SILVESTRI PAPÆ.

SIlvester Episcopus servus servorum Dei Abbati salutem & apostolicam benedictionem. De hoc unde nos consuluisti ideo respondere tibi distulimus quoniam auctoritatem in Romanis voluminibus non habemus. Illos autem libros in quibus specialem sen-

tentiam legimus, in Gallia relictos recolimus. Aliquid tantùm memoriæ retinemus quod tuæ petitioni sufficere posse credimus. In eisdem libris de Episcopis per pecuniam promotis legitur ut quisquis talis inventus fuerit, per biennium pontificali officio carens, duos dies per ebdomadam vino & cocto se abstineat, & post finitum psalterium comedat. Hoc quippe traditionibus priorum patrum concordare videmus, qui hujuscemodi Episcopos deponi sanxerunt. Officij suspensio evidenter fit cujusque depositio. Qui enim deponitur, à communione privatur. Valet utique tantundem biennij suspensio cum pœnitentia quantum sola depositio. Qui verò post biennem suspensionem & pœnitentiam officio suo redditur, quasi post depositionem misericorditer reconciliatur. Incipe ergo post octavas Pentecosten prædictum biennium, & eo pacto tuo officio sis restitutus. Si fratrum custodiam & totius cœnobij sarcinam alicui fratrum committere possis, donec pœniteas committe. Sin autem, oportet, quamvis graveris, ut ipse patienter totum sufferas. Multiplex igitur calor purius effundit à fornace metallum.

Di. 42. *c.* 7. In oratorio.

Caput istud non extat in libro Sangermanensi. In aliis verò & in antiquis editionibus refertur simpliciter ex Augustino, hoc modo: *Item Augustinus.* Editiones Democharis & Contij: *Item Augustinus epistola* 109. *ad monachas.* Editio Romana: *Item Augustinus epist.* 109. *de regula monachorum.* Et tamen hæc verba non reperiuntur in epistola illa Augustini. Regino lib. 1. cap. 54. cùm quiddam aliud attulisset ex dictis Augustini, in titulo istius capitis hæc tantùm verba posuit: *Item alibi.* Ex quo Burchardus lib. 3. cap. 80. collegit istud quoque caput sumptum à Reginone esse ex Augustino; adeóque inscriptio ejus hæc apud illum est: *Ex dictis Augustini.* Hinc ergo acceperunt Ivo & Gratianus. Inventum autem est hoc caput in regula Tarnatensis monasterij cap. 15. Vide Notas eruditissimi viri Hugonis Menardi ad caput 59. concordiæ regularum §. 4.

Di. 44. *c.* 7. Nullus Presb.

Burchardus lib. 2. cap. 161. & Ivo parte 3. cap. 252. itémque Gratianus citant ex Concilio Nannetensi

cap. 10. ubi non habetur. Fons illius errati est Regino lib. 1. cap. 213. qui non satis bene ista distinxit. Vide illic Notas nostras. Extat hoc caput in Capitulis Hincmari tit. 1. cap. 14. Vide Cujacium ad caput 14. De vita & honestate Clericorum.

Partem istius capitis, nimirum hæc verba *Nec oportet Clericos*, & quæ sequuntur, Regino lib. 1. cap. 187. retulit absque nomine auctoris. Burchardus lib. 1. cap. 165. & post illum Ivo parte 6. cap. 256. *ex Concilio Carthaginensi cap.* 12. Gratianus in codicibus manuscriptis & in antiquis editionibus *ex Concilio Martini Papæ*, in editione Romana *ex Concilio Martini Papæ cap.* 61. *&* 66. Extat in Additione quarta Capitularium cap. 49. ubi in veteri codice MS. Petri Pithœi scriptum est *gratias auctori & datori Deo referre*, cùm ceteri habeant simpliciter *gratias auctori Deo referre.* *Di.* 44. *c.* 12. Non liceat.

Caput istud multùm illustrat Cujacius ad titulum Decretalium de vita & honestate Clericorum cap. 2. *Di.* 47. *c.* 5. Si quis Cler.

Regino libro 1. cap. 342. citat ex Concilio Bracarensi, id est, ex capite 17. Martini Bracarensis. Recte heic adnotant Correctores Romani delendas esse voces illas, *aut Subdiaconus*, quæ extabant in editionibus Gratiani quæ antecedunt Romanam. Etenim hæ illæ voces desunt in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, Colbertino, Victorinis, & ab antiquis editionibus Moguntina & Veneta; neque pariter extant apud Martinum Bracarensem, Reginonem, Burchardum, & Ivonem. *Di.* 50. *c.* 22. Si quis Presbyter.

Antonius Augustinus pag. 39. censet scribendum esse *Masoni* in titulo istius epistolæ. Antiqua collectio canonum Andegavensis ita habet: *In epistola Isydori Episcopi ad Massonem Episcopum de restauratione sacerdotis. Domino sancto meritisque beato Masoni Episcopo.* Ita etiam editum est ab Henrico Canisio in tomo quinto lectionis antiquæ pag. 293. ex veteribus membranis monasterij Vveingartensis & à Nicolao Serario in epistola septuagesima secunda inter Bonifacianas. In vetustissimo codice MS. sancti Petri Pictavensis legitur *Mansioni.* Fortè est Massona Emeritensis Episcopus, qui Concilio Toletano tertio subscripsit. *Di.* 50. *c.* 28. Domino.

In gestis Concil.] Cujacius ad titulum Decretalium de cognatione spirituali cap. 1. explicans hunc locum ait illum sic intelligi debere ut potior sit semper synodus œcumenica sive universalis provinciali, quamvis sit posterior, alioqui ubi par est potestas utriusque Concilij, posterius priori prævalere. Eadem mens fuisse videtur antiquo canonum collectori quem vir clarissimus Lucas Dacherius edidit nuper in tomo undecimo Spicilegij. Sic enim legitur in fine præfationis: *In quibuscunque rebus generalium Conciliorum auctoritatem non habemus, magis earum synodorum quæ per singulas provincias factæ sunt quàm proprium nostrum sequendum sensum.* Viderat Beatus Rhenanus hanc præfationem, cujus magnam partem edidit in admonitione de Tertulliani dogmatis, ubi demum addit, de tribus istius collectionis libris loquens: *Quos libros magno redimere cupiam. Sed injuria temporis & hominum incuria deperditi sunt, solo hoc opusculo salvo, quod præfationis illic vicem habet, & huc totum à me est appositum studiosis rerum Christianarum consulturo.* Pax, vir eruditissime. Deperditi non sunt libri illi, & nunc editi sunt ex antiquissimis codicibus in Gallia nostra repertis. Addit rursum Rhenanus: *Testatur in calce se non tantùm œcumenica Concilia secutum, sed quædam ex provincialium synodorum constitutionibus accepisse, in quibus præsidere solet metropolitanus Episcopus. Quo libentius legere velim modò dictos libros.*

Di. 50. *c.* 34. De his verò.

In præfatione nostra ad epistolam Rhabani ad Heribaldum cap. 6. & 13. jam monuimus verissimam esse inscriptionem istius capitis apud Gratianum, falsam verò esse apud Burchardum, qui caput illud accepisse se ait ex Concilio Ilerdensi, unde non rectè peti rectissimè admonuit Antonius Augustinus in Notis ad Pœnitentiale Rhabani. Falsum quoque est quod Romani Correctores addiderunt in contextu Gratiani, nimirum hoc caput sumptum esse ex libro illo pœnitentiali cap. 1. Nam neque liber ille inscriptus est Heribaldo, neque verba quæ heic referuntur ex epistola ad Heribaldum extant in primo ejusdem epistolæ capite, sed in decimo. Re autem vera caput

quod est decimum in epistola ad Heribaldum, primo loco ponitur in libro pœnitentiali ad Otgarium missо.

In codice Sangermanensi hæc est inscriptio istius capitis: *Vnde Vrbanus secundus scribit Guarnerio Meburgensi Episcopo.* Sic etiam scriptum primò fuit in regio; sed postea emendatum est, & pro *Mereburgensi* repositum *Nerebonensi*, puncto addito sub secunda *e* quod significat hanc quoque literam esse delendam ut legatur *Nerbonensi*. Antiquus itaque liber Victorinus & prima editio Pannormiæ habent *Nerbonensi*. Ceteri & antiquæ editiones Moguntina & Veneta *Narbonensi*. Quo etiam modo legitur in Lovanienſi Pannormiæ editione lib. 3. cap. 154. Et tamen certum est nullum ea tempestate Narbonensem Archiepiscopum fuisse Guarnerium, sed Dalmatium, cujus successor Bertrandus ex cathedra Nemausensi ad Narbonensem translatus est ab Vrbano secundo. Itaque quærenda est vera inscriptio hujus capitis. Guillelmus Catellus in libro quinto Memoriarum historiæ Occitaniæ pag. 784. Notat in antiquis codicibus manuscriptis hoc caput inscriptum esse *Guerino Neubrigensi Episcopo.* Verùm istud quoque falsum omnino est, quia nullus unquam Neubrigensis Episcopus fuit. Itaque heic legitur de Episcopo Mereburgensi seu Merseburgensi in Germania, ut docet antiquus Pannormiæ codex Victorinus, in quo sic legitur: *Vrbanus II. Garnerio Mereburgensi Episcopo.* Quo etiam modo suprà adnotavimus scriptum esse in Gratiani libro Sangermanensi. Vvernerum porrò fuisse Episcopum Merseburgensem sive Marspurgensem ab anno 1073. usque ad tempora Paschalis secundi docet ex Broturfo Ioannes Gualterius in Chronico Chronicorum.

Di. 50. c. 37. Clerico.

CLERICO IACIENTE] In tertia collectione Decretalium lib. 5. tit. 7. cap. 5. extat mentio casus cujusdam qui huic similis est. Item in epistola Ollegarij Archiepiscopi Tarraconensis ad Raymundum Episcopum Ausonensem, cujus mentionem fecimus in Appendice synopsis Conciliorum Philippi Labbei pag. 382.

Regino lib. 2. cap. 95. & post eum Burchardus lib. 6. cap. 33. & Ivo parte 10. Decreti cap. 162. citant

Di. 50. c. 40. Qui verò.

ex Concilio Mogontiacensi, cùm Gratianus referre se dicat ex Matiscensi.

Di. 50. *c.* 64. In capite.

Regino lib. 1. cap. 291. citat istud caput ex eodem Concilio ex quo retulerat caput quod præcedit, id est, ex Concilio Agathensi, ubi non extat. Item Burchardus lib. 9. cap. 26. in editis. Admonent tamen Correctores Romani in uno manuscripto Burchardi exemplari citari ex Pœnitentiali Romano. Quo etiam modo citatur in alio antiquissimo Burchardi exemplari quod extat in bibliotheca illustrissimi viri Dionysij Talonij regij Advocati in Parlamento Parisiensi.

Di. 54. *c.* 2. Nulli.

Vide Reginonem lib. 1. cap. 407. Rectè verò notant Correctores Romani caput istud aliqua ex parte convenire cum iis quæ scribuntur lib. 1. Capitularium cap. 88. de ordinatione servorum.

Di. 54. *c.* 3. Magnus.

Caput istud non extat in codice Sangermanensi, neque in regio, neque demum in vetere Victorino. Extat tamen in recentiore Victorino & in Colbertino, cum hac inscriptione: *Ex Concilio Magontiensi capitulo* VIII. Quo etiam modo habent antiquæ editiones Moguntina & Veneta, itémque Democharis & Contius, nisi quòd *Maguntinensi* habent pro *Magontiensi*. Iidem in margine ista adnotarunt: *Ca.* 8. *Concil. Carthagi. primi id habetur*. Ex quo factum est ut Correctores Romani, abolita inscriptione quæ in omnibus Gratiani editionibus extabat, istam, quæ certa est, substituerint: *Ex Concilio Carthaginensi primo c.* 8. Rectè, ut dixi. Sed ego mallem ut deprauatam lectionem retinuissent in contextu Gratiani, bonam verò exemplo Demacharis & Contij reposuissent in margine. Vide Notas Antonij Augustini ad primam collectionem Decretalium lib. 1. tit. 11.

ASTIAGENSIS] In codice Colbertino & in prima editione Moguntina legitur *Augustensis*, in Victorino recentiore *Augustinensis*, in antiqua verò editione veneta *Augustudinensis*, apud Democharem *Augustudunensis*. Sic etiam Contius, nisi quòd in margine admonuit legendum esse *Astuagensis*. quo modo habet in omnibus codicibus vetus collectio canonum, edita in tomo X. Spicilegij Dacheriani, lib.

lib. 3. cap. 30. nisi quòd Trecensis habet *Astiagensis*. Sincera verò priscæ bonæque lectionis vestigia supersunt etiamnum in veteri codice MS. Ecclesiæ Vrgellensis, in quo antiqua Isidori collectio continetur, ubi scriptum est: *Magnus Episcopus Astuageneſius*.

Certum est caput istud sumptum non esse ex Concilio Toletano, sed ex libro primo Capitularium. Manifesta autem est origo istius erroris, ut ostendimus ad caput 394. libri primi Reginonis de ecclesiasticis disciplinis. Hallucinatio fuit Burchardi. Idem dic de capite octavo ejusdem distinctionis, quod ex eodem Concilio Toletano citatur à Burchardo & Ivone. *Di. 54. c. 6. De servorum.*

Sirmondus in capite tertio Antirrhetici secundi adversùs Aurelium ait ita scribendum esse in fronte istius capitis: *Vnde Vrbanus Papa II. Piboni Tullensi Episcopo scribens ait.* extare enim caput illud in epistola Vrbani ad Pibonem MS. Correctores verò Romani admonent in margine sumptum esse ex Concilio Melphiensi, ubi extat iisdem omnino verbis quibus legitur apud Gratianum. Quare si quid mutandum aut addendum esset in inscriptione istius capitis, mallem apponere nomen Concilij Melphiensis quàm Pibonis. Probabile enim est notius Gratiano fuisse Concilium Melphiense Vrbani secundi quàm epistolam ab eodem scriptam ad Pibonem Episcopum Tullensem. Porrò epistola illa edita est nuper in tomo decimo Conciliorum. *Di. 56. c. 1. Presbyterorum.*

Certum & constans est nullum Vrbani secundi pontificatu Turonensem Archiepiscopum fuisse Bartholomæum. Et tamen Gratianus tum in manuscriptis tum in editis codicibus caput de quo nunc agimus refert ex epistola ejusdem Vrbani ad Bartholomæum Archiepiscopum Turonensem. Neque reponi potest errorem esse librarij. Nam Innocentius III. adferens istam auctoritatem in capite *Innotuit.* de elect. & electi potestate, cuncta refert ad Vrbanum prædecessorem suum, quia nimirum ita legerat in codice Gratiani. Fons istius mali est Ivo Carnotensis Episcopus, qui parte 6. Decreti cap. 410. caput primum istius distinctionis describens, hæc in titulo posuit: *Decre-* *Di. 56. c. 13. Cenoman.*

tum Gregorij VII. & Vrbani II. Presbyterorum filiis &c. In Pannormia verò lib. 3. cap. 51. *Decreta Gregorij VII. & Vrbani II. de filiis sacerdotum. Presbyterorum filios &c.* Sequitur deinde in Pannormia: *Ex libro Pontificatus. Felix tertius &c.* Deinde: *Vrbanus Archiepiscopo Bartholomæo Turonensi. Cenomanensem electum &c.* Sic in editionibus Pannormiæ. At in vetustissimo & optimo codice sancti Victoris Parisiensis nomen Vrbani omissum est in hoc loco, ubi ita simpliciter legitur: *Bartholomæo Turonensi Archiepiscopo. Cenomanensem.* Post quæ sequitur in eodem codice: *Vrbanus II. Petroni Legionensi Episcopo. Quia simpliciter ad sedem apostolicam veniens &c.* ut apud Gratianum. Itaque res ita constitui potest, decretum de Episcopo Legionensi verè esse Vrbani, aliud esse Gregorij septimi. Nam ævo Gregorij Bartholomæus tenuit cathedram Turonensem, Cenomanensem verò Arnaldus, quem tradunt filium fuisse sacerdotis. Ad eum porrò scripta est epistola 27. libri 7. ejusdem Gregorij.

Di. 59. c. 2. Si officia.

Inscriptio istius capitis hæc est in libro Sangermanensi: *Vnde Zozimus Papa.* In regio verò: *Vnde Zosimus Papa.* In Victorino antiquiore: *Vnde Gelasius Papa.* Sed postea emendatum est à manu aliquanto recentiore, & supra lineam scriptum nomen Vrbani. Recentior Victorius & Colbertinus & duæ antiquæ editiones habent: *Item Vrbanus Papa.* Esse Zozimi in epistola ad Isichium Episcopum Salonitanum rectè adnotarunt Correctores Romani.

QUÆRUNT] Describenda heic mihi videtur observatio Caroli Molinæi ad hunc locum. *Incedebant enim* (Episcopi nimirum) *comitati suis sacerdotibus. Sed hodie habent aliud satellitium. Et tamen multitudinem faciunt propter quæstum; ut ille qui cupiens mille aureos, publicatis ordinibus fecit mille sacerdotes pro singulis aureis in Lemovicis.* Scio Molinæum de ista avaritia & turpi quæstu queri potuisse si nostro seculo scripsisset.

Di. 63. c. 12. Nosse.

In omnibus Gratiani libris antiquis & editionibus caput istud refertur ex epistola Stephani Papæ ad Romanum Archiepiscopum Ravennatem. quo etiam

modo legitur apud Anſelmum Lucenſem lib. 6. cap. 30. in codice Sangermanenſi. Quod referendum eſſe ad Stephanum quintum ſcribit Hieronymus Rubeus in libro quinto hiſtoriæ Ravennatum.

Scio iſta ferme ad verbum ſumpta eſſe ex libro pontificali in vita Hadriani ſecundi, cujus auctor vulgò creditur Guillelmus Bibliothecarius. Attamen in ea etiamnum ſententia perſto quam prompſi in Notis ad Agobardum pag. 126. nimirum ſubleſtæ ac valde dubiæ fidei apud me eſſe narrationem iſtam. Quod confirmari poteſt auctoritate Eutropij Preſbyteri Longobardi, qui ait Karolum Calvum, ut Ioanni VIII. ac ceteris Romanis gratiam rependeret ob imperium Romanum in eum collatum, abdicaſſe jus quod hactenus Imperatores habuerant prohibendi ne electiones Romanorum Pontificum valerent quæ citra præſentiam Miſſorum Imperatoris aut ſine conſenſu ejus factæ eſſent: *Removit etiam ab eis regias legationes, aſſiduitatem vel præſentiam apoſtolicæ electionis.* Quod evincit jus illud maximè viguiſſe eo tempore quo Hadrianus ſecundus electus eſt. *Di. 63. c. 29. Cùm Hadrianus.*

Carolus Molinæus in Notis ad hunc locum putat hanc conceſſionem æquè falſam eſſe ac illam quæ ſub Conſtantini nomine circumfertur. Rectè, ut opinor. *Di. 63. c. 30. Ego Ludovicus.*

Idem Molinæus ait paleam hanc verè confictam eſſe; quia Henricus dictus Auceps nullum unquam negotium habuit cum Papis; & tantum abeſt ut Otho primus ejus filius hæc jura abjudicaverit ut ea renovaverit, ut omnes chronographi teſtantur. *Di. 63. c. 32. Conſtitutio.*

Sumptum eſt iſtud caput ex capite 84. libri primi Capitularium, ubi tam in editionibus quàm in codicibus manuſcriptis legitur *ſuo liberiùs potiretur honore.* quo etiam modò legitur in Chronico Reicherſpergenſi. In uno tamen antiquiſſimo codice bibliothecæ Colbertinæ ſic habetur: *ſuo jure liberiùs potiretur.* Porrò jam antea ad Concilia Galliæ Narbonenſis pag. 34. adnotavimus eam legem non fuiſſe obſervatam ac nihilo minùs Reges noſtros dediſſe epiſcopatus in univerſum; ſi paucas quaſdam Eccleſias excipias, quibus ſpeciali privilegio conceſſum erat ut illis vacantibus provideretur per electionem. No- *Di. 63. c. 34. Sacrorum canonum.*

randa autem est hoc loco hallucinatio auctoris Chronici Reichersbergensis, qui tempus istius constitutionis refert ad annum DCCCXLIX. conditámque fuisse ait à Karolo Calvo & Ludovico Rege Germaniæ fratribus Lotharij Imperatoris. Hæc sunt ejus verba. *His temporibus Carolus & Ludovicus gloriosi Reges, fratres hujus Lotharij Imperatoris, in primo libro Capitulorum suorum statuerunt Romanæ Ecclesiæ dicentes. Sacrorum canonum non ignari &c.* ut apud Gratianum. Errat, inquam. Primùm enim constat capitulum istud esse ex libro primo Capitularium Karoli Magni & Ludovici Pij, qui de electione Episcoporum in universum intellexerunt, non verò coërcere voluerunt ad electionem Romani Pontificis. Deinde electio istius nullatenus pendebat à Karolo Calvo aut Ludovico fratre ejus, qui Reges Italiæ non erant. Itaque frustra legem edidissent de electione Romani Pontificis.

SEPT. CAP. NICÆNI] Regius Gratiani codex & Sangermanensis itémque recentior Victorinus legunt *septimo Concilio Nicensi*. Colbertinus *septimo Concilio Nicæno*. Ita etiam Democharis & Contius. Antiqua editio Moguntina, VII. *Niceni Concilio*. Vetus codex Victorinus, *septimi Nicæni Concilij*. Legendum, *in Septimunicensi Concilio*, ut pridem monuit vir doctissimus Petrus Pithœus in præfatione ad Breviationes canonum Fulgentij Ferrandi & Crisconij. Hanc emendationem amplectitur Cujacius ad caput primum de cohabitatione Clericor. & mulier. in Decretalibus, nescio an ex conjectura, seu quia acceperat à Pithœo. Ceterùm nemini tribuit hanc emendationem. Respexit ergo Gratianus ad caput undecimum Breviationis Ferrandi, quod his verbis conceptum est: *Vt ad eligendum Episcopum sufficiat matricis arbitrium. Concilio Septimunicensi. Concilio Macrianensi.* Pro eo igitur quod Gratianus mox habet *& in Gangrensi* legendum est *Macrianensi*, ut admonent Pithœus & Cujacius, & patet ex Ferrando. Nam & in regio Gratiani codice & in antiquiore Victorino legitur *& in Aganensi*. in qua voce conspiciuntur vestigia aliqua bonæ lectionis. Ceterùm hanc

emendationem secuti sunt viri clarissimi Petrus Franciscus Chiffletius in Notis ad Ferrandum pag. 282. & Franciscus Florens in Decretales pag. 136.

Di. 64. c. 3. De abjectione.

Palea ista reperta non est in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, Victorino antiquiore, neque in Colbertino. Extat tamen in recentiore Victorino *ex Concilio Auraſico cap.* xx. Cetertim is qui canonem illum posuit in Decreto Gratiani, seu is Gratianus fuit, seu alius quispiam, non accepit ex Concilio ipso, sed ex Burchardo, ubi extat lib. 1. cap. 30. Hinc ergo emendandum erat istud caput.

Di 68. c. 4. Quamvis.

In regio Gratiani libro titulus istius capitis hic est: *De his ita scribit Leo omnibus Episcopis.* Sangermanensis addit, *& Presbyteris.* Antiquior Victorinus: *De his autem scribit Leo Episcopus omnibus Episcopis.* Recentior: *De hiis ita scribit beatus Leo Episcopus omnibus Episcopis & Presbyteris.* Antiqua editio Moguntina: *De hiis ita scribit Leo Episcopus omnibus Episcopis & Presbyteris.* Voces *& Presbyteris* non extant in veteri editione Veneta neque in editionibus Democharis & Contij. Cetera similia sunt. Romana autem sic habet: *De his ita scribit Leo I. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ epist. 86. aliàs 88.* Verba sunt Correctorum, non verò Gratiani, licèt in contextu posita sint. In vetustissimo codice MS. bibliothecæ regiæ, in quo collectio Dionysij Exigui continetur, posita est ante collectionem ipsam hæc epistola Leonis cum hac inscriptione: *Epistola Leonis Papæ de privilegio Chorepiscoporum sive Presbyterorum ad universos Germaniæ & Europæ atque Galliæ Ecclesiarum Episcopos.* Extat sanè inter epistolas sancti Leonis epistola quædam adversùs Chorepiscopos Germaniarum atque Galliarum. Verùm ea non est sancti Leonis; & scriptam esse ævo Karoli Magni & Ludovici Pij, cùm maximè incaluit quæstio de Chorepiscopis, manifestum fiet ex textu epistolæ & ex libris Capitularium collectis à Benedicto Levita, si quis ea comparare invicem velit. Idem dicendum de epistolis Damasi & Ioannis III. eandem ob causam scriptis. Inscriptio porrò epistolarum Leonis &

Ioannis, quæ datæ dicuntur ad Episcopos Germaniarum ac Galliarum, quod fieri non potuit nisi ævo Karoli Magni ob unionem Ecclesiæ Gallicanæ & Germanicæ, hæc inquam inscriptio satis ostendit compositas illas fuisse sub finem octavi seculi. Idem dici potest de epistola nona Pelagij secundi, ut pluribus dicetur ad caput *Invenimus*. 71. De Consecrat. dist. 1.

Di. 68. *c.* 5. Chorepiscopi. Sumptum est caput istud ex epistola Damasi ad Episcopos Africæ, quam in capite superiori diximus esse suppositiam.

Di. 71. *c.* 5. Fraternitatem. CARDINANDUM] Admonent Correctores Romani scriptum heic antea fuisse *ordinandum*, & emendatum esse ex ipsa epistola sancti Gregorij ex qua sumptum est hoc caput. In regio Gratiani codice scriptum est *ordinandum*, sed postea superscriptum antiquitus *cardinandum*. Colbertinus & Sangermanensis habent *ordinandum*. Antiquior Victorinus legit *cardinandum*. Sed superscriptum est *ordinandum*. Recentior *ordinandum*. Sic etiam antiquæ editiones Moguntina & Veneta. Anselmus lib. 7. cap. 70. in codice sancti Germani *cardinandum*. Adnotant hoc loco Correctores Romani vocem *cardinare* ita videri beatum Gregorium accepisse ut canonicam translationem significet. Sed pace eruditissimorum virorum dictum sit, cardinare seu incardinare significat simpliciter addicere Clericum certæ Ecclesiæ tanquam illic constitutum in cardine. id quod manifestum est vel ex locis quos ipsi indicant ex sancto Gregorio. Vide porrò Florentem ad titulum Decretalium de translatione Episcopi pag. 266.

Di. 73. GRÆCA ELEMENTA] Ista Gratianus sumpsit, ut opinor, ex Ivone parte 6. Decreti cap. 433. Ivo verò acceperat ex Reginone lib. 1. cap. 437. Unde colligitur verissimum esse quod antea præfati sumus ad Reginonem, nimirum Ivonem collectione Reginonis usum esse. Fons istarum rerum epistola quæ Attici Episcopi Constantinopolitani nomine circumfertur. Dubitaverat olim de ejus auctoritate illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis Petrus de Marca. Verùm, re postea meliùs perpensa, mutavit sententiam, eámque epistolam agnovit pro germano fœtu Attici.

Accepit Gratianus istud caput ex Burchardo, ut manifestum est. Burchardus autem acceperat ex libro primo Reginonis cap. 439. initium tantùm mutans & finem epistolæ. *Di.* 73. *c.* 1. In nomine.

MXII.] In codice Burchardi MS. apud Dionysium Talonium legitur: *Data Vvormatiæ Id. Martij anno dominicæ incarnationis, mense* XII. *Indictione* X. In Colbertino Gratiani libro & in antiqua editione Veneta: *Data Vvarmatiæ Ydus Martij, anno dominicæ incarnationis millesimo* II. *mense* XII. *Indictione* X. In codice Sangermanensi: *Data Guarmaciæ Idibus Marcij &c.* ut in editione Veneta. Prima editio Moguntina: *Data Guarmarciæ Idus Marcij anno dom. incar.* M. III. *mense* XII. *Ind.* X. Verùm Indictio decima rectè congruit cum anno incarnationis dominicæ millesimo duodecimo.

HOMICIDIO] Duæ antiquitus, ut ad Reginonem monuimus, fuere istius canonis apostolici editiones, una in qua extabat clausula de homicidio, alia in qua deerat. Duravit autem duplex illa editio usque ad seculum Gratiani. Nam Anselmus vocem illam non habet, quæ tamen extat apud Ivonem par. 6. Decreti cap. 234. & apud Bernaldum Presbyterum Constantiensem in libro de vitanda excommunicatorum communione apud Tengnagelium pag. 254. De Nota porrò Correctorum Romanorum ad hunc locum diximus in Notis ad Agobardum pag. 121. *Di.* 81. *c.* 12. Presbyter.

Palea hæc in nullo veterum Gratiani librorum habetur præterquam in recentiore Victorino, ubi refertur *ex decreto Eugenij*. Extat autem in capite XV. Concilij Romani sub Eugenio secundo. Cujacius ad caput primum de cohabit. Clericor. & mulier. in Decretalibus, ubi canon iste descriptus est, admonet in castioribus sive emendatioribus codicibus ita rectè legi: *Si quisquam Sacerdotum, Prebyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum.* *Di.* 81. *c.* 22. Si quispiam.

Sumptum est caput istud ex Concilio Carthaginensi tertio. Vir clarissimus Petrus Franciscus Chiffletius in Notis ad Ferrandum pag. 298 pronuntiat sibi suspectum esse hunc canonem qua parte in Cleri- *Di* 81. *c.* 27. Cum omnibus.

corum contubernium admittit etiam famulorum conjuges, immo & quascumque feminas quæ antè quàm clero ipsi addicerentur, in eorum domibus consuevissent. *Qua licentia*, inquit, *haud scio an excogitari quidquam potuit vel ad Clericorum famam vel ad conscientiam convulnerandam pernicioſius.* Vide Reginonem lib. 1. cap. 82. & sequentibus.

Di. 83. *c.* 2. Nemo.

Burchardus, Ivo, & Gratianus in vetustis codicibus & editionibus hunc locum referunt ex Augustino. Re autem vera est sancti Gregorij, ut optimè monent Correctores Romani. Mallem tamen ut iidem retinuissent Augustini nomen in contextu Gratiani, emendationem verò posuissent in margine aut in Notis. Insignis est ad illustrandum hoc caput locus Hieronymi in caput octavum Ecclesiastis, à nobis relatus ad librum septimum de concordia sacerdotij & imperij, dignus profectò qui heic quoque repetatur. *Possumus*, inquit, *hoc testimonium accipere adversùs Episcopos, qui acceperunt in Ecclesia potestatem, & scandalizant eos magis quos docere & ad meliora debuerant incitare. Hi frequenter post mortem laudantur in Ecclesia, & beati in his quæ non probabiliter fecerant publicè sive à successoribus sive à populis prædicantur. Et hoc itaque vanum est, quia non ut egerunt sic audiunt, nec statim corripiuntur in peccato suo. Nemo quippe audet accusare majorem. Propterea quasi sancti & beati & in præceptis Domini ambulantes augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in Episcopum. Si enim peccaverit, non creditur. Et si convictus fuerit, non punitur.* Quia nimirum pro reverentia ordinis peccator honoratur, ut ait sanctus Gregorius in hoc capite. Manifesta porrò crimina in Episcopo vix accipere fidem rectè olim dixit Cassiodorus lib. 1. Variar. epist. 9.

Di. 84. *c.* 4. Cùm de quor.

Est tantùm epitome canonis Africani, qui extat integer apud Reginonem lib. 1. cap. 92.

Di. 88. *c.* 1. Decrevit.

Caput istud non esse Melchiadis rectè observarunt Correctores Romani; qui monuerunt acceptum illud esse ex scripto de primitiva Ecclesia & munificentia Constantini, quod in antiquis Conciliorum voluminibus consequenter sequitur post decreta Melchiadis.

DECREVIT S. SYNODUS] Priscis temporibus, cùm nemo dubitaret de veritate & auctoritate eorum quæ apud Gratianum scripta sunt, dubium non erat quin caput istud verè esset Concilij quod habitum fuisset sub Melchiade Romano Pontifice. Ita quæ ea persuasione imbutus Gaufredus de Monte electo Abbas Lirinensis, qui Basileæ, quo tempore Concilium illic generale celebrabatur, scripsit tractatum de auctoritate Concilij generalis, ex hoc Gratiani loco collegit potestatem sive jus definiendi ac decernendi residere penes synodum, & non in solo Papa. Hæc sunt hominis verba: *Et est advertendum quòd Papa non dicit ibi* Decernimus sacro approbante Concilio, *sed* Decrevit sancta synodus, *ad denotandum quòd auctoritas diffinitiva residet penes synodum & non in solo Papa; sicut nec solus Papa facit Concilium, sed ipse cum aliis.* Tum explicans quomodo deinde factum sit ut in Conciliis ultimorum temporum Romani Pontifices decernere se dicant sacro approbante Concilio, ait: *Nec obstat quòd in superscriptione dictorum capitulorum præponitur nomen Papæ, & in pluribus locis dicitur* sacro approbante Concilio: *quia hoc factum fuit ex gratitudine Conciliorum ad honorandam sanctam Romanam Ecclesiam, quam Concilia generalia honorare consueverunt.* Dicere itaque videtur Abbas iste Romanos Pontifices non esse rerum dominos aut canonum conditores, ex mera tantùm porrò & gratuita Conciliorum benevolentia in Ecclesiam Romanam descendisse honorem qui Romanis Pontificibus tributus est in synodis posteriorum temporum, in quibus Papæ decernere consueverunt sacro approbante Concilio. At si auctoritas diffinitiva, ut ille ait, ita penes synodum residet ut ad eam pertineat jus sanciendorum canonum, non verò ad Papam, quia is solus non facit Concilium, haud scio quonam modo conciliari Gaufredus possit cum Gratiano, qui 25. q. 1. sub finem apertis ac minimè ambiguis verbis scribit Ecclesiam Romanam habere jus condendi canones, ita porrò ipsam præstare canonibus auctoritatem ut se non subjiciat eis, omnes verò canones vel à Romanis Pontificibus vel

ab aliis ex eorum auctoritate conditos fuisse. Multò minùs Gaufredo conveniet cum Alexandro à Turre Episcopo Sithiensi, qui in libro quinto de fulgenti radio ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 18. omnem Conciliorum auctoritatem & robur ponit in persona Romani Pontificis, adeo *ut celeberrima Concilij decreta nihil firmi*, inquit, *nihil sancti, nihil rati habeant nisi ab illo sacrorum principe sint approbata.* Hinc illud Ludovici Majorani in libro tertio de vero Dei cultu cap. 35. majorem esse Petri successorúmque ejus auctoritatem quàm ecclesiasticæ congregationis, id est, Concilij generalis. Nolo persequi ceteras sententias hominum Italorum, quorum major est è propinquo reverentia. Dicam tamen inveniendam ab iis esse aliquam rationem qua Gallicanæ Ecclesiæ sententiam cum sua consocient ac conjungant, ut idem omnes, si fieri possit, sentiamus de auctoritate Conciliorum & Romani Pontificis. Hactenus enim Gallicanæ Ecclesiæ sententia & Italicorum ingeniorum opinio visæ sunt esse res dissociabiles, quantum attinet ad istam materiam. Sed antè quàm ab hoc capite discedam, illud quoque addam, extare alium ejusdem Abbatis tractatum de potestate Papæ & Concilij, itémque alium adversùs errores Bohemorum, utrumque Basileæ elucubratum. Hinc ergo illustrari poterit historia Abbatum celeberrimi & antiquissimi monasterij Lirinensis.

Di 90. *c.* 2. Oblationes.

Vide Reginonem lib. 1. cap. 61. & lib. 2. cap. 375. & sequentibus. Vide etiam illic Notas nostras pag. 550.

Di. 91. *c.* 2. Presbyter.

Regino lib. 1. cap. 208. citat hoc caput ex Concilio Nannetensi, antiqua Gratiani editio Moguntina ex Concilio Navarcensi, Veneta ex Ananethensi, recentior Gratiani codex Victorinus ex Aurelianensi. In secunda collectione Decretalium lib. 5. tit. 22. & apud Gregorium IX. lib. 3. tit. 41. citatur ex Concilio Agathensi. Vtrobique malè. Est enim ex Capitulis Hincmari Remensis Archiepiscopi tit. 1. cap. 9. Hinc ergo corrigendi Gratianus & libri Decretalium. Ceterùm caput istud non extat in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Colbertino, vetere Victorino.

PROPHETA] Regino lib. 1. cap. 185. citat ex decretis sancti Benedicti, Burchardus lib. 2. cap. 105. Ivo par. 6. Decreti cap. 182. & Gratianus ex dictis ejusdem. Est autem ex capite XVI. regulæ sancti Benedicti. Ceterùm paragraphus iste non habetur in manuscriptis Gratiani codicibus in quibus deest prima pars capitis, id est, in regio, Colbertino, antiquiore Victorino. Quin & in codice sancti Germani Parisiensis, ubi extat caput *Presbyter &c.* ex Concilio Nannetensi, desiderantur quæ postea sequuntur in editionibus ex regula sancti Benedicti. Habentur tamen in recentiore Victorino. *Ibid. §.* Propheta.

SYNODUS PERFECTA] id est, cui interfuerit metropolitanus antistes provinciæ. Neque necesse est addi vocem *etiam* post vocem *metropolitanus*, ut admonent Correctores Romani ad caput octavum istius distinctionis. Synodus porrò ista perfecta, quam plenariam vocat auctor antiquus qui scripsit tres libros de pœnitentia nuper in lucem emissos in tomo undecimo Spicilegij Dacheriani, valde diversa est à plenario totius Ecclesiæ Concilio de quo loquitur sanctus Augustinus. Vide porrò Notas ad Agobardum pag. 100. *Di. 92. c. 5.* Si quis.

In fine istius capitis hæc constans est lectio in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis & editionibus: *noverit se laicis majorem, sacerdotibus esse minorem.* Unde colligi potest quantum valeat unius hominis auctoritas ad corrumpenda veterum scriptorum loca. Nam apud Hieronymum in epistola ad Evagrium, ex qua sumptum est hoc caput, legitur: *noverit se lucris minorem, sacerdotio esse majorem.* quo etiam modo legendum heic apud Gratianum esse ait Cujacius ad titulum Decretalium de Clericis non residentibus. Sic etiam habetur in collectione Anselmi Lucensis lib. 1. cap. 78. in codice sancti Germani de Pratis. *Di. 93. c. 24.* Legimus.

Emendatio hæc istius loci Hieronymiani me admonet ut medicinam adferam alteri ejusdem auctoris loco, qui extat in libro sexto commentariorum in caput octavum & decimum Ezechielis. Hæc sunt verba Hieronymi: *Caveat ergo & uxor ne fortè victa desiderio coïundi illiciat virum; & maritus, ne vim*

faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi debere esse conjugij voluptatem. Valde corruptus est iste locus, qui sic legendus est ex vetustissimo codice MS. monasterij Corbeiensis literis Saxonicis ad miraculum scripto: *Caveat ergo & uxor ne fortè victa desiderio coëundi celet virum; & maritus, ne vim faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi debere esse conjugij voluptatem.* Quo etiam modo legitur apud Ivonem parte 8. Decreti cap. 86. & par. 9. cap. 121. Quod indicat vocem *illiciat*, quæ in vulgatis editionibus posita est pro voce *celet*, esse novitiam suppositámque ab iis qui pudicitiæ cupidine & amore ducti, neque satis forsitan intelligentes Hieronymum, indecorum putabant & à verecundia muliebri valde alienum si uxor à marito peteret debitum conjugale. Vult ergo Hieronymus ut si fortè uxorem titillaverit appetitio venereæ voluptatis, marito significet. Prohibet autem ne maritus tyrannum agat, hoc est, ne putet sic subjectam sibi esse debere uxorem ut non ei debitum reddere debeat cùm ipsa petit, sed cùm marito collibuerit; tanquam initium & arbitrium capiundæ voluptatis semper debeat esse penes virum, nunquam penes uxorem. Nam & Apostolus Paulus dixerat virum sui corporis potestatem non habere, sed mulierem, admonens illos ne invicem fraudarent.

Di. 95. *c.* 4. Presbyteri.

OMNI ANNO] Fatendum est hæc verba reperiri in omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis & editis. Admonent tamen Correctores Romani ea desiderari in aliquot Conciliorum editionibus. Ego puto simpliciter mendum heic esse, & pro *omni anno* legendum *omnino*. Vide Notas ad Reginonem pag. 553.

Di. 100. *c.* 11. Scriptorum.

NICOMEDIANÆ] Sic omnino habent antiqua Gratiani exemplaria manuscripta & antiquæ editiones, tum etiam Democharis, Contius, & Correctores Romani. Apud sanctum Gregorium lib. 5. Indict. 14. epist. 7. ex qua sumptum est hoc caput legitur *Nicomeditanæ*. Attamen ego contendo locum hunc esse corruptum, & pro *Nicomedianæ* vel *Nicomeditanæ* legendum esse *Nicopolitanæ*. Primùm enim ea

epistola scripta dicitur ad Episcopos Epiri; quorum Metropolitanus non erat Nicomeditanus Episcopus, qui nullus fuit, sed Nicopolitanus, ut cuivis manifestum est. Deinde apud sanctum Gregorium lib. 7. Indict. 1. epist. 11. & Indict. 2. epist. 90. reperimus mentionem fieri Andreæ Episcopi Nicopolitani, hujus nimirum ipsius de quo ad Gregorium retulerant Episcopi Epirotæ. Vnde patet certam esse emendationem, uti dictum est in libro quinto de concordia sacerdotij & imperij cap. 25. §. 10. Ceterùm ne quis putare possit vitio typographorum factum esse ut prava illa lectio irrepserit in epistolas sancti Gregorij prohibet auctoritas veterum Gratiani codicum omni arte typographica antiquiorum, tum etiam vetus codex epistolarum sancti Gregorij manuscriptus in bibliotheca regia, ubi Episcopus ille vocatur Nicomeditanus.

NEOPHYTOR. HÆR.] Ivo parte 2. Decreti cap. 84. refert epistolam Paschalis Papæ, in qua istud ipsum refertur ex beato Gregorio, apud quem non exstare admonent Correctores Romani, qui putant hic agi de Paschale secundo. Attamen Goffridus Abbas Vindocinensis ad Vrbanum secundum scribens lib. 1. epist. 1. istius epistolæ Paschalis mentionem facit. Vnde certò colligitur illam non posse esse secundi Paschalis, ut rectè illic monuit Sirmondus. *Nuper canones relegens*, inquit, *quandam sententiam inveni quæ Paschali Papæ inscribitur, ubi neophytum factum Episcopum hæreticum vocat, & sicut simoniacum, ita & neophytum à sancta Ecclesia debere separari docet & præcipit.* Infrà eadem causa quæst. 3. cap. 7. *Si quis dixerit* extat aliud fragmentum ejusdem epistolæ Paschalis, ubi rectè adnotant iidem Correctores Romani auctorem hujus capitis ac totius illius epistolæ esse Paschalem primum. 1. q. 1. c. 5. Quisquis.

Correctores Romani non indicaverunt fontem istius capitis. Videtur autem compositum ex responso XIII. Stephani secundi Papæ, quod sic habet. *De illo Presbytero qui baptizavit, tamen nec symbolum nec orationem dominicam nec psalmos tenet, nec scit si Episcopus eum benedixit, hic primùm omnium dignitatem* 1. q. 1. c. 59. Si quis.

qua illicita uti præsumpsit amittens, sub districta pœnitentia, & in monasterium mittatur, & omnibus diebus vitæ suæ plangens quod incongruè egit, degat vita monastica. Infantes verò quos baptizavit, si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, in eo permaneant baptismo. Paulò aliter habet hoc responsum in antiqua collectione canonum Andegavensi MS. ubi tribuitur Papæ Siricio. *Presbyter qui orationem dominicam non tenet, nec simbolum, neque psalmos, si Episcopus fuit qui eum benedixit, hic primùm omnium dignitatem quam illicitè præsumpsit amittat, & sub districta pœnitentia omni tempore vitæ suæ in monasterio degat. Infantes verò quos in sancta Trinitate babtizavit, babtizati permaneant.* Rectiùs heic legitur *si Episcopus fuit qui eum benedixit* quàm apud Sirmondum *si Episcopus eum benedixit.* Nam quia multi per eas tempestates falsi Episcopi erant, præcipuè Scoti, fieri poterat ut Presbyteri nescirent utrum verè Episcopi essent illi qui eos ordinaverant Presbyteros. Ceterùm ignorare non poterant sibi manus impositas esse ab Episcopo. Ex isto porrò responso formatum postea est caput nonum Concilij Compendiensis sub Pippino, quod descriptum reperitur in capite quarto libri quinti Capitularium. Puto enim pro eo quod illic legitur *sicut Sergius Papa dixit* legendum esse *sicut Stephanus Papa dixit.* Rectè autem in Concilio Compendiensi editum est *Georgius* pro eo quod editiones Capitularium habent *Gregorius.* Georgij quippe nomen hoc loco extat in omnibus antiquis libris Capitularium.

12 q. 1. c. 79. Prophetavit.

NON ERGO SE IACTENT] Vide Notas ad librum Agobardi de privilegio & jure de sacerdotij cap. CXI.

1. q. 1. c. 105. Dictum est.

Primus hunc canonem Triburiensem protulit Regino lib. 1. cap. 127. ex quo deinde Burchardus accepit. Verba autem illa *vel pro balsamo*, quæ superflua videntur, non extant apud Reginonem. Balsamum enim & chrisma synonima sunt in hoc loco, ut patet ex capite quarto Concilij Bracharensis secundi 1. q. 1. c. 102. *Placuit ut nullus.* Item vox *statuit* neque in collectione Reginonis reperitur neque in De-

creto Burchardi. Pro eo autem quod Gratianus & Burchardus in fine capitis habent *gratuita dispensatione donentur*, Regino legit *gratuita dispensentur*.

Decretum istud ab Vrbano primùm fuit in Concilio Placentino, dein repetitum in Claromontano. Refert interpretatúrque hunc canonem Eckbertus Bonnensis Canonicus in sermone decimo adversùs Catharos. Vide infrà 9. q. 1. c. 5. *Ordinationes.* 1. q. 1. c. 108. Si qui.

Melius habetur istud caput apud Reginonem lib. 1. cap. 23. Vide porrò illic Notas nostras. 1. q. 2. c. 1. Placuit.

Palea ista non extat in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, & vetere Victorino Habetur tamen in alio Victorino & in Colbertino, item in antiquis editionibus Moguntina & Veneta, & in editione Democharis. Contij editio primam illius partem tribuit Vrbano Papæ, secundam Gregorio. Et post hæc verba, *occasione præsumat*, addit: *Greg. in registro. Regulam antiquam &c.* Rectè. Nam prima pars sumpta est ex Concilio Placentino Vrbani secundi, altera ex regesto sancti Gregorij. Notavit autem Antonius Augustinus in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 2. cap. 1. verba sancti Gregorij mendosè apud Gratianum conjuncta esse cum verbis Vrbani. Ceterùm istum Gregorij locum luculenter explicat Marca in libro sexto de concordia cap. 10. 1. q. 2. c. 3. Nullus.

Caput istud plurima cura indiget, ob temeritatem præcipuè Goffridi Abbatis Vindocinensis, quam postea explicabimus. Non reperiebatur illud ante hoc decennium inter vulgatos canones Claromontani Concilij. Quo factum est ut nonnulli viri eruditissimi, qui non animadvertebant extare apud Gratianum, pronuntiaverint constitutionem illam, cujus mentio alibi supererat, hodie desiderari. Deinde Iacobus Sirmondus vir diligentissimus, cùm decretum istud inveniisset inter canones synodi Nemausensis, admonuit corrigendam esse inscriptionem ejus apud Gratianum, próque Concilio Aruernensi reponendum esse Nemausense, ut diximus suprà in Notis ad Antonium Augustinum pag. 429. Tandem anno MDCLXIII. restitutus est hic canon Aruernensi 1. q. 3. c. 4. Quæsitum.

Concilio, simúlque admonitum repetitum illum fuisse in synodo apud Nemausum celebrata anno sequenti post Claromontanam. Quæ causa errandi Sirmondo fuit. Sic ergo habet initium istius capitis, *Quæstum est etiam de Episcopis qui altaria monasteriis data frequenter redimi pecunia compellebant. Decretum itaque est. Quoniam quidam simoniacæ pravitatis &c.* Concilium Nemausense can. 1. *In Aruernensi Concilio quæsitum est de Episcopis qui altaria &c.* Duæ omnino istius Claromontani canonis editiones antiquitus fuere, una omnium generalis & ubique recepta, altera monasterij Vindocinensis. Generalis habet ubique hanc clausulam: *Salvo utique Episcoporum censu annuo quem ex eisdem altaribus habere soliliti sunt.* Vindocinensis autem editio non habuit clausulam illam. Quod probatur primò ex Chartulario illius monasterij, in quo canon ille descriptus est absque ea clausula, tum etiam ex epistola Paschalis secundi ad Ivonem Episcopum Carnotensem & Rannulfum Sanctonensem, quam decurtatam in hoc loco exhibet idem Chartularium, unde edita est bona fide à Sirmondo. Sic visum Goffrido negare audacter Vrbanum secundum præcepisse ut Episcopi annuum censum haberent à monachis & expungere clausulam illam è canone Claromontano. Hæc sunt ejus verba ad Vlgerium Episcopum Andegavensem lib. 3. epist. 12. *Annuntiastis, ut dicitur, Presbyteris vestris & Personis Ecclesiæ vestræ quòd Dominus Papa Vrbanus in Aruernensi Concilio præceperat ut Episcopi annuum censum habeant à monachis pro redemptione altarium. Bene novit prudentia vestra non esse bonum, quod apostolica sinceritate disponitur, per contrarium prædicare. Bone Domine, vos illi non adfuistis Concilio, & ego interfui, qui hujus rei cognosco veritatem &c.* Negavit itaque verum esse quod verè affirmabat Vlgerius. Fraudem verò manifestam huic fecit cùm censum illum annuum interpretatus est de censu *pro redemptione altarium*, verba hæc perperam inserens decreto synodico. Nam Vrbanus prohibens illam altarium redemptionem, quæ aliquid admixtum habebat simoniacæ pravitatis, conservaverat tamen Episcopis

Episcopis jus percipiendi censum annuum quem ex eisdem altaribus habere soliti erant. Qui census multùm diversus erat à pensitatione quam Episcopi exibant in mutatione personarum. Sed Goffridus putavit ista invicem permiscenda & conturbanda esse ut faciliùs se monasteriúmque suum tueri posset adversùs Vlgerium. Hæc itaque fuit editio monasterij Vindocinensis. Aliam exhibent primò codex Aianensis canonum Claromontani Concilij à nobis editorum, antiquæ membranæ monásterij sancti Albini Andegavensis, epistola Paschalis secundi ad Ivonem edita ex membranis ejusdem monasterij, denique omnia Gratiani exemplaria manuscripta & omnes editiones. Denique hanc clausulam verè additam canoni Claromontano fuisse ab Vrbano colligitur ex epistola ejus de privilegiis monasterij sancti Bertini in Sithiu, cujus hoc fragmentum refertur in literis Gerardi Episcopi Morinorum descriptis in duobus antiquis Chartulariis ejusdem monasterij. Hæc sunt Vrbani verba: *Quæcunque altaria vel decimas ab annis triginta & suprà monasterium vestrum possedisse agnoscitur, quietè deinceps & sine molestia qualibet vobis successoribúsque vestris possidenda firmamus. Salvo utique censu Episcopi annuo quem ex eis hactenus habuit.* Vnde colligitur falli virum eruditissimum Antonium Dadinum Alteserram, qui lib. 4. dissertationum juris canonici cap. 8. cùm retulisset integrum locum ex epistola Goffridi ad Vlgerium, nimium Goffrido credens, pronuntiat dubitandum non esse post testimonium Goffridi quin postrema illa verba quæ leguntur in calce capitis *Quæsitum* addicta canoni fuerint commento Episcoporum, qui peccandi titulum & auctoritatem quærebant. Mox verò, ut opinionem suam confirmet, affert nonnulla decreta posteriorum temporum quæ venditionem pignoratuum & redemptionem Ecclesiarum prohibent. Verùm istud multùm diversum est à clausula quam Alteserra putat adjectam canoni Claromontano. Canon enim vetat altarium redemptionem ac venditionem, sed confirmat possessionem in qua Episcopi erant percipiendi ex eis censum annuum, id est,

censum synodalem, ut alibi diximus. Atque hanc interpretationem esse justissimam alibi pluribus ostendemus, Deo juvante. Vide interim additionem nostram ad caput primum & trigesimum libri sexti de concordia sacerdotij & imperij.

1. q. 3. c. 5. Ea quæ.

Hoc caput in vetustis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, Colbertino, & in antiqua editione Veneta, hanc habet inscriptionem: *Idem Gregorius*. In duobus autem Victorinis & in prima editione Moguntina: *Idem*. quod melius est. Habetur enim in Concilio Placentino Vrbani II. itémque in Claromontano.

1. q. 4. c. 10. Non imputantur.

Post vocem *plectendi*, in qua terminatur hoc caput in editione Romana, omnes antiqui libri & editiones conjungunt verba quæ sequuntur, *Officio autem &c.* Antonius quoque Contius, qui solet in margine distinguere verba Gratiani à verbis canonum aliorúmve locorum ab illo relatorum, Gratiani propterea nomen in margine apponens majusculis characteribus exaratum, nihil heic scripsit donec perventum est ad initium capitis sequentis, ubi sic legitur in margine: GRATIAN. Melius Correctores Romani, qui capitis istius nostri finem, uti diximus, constituerunt in verbo *plectendi*, sequentia retulerunt ad Gratianum. Sunt enim re vera Gratiani verba. Interpretatur porrò hunc locum vir doctissimus Didacus Covarruvias lib. 2. variar. resolut. cap. 8. §. 6.

1. q. 5. c. 1. Quicunque.

Ista in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus citantur simpliciter ex Vrbano, etiam apud Democharem & Contium. Postea Correctores Romani hæc addiderunt in contextu Gratiani: *In Concilio Placentino cap. 5. & sequentibus, itémque in Concilio Romano*. Optima admonitio. Sed tamen ponenda illa non erat in textu, sed in Notis. Extant porrò hæ constitutiones etiam inter canones Claromontanos à nobis editos ex veteri codice MS. illustrissimi viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis.

1. q. 5. c. 2. Eos qui.

Fragmentum est epistolæ Vrbani secundi ad Vitalem Presbyterum, cujus alia duo fragmenta extant infrà 30. q. 3. c. 4. & q. 4. c. 6. Habetur autem integra in veteri codice MS. monasterij Rivipullensis,

Ejus initium est : *Vrbanus II. Vitali Presbytero Brixiensi. Super quibus &c.* Deinde : *Quòd autem uxor &c.* Denique : *Porrò eos qui &c.* ut in hoc capite. Scripta est, ut diximus, ad Vitalem Presbyterum. Sed quis fuerit ille Vitalis, dubium faciunt antiqui codices manuscripti. Heic apud Gratianum simpliciter vocatur Presbyter, absque titulo. Sed Correctores Romani admonent in libro manuscripto decretorum Pontificum citari ex Nicolao ad Vitalem Presbyterum Pruviensem. Quod malè est, cùm sit ex epistola Vrbani secundi. Caput *Super quibus* ita inscribitur : *Vnde Vrbanus scribit Vitali Presbytero Brixiensi.* Inscriptio verò capitis *Quòd autem* ita habet: *De his ita scribit Vrbanus II. Vitali Presbytero Brixiæ.* Atque ita omnino legitur in antiquis codicibus regio & Sangermanensi. In optimo tamen & vetustissimo codice monasterij Rivipullensis, qui scriptus est ævo Paschalis secundi, capita illa constanter inscribuntur Vitali Presbytero Brivensi. Quo etiam modo legitur in vetustissima collectione canonum MS. quæ fuit Claudij Puteani. Animus itaque olim fuerat eam epistolam intelligere scriptam fuisse ad Vitalem Presbyterum Brivensem in finibus Lemovicum. Verùm antiquus auctor vitæ Anselmi Episcopi Lucensis à Sebastiano Tengnagelio editus mentionem facit cujusdam Vitalis Presbyteri Brixiensis hoc ipso tempore viventis. Hæc sunt ejus verba : *Aliud quoque miraculum, quod confratre Vitali Brixiensis Ecclesiæ Presbytero, religiosæ vitæ viro, aliisque pluribus referentibus didici &c.* Ea auctoritate permoveor ut credam veram esse lectionem quæ docet epistolam scriptam esse ad Vitalem Presbyterum Brixiensem, tametsi libri optimi manuscripti nomen habeant Vitalis Presbyteri Brivensis. Videndum autem erit an caput *Consuluit*, quod extat in titulo Decretalium de usuris, quódque in prima collectione Decretalium lib. 5. tit. 15. cap. 12. dicitur esse Vrbani III. ad Brixiensem Presbyterum, restituendum sit Vrbano secundo. Nam Antonius Augustinus illic admonet Presbytero Brixiensi inscriptum illud esse in tribus libris Tarraconensibus, licèt hanc inscrip-

tionem omittant Raymundus & Contius.

1. q. 5. c. 3. Præsentium. In veteri codice Rivipullensi legitur *cuidam principum ejus oblatam*, pro eo quod Gratianus habet *datam*. Infrà in eodem libro sic habetur: *liceat eum ex concessione Episcopi sui fratrúmque &c.*

1. q. 7. c. 3. Cavendum. Palea ista non extat in manuscriptis Gratiani codicibus regio, Sangermanensi, & vetere Victorino. Habetur tamen in recentiore Victorino & in Colbertino, tum etiam in antiquis editionibus Moguntina & Veneta. Vide Reginonem lib. 1. cap. 238.

1. q. 7. c. 22. Si quis Episcopus. In antiqua collectione canonum Lugdunensi lemma istud appositum est huic canoni. EXCERPTA MARTINI. *Si quislibet Clericus aut laicus pro hæresi fuerit excommunicatus, libellum fidei suæ det, ut opinionem hæresis purget.* Canon verò ita habet: *Si quis Episcopus, sive laicus, Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, in aliquibus Ecclesiæ opinione offenderit &c.*

1. q. 7. c. 24. Daibertum. In Pannormia edita Lovanij sic inscriptum est caput istud: *Vrbanus 2. à Petro Pistorienſi Episcopo & Rustico Vallis Vmbrosæ Abbati.* In Basileensi verò & in codice Victorino: *VII. à Petro Pystorensi Episcopo & Rustico Vallis umbrosæ.* Melior est hauddubiè lectio Lovanienſis editionis. Error hinc ortus, opinor, in codice MS. quòd in codice quo librarius ille utebatur, ita haud dubiè scriptum erat, *V. II.* ex quo effectum est *VII.* Legendum itaque: *Vrbanus II. Petro &c.* Rursum in codice Victorino initium capitis est istiusmodi: *Daibertum à Gnezolone &c.* Et infrà: *Negzelon hæreticus constat ab hæret. ordinatus, quia nihil habuit, dare nil potuit cui manus imposuit:* Mox: *necessitate ingruente Diaconem.*

2. q. 1. c. 7. In primis. In antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur simpliciter: *Item Gregorius Iohanni Defensori eunti in Hispaniam.* Sed quia Democharcs & Contius in margine editionum suarum admonuerant caput istud sumptum esse ex epistola 50. lib. 11. epistolarum sancti Gregorij, Correctoribus Romanis placuit ista addere in contextu Gratiani: *libro undecimo, epistola 50.* Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 13. cap. 3.

Caput istud sumptum est ex prima actione Concilij secundi Suessionensis. Refertur autem in prima appendice Reginonis cap. 22. In regio Gratiani codice sic malè inscriptum est: *Item Melciadas Papa.* Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 2. tit. 3. & Cujacium ad titulum Decretalium de libelli oblatione cap. 1. 2. q. 1. c. 9. Legum.

GIRARDO] Codex Sangermanensis *Arardo*, Victorinus antiquior *Airardo*, Colbertinus *Ayrardo*, recentior Victorinus *Archaldo.* Nulla istarum lectionum bona est. *Airardo* tamen mallem quàm *Girardo.* Nam tum Herardus erat Archiepiscopus Turonensis, cujus extant capitula CXL. excerpta ex corpore canonum. Chronicon Malleacense in veteri codice MS. Ioannis Besly viri clarissimi: *Domnus Herardus ordinatus est Turonensium Archiepiscopus anno* DCCCLVIII. *Hic generali synodo in civitate Turonica habita quædam necessaria sanctorum canonum capitula excerpsit, quæ firmiùs custodienda sanxit,* XVII. *Kal. Iunij.* Herardi itaque nomen reponendum est in fronte istius capitis, quemadmodum factum à Sirmondo est. Flodoardus lib. 3. hist. Remens. cap. 21. loquens de variis Hincmari epistolis ad Episcopos scriptis: *Herardo Turonensium antistiti, de quibusdam apostatis ad Ecclesiam redeuntibus & aliis pœnitentibus suscipiendis.* 2. q. 1. c. 10. Notum.

Capitis istius inscriptio sic habet in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, etiam in illis quæ à Democharе & Contio procuratæ sunt: *Item ex eodem ad Brunichildam Reginam Francorum capit.* CCXXXII. Vnde patet Gratianum accepisse ex Burchardo, apud quem lib. 1. cap. 196. sic omnino legitur in codice Talonico. Antiquissimæ epistolarum sancti Papæ Gregorij collectiones manuscriptæ divisæ in libros non sunt, sed consequentibus numeris descriptæ. Vt mirandum non sit si Burchardus aliter numeravit quàm nos hodie solemus. Non utar ampliori probatione. Adferam tantùm titulum antiquissimi & optimi libri manuscripti bibliothecæ regiæ, in quo sic legitur: *In hoc codice continentur epistolæ beati Gregorij Papæ numero* CCXCIII. Correcto- 2. q. 5. c. 7. Mennam.

res Romani, quibus inscriptio istius capitis haud dubiè videbatur obscurior & difficilior quàm expediret studiosis rei canonicæ, liberè pro more suo eraserunt postrema Gratiani verba, & pro illis ista substituerunt, *lib.* 11. *epist.* 8. Sic turbarunt fontes ex quibus sua Gratianus accepit. Mennæ porrò Episcopo, de cujus causa heic agitur, inscripta est epistola quinquagesima secunda libri noni ejusdem Gregorij, ubi dicitur fuisse Episcopus Tolosanus in omnibus editionibus. In vetustissimo tamen epistolarum sancti Gregorij codice MS. bibliothecæ regiæ video Telonensem Episcopum dici, non Tolosanum. quod audio reperiri etiam in aliquot aliis earundem epistolarum libris antiquis. Sanè ex Italia in Britanniam per Narbonensem secundam Viennensémque & Lugdunensem pergentibus, quæ omnium expeditior securiórque via est, prima Galliarum urbs in litore mediterranei maris occurrit Telo sive Tolona, vulgò hodie *Toulon*, dein Massilia, & ceteræ civitates quarum Episcopi numerantur in titulo istius epistolæ, qui sic habet in editione Romana M D X C I. *Gregorius Mennæ Tolosano, Sereno Massiliæ, Lupo Cabiloni, Agilio Meris, Simplicio Parisiis, Melantio Rotomagensi, & Licinio Episcopis Francorum, à paribus.* Hunc titulum descripsit postea Sirmondus ex editione Romana in tomo primo Conciliorum Galliæ. Error autem est in his verbis, *Agilio Meris*; pro quibus legendum esse *Aigulfo Metis* rectè conjecit Sirmondus, vel *Agilpho Metis* Meurissius Episcopus Madaurensis in historia Episcoporum Metensium pag. 92. Nam in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ mox laudato sic legitur: *Gregorius Mennæ Thelonæ, Sereno Massiliæ, Lupo Cabillonensi, Agilfo Mettis, Simplicio Parisis, Melantio, Potumo, & Licino Episcopis Francorum, à paribus.* Sed emendanda quoque sunt ista ex libro regio, *Melantio, Potumo*; pro quibus legendum est, *Melantio Rotumo*, id est, de Rodomo, seu Rotomago, ut disertè scriptum vidimus in antiquo codice epistolarum sancti Gregorij manuscripto in bibliotheca monasterij sancti Remigij Remensis, ubi etiam scriptum est *Agileo Mettis*. Antè quàm verò manum

de tabula tollam, libet heic explicare rem non satis omnibus notam, nimirum quid significent illa verba *à paribus*, quæ leguntur in titulo istius epistolæ Gregorianæ. Veteres igitur hoc loquendi modo significare volebant eandem epistolam iisdem omnino verbis scriptam esse separatim ad unumquemque eorum qui nominabantur in titulo epistolæ. Quod etiam antiquitus observatum est à docto quodam viro in margine ejusdem regij codicis de quo paulò antea dicebamus. *Vniformis*, inquit, *epistola dicitur à paribus, dum duobus vel pluribus ipsa eadémque uno sensu eodémque dictatu uniformiter mittitur.* Et quandoquidem heic sumus, moneo emendandum esse inscriptionem epistolæ cujusdam Alexandri III. in tomo quinto Spicilegij Dacheriani pag. 525. ubi post hæc verba *Firmano Episcopo* scriptum est: *similiter Esculano Episcopo, similiter Camerinensi &c.* Delenda itaque sunt omnia quæ post voces *Firmano Episcopo* interjecta sunt usque ad *salutem*, quæ reponenda sunt in fine epistolæ. Nam ista adnotata olim à Iohanne Berardi sunt ut hinc intelligeret lector eandem epistolam seorsim missam esse ad Esculanum Episcopum & ceteros qui illic nominantur. Vnde & in codice MS. ex quo edita illa est, quo nos usi sumus beneficio optimi viri Antonij Vionis Herovallij, vox *similiter* ubique in hoc loco scripta est rubeo charactere. Quod indicat, ut dixi, ista reponenda esse in fine epistolæ, sicut videmus in regesto Innocentij III. frequenter additum in calce epistolarum: *In eundem modum Episcopo &c.*

Primus hunc canonem Triburiensem protulit Regino lib. 2. cap. 302. ex quo Burchardus descripsit. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 30. cap. 9. 2. q. 5. c. 15. Nobilis.

Reperitur hoc caput inter Capitula Hincmari Archiepiscopi Remensis tit. 2. cap. 23. unde citatur in capite nono Concilij Trosleiani. Extat etiam in Decreto Ivonis par. 6. cap. 420. & in veteri collectione canonum manuscripta quæ fuit Claudij Puteani. Sed in duobus illis locis acceptum dicitur ex epistola quadam Hincmari qua caremus. *Hincmarus Remo-* 2. q. 5. c. 16. Si mala.

rum Episcopus ac plebis Dei famulus dilecto fratri & venerabili coëpiscopo Iohanni salutem. Si mala fama &c. Variè autem se habet hic locus secundùm varias editiones. Nam & Correctores Romani admonent finem illius diversam esse in Concilio Trosleiano. Apud Ivonem verò & in codice Puteano ita legitur: *secundùm decreta majorum cum denominatis sibi vicinis Presbyteris, quos scimus se nolle perjurare, sacramento famam suam purget.* Ibi *perjurare* melius est quàm *pejerare* apud Gratianum. Vox enim illa tum valde erat in usu, ut patet ex libris Capitularium. Atque ita legitur in vetustis Gratiani codicibus regio, Sangermanensi, Colbertino, vetere Victorino. In recentiori Victorino legitur *dejerare*. In antiquis editionibus Moguntina & Veneta *pejerare*. Rursum Hincmarus hunc eundem locum paulò aliter refert in epistola 48. cap. 16.

2. q. 5. c. 20. Consuluisti.

HUMBERTO] Codex Sangermanensis habet *Huberto*, regius & vetus Victorinus *Luiberto*, recentior Victorinus *Guiliberto*, Colbertinus *Liberto*, antiqua editio Moguntina *Lamperto*, Veneta *Huberto*, vetus codex Puteanus *Ludberto*. Ea est vera lectio, quæ restituenda etiam est capiti 13. *Viginti* suprà 16. dist. ubi scriptum est *Luythobio* pro *Ludberto*. Hujus extat epistola ad Ludovicum Regem in calce opusculorum Hincmari à Ioanne Cordesio editorum pag. 628. Item pag. 631. epistola Otfridi monachi Vvissenburgensis ad eundem Luidbertum, seu veriùs præfatio in evangelium versibus Germanicis redditum, cujus operis ex veteri codice MS. meminit & Nicolaus Serarius lib. 4. rer. Moguntiac. pag. 655. Apud Flodoardum lib. 3. hist. Remensis cap. 21. mentio est plurimarum epistolarum ab Hincmaro scriptarum ad Luitbertum Maguntinum Archiepiscopum. Infrà in hoc capite codex Puteanus legit: *Occulta verò & incognita illius sunt judicio relinquenda &c.*

2. q. 5. c. 22. Monomachiam.

Caput istud sumptum est ex epistola quinquagesima Nicolai primi. Primus verò illud ex ea epistola excerpsit Regino lib. 2. cap. 77.

2. q. 5. c. 23. Sæpe.

Multùm diversus est hic canon à vulgatis editionibus Concilij Vvormaciensis, uti diximus ad Regi-

nonem lib. 2. cap. 276. Heic verò Correctores Romani ediderunt *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie*, cùm in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis & antiquis editionibus, tum etiam apud Reginonem & Burchardum, scriptum disertè sit *tibi* pro *mihi*.

Apud Reginonem lib. 2. cap. 277. Burchardum lib. 2. cap. 199. & Ivonem par. 6. Decreti cap. 272. vox *furtum* non extat. Iterum Regino & Burchardus & regius Gratiani liber habent *in singulis Missam tractare debet & secretam publicè dicere & communicare*. Ita etiam Ivo; nisi quòd legit *pro singulis*, cùm alij legant *in singulis*. Ceterùm in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, tum etiam apud Democharem & Contium, hoc caput ita habet: *Si Episcopo aut Presbytero aliquod maleficium imputatum fuerit, pro singulis &c.* Reliqua ergo addita sunt à Correctoribus Romanis. 2. q. 5. c. 26. Si Episcopo.

Rectè admonent iidem Correctores hanc epistolam videri esse Gregorij quarti. Vide quæ de ea re nos suprà diximus in capite septimo nostræ præfationis. 2. q. 6. c. 11. Decreto.

Multifariam multisque modis inscriptum est hoc caput in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus. Codex Sangermanensis & prima editio Moguntina: *Item cùm Vigilius Papa dicat.* Antiquior Victorinus: *Item Vigilius Papa ait.* Regius & antiqua editio Veneta: *Item cùm Iulius Papa dicat.* Recentior Victorinus: *Item Iulius Papa dicat.* Colbertinus: *Item cùm Iulius Papa ait.* Apud Democharem & Contium: *Item cùm Iulius Papa dicat.* Vbi iidem adnotant in margine hæc extare in epistola prima Iulij ad Episcopos orientales. Quod partim verum, partim falsum est. Nam in epistola illa Iulij hæc tantùm habentur ex isto capite: *Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum.* In collectione Anselmi Lucensis lib. 2. cap. 18. in codice Sangermanensi: *Vigilius Papa.* Atque hæc est vera & genuina capitis istius inscriptio. Verùm neque apud Gratianum neque apud Anselmum adnotatus est locus ex quo excerptum est hoc caput. Itaque Correctores Romani, cùm illud invenissent in epistola Vi- 2. q. 6. c. 12. Qui se scit.

gilij quæ ad Eutherium sive Eleutherium scripta dicitur, verbis Gratiani ista addiderunt: *in epistola ad Eleutherium cap. ult.* Illustrissimus Cardinalis Baronius, cùm describere pararet epistolam illam in suis annalibus, nescirétque cujus civitatis Episcopus fuisset hic homo, pronuntiavit ex ea colligi posse *ipsum fuisse Episcopum in extremis Hispaniæ oris Oceano conjunctis, vel in Lusitania, aut in Gallicia.* Quo factum est ut postea nonnulli Hispani scriptores sibi persuaserint, tanquam rem certam, Episcopum illum fuisse Bracharensem in Lusitania, etiam propterea in hunc terrarum orbem inducentes auctoritatem Iuliani Lucæ Archidiaconi Toletani & Marci Maximi Archiepiscopi Cæsaraugustani, Chronographorum, si superis placeret, antiquissimorum & indubitatæ fidei. At in antiquissima collectione canonum Lugdunensi optimæ notæ, quam in Hispania confectam & inde Lugdunum olim advectam puto, cùm varia illius epistolæ capita in septem variis locis referantur, semper referuntur ex epistola Vigilij ad Profuturum. Itaque dubitandum non est, mea quidem sententia, quin expungendum sit ex titulo epistolæ nomen Eutherij, ut reponatur Profuturi. Nam diserta epistolæ à sede apostolica ad Profuturum metropolitanæ Bracharensis Ecclesiæ Episcopum scriptæ mentio extat in canonibus quarto & quinto Concilij primi Bracharensis habiti sub Ariamiro Rege. Hæc sunt canonum verba. *Item placuit ut eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus quem Profuturus quondam hujus metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa apostolica sedis auctoritate suscepit scriptum. Item placuit ut nullus eum baptizandi ordinem prætermittat quem & antea tenuit metropolitana Bracharensis Ecclesia, & pro amputanda aliquorum dubietate prædictus Profuturus Episcopus scriptum sibi & directum à sede beatissimi Apostoli Petri suscepit.* Quibus verbis nemo non videt designari apertè epistolam Papæ Vigilij quæ ad Profuturum data dicitur in veteri codice Ecclesiæ Lugdunensis. Ex qua interim observatione illustrari poterunt quæ de ordine Missæ Hispanicæ scribit eminentissimus & doctissimus Cardinalis Bona lib. 1. rer.

liturgicar. cap. 7. Vide infrà dist. 1. de consecr. cap. 14. *De fabrica.*

Hoc caput sumptum est ex epistola 41. Nicolai Papæ ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum scripta. In fine capitis legebatur olim, *canonica patrum deliberatione*, non solùm in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis & editis, sed etiam apud Anselmum Lucensem, & in epistola ipsa Nicolai. Correctores tamen Romani, repudiata lectione illa, quæ retinenda erat, voci *canonica* substituere maluerunt *cana*, propter illum Virgilij versum: *Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus, Iura dabant.* & quia in libro Ennodij pro Symmacho legitur *cana miracula* & *canum genium.* Ceterùm in manuscriptis Gratiani exemplaribus legitur paulò infrà *ingenio* pro eo quod Romani ediderunt *genio.* 2. q. 6. c. 13. Arguta.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & in editione Moguntina legitur *Cappellanum Ecclesiæ sancti Apollinaris* pro eo quod vetus editio Veneta & quæ post eam secutæ sunt habent *Capellanum sancti Apollinaris.* 2. q. 6. c. 31. Post appellationem. §. *Forma.*

MCXLI. Ind. quarta] Legendum MCV. *feria* IV. ex consensu omnium veterum Gratiani codicum & antiquæ editionis Venetæ, nisi quòd codex regius habet MCVI. vitio hauddubiè librarij. Prima editio Moguntina, quam sequitur Democharis, habet MCLXI. *Indictione quarta.* Romani Correctores, cùm viderent quartam Indictionem non convenire cum anno illo incarnationis dominicæ, suâ propria auctoritate reposuerunt MCXLI. At ego contendo standum esse auctoritati veterum librorum, tamenetsi constaret mendum heic esse, adeóque nihil mutandum in contextu Gratiani.

In antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis & editionibus ante Romanam legitur heic simpliciter in titulo: *Vnde Adrianus Papa ait.* Correctores Romani addiderunt: *in Capitulis à se collectis cap.* 44. Et tamen Gratianus, cùm capitulorum istorum auctoritatem adducit, ea nominare non solet, solo nomine Hadriani contentus. Certum est autem ea capitula tributa utplurimùm Hadriano fuisse, etiam ævo 2. q. 6. c. 40. Si quando.

Hincmari. Verùm bene multa in illis sunt quæ ostendere videntur illa non posse esse illius Pontificis. Quo factum est ut in præfatione mea ad Antonij Augustini dialogos de emendatione Gratiani veriorem esse putaverim scripturam veteris libri sancti Victoris Parisiensis, in quo hæc capitula collecta dicuntur ab Angilramno Metensi Episcopo & Adriano Papæ oblata. Illud ipsum habetur in antiquo codice manu scripto monasterij Lætiensis, ubi sic legitur : *Liber capitulorum ex diversis Conciliis sive decretis Romanorum Pontificum collectorum ab Anilramno Metensi Episcopo.* Hæc admonere alicujus, opinor, momenti erat.

2. q. 7. c. 5. Laicos.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur simpliciter : *Item Eusebius.* Vel: *Item Eusebius Papa.* Democharis verò ista addidit in margine : *Euseb. epist. 1. ad Episcopos Galliæ.* quæ verba dein editionis suæ margini apposuit etiam Contius. Sed Correctores Romani, Democharis & Contio audaciores, illa transtulerunt in textum Gratiani. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de testib. & attestationib. cap. 14. *De cetero.*

2. q. 7. c. 41. Nos si.

Vir doctissimus Hermannus Conringius putat epistolam istam esse Leonis tertij, eo in primis argumento, quòd Leone quarto sedente summa imperij penes Lotharium fuerit, non autem penes Ludovicum. Deinde apud neminem veterum scriptorum reperitur intercessisse simultates aliquas inter Leonem quartum & Lotharium. At verò ex Eginhardi annalibus liquet commotum adversùs Leonem tertium fuisse Ludovicum Pium anno DCCCXV. quia cùm conspirationem adversùm se initam detexisset, *omnes illius factionis auctores ipsius jussu fuerant trucidati,* privata videlicet auctoritate sua, cùm rem deferre debuisset ad aures Principis rerum domini. Nam & ipse Leo summum Principum nostrorum imperium agnoverat in initiis sui pontificatus, ac Karolo Magno fidem suam scripto obligaverat, id est, fidelitatis sacramentum præstiterat. Docet istud epistola 84. Alcuini, quæ est Karoli ad Leonem. *Perlectis*, inquit, *excellentiæ vestræ litteris, & audita decretali cartula, valde, ut fateor, gavisi sumus, seu in electionis una-*

nimitate, seu in humilitatis nostræ obedientia, & in promissionis ad nos fidelitate. Vbi tamen legendum puto, *& in promissione ad nos fidelitatis.* Sed ut redeamus ad Ludovicum, purgare se apud eum studuit Leo per Legatos. Probabile autem est scriptam missámque eodem tempore à Leone fuisse epistolam ad Ludovicum cujus heic fragmentum refert Gratianus sub nomine Leonis quarti.

Ex hoc capite collegit Gratianus interdictam monachis antiquitus fuisse accusationem adversùs Episcopos, immo negatam etiam licentiam dicendi testimonium adversùs eosdem. Viguit ea lex in Anglia per multa tempora, ut colligimus ex Eadmero in libro tertio historiæ novorum. Orta erat controversia de auctoritate quarundam literarum Paschalis secundi in Angliam delatarum à monachis quibusdam. Nonnulli aiebant falsas illas esse, alij negabant. Qui veras esse contendebant, *astruere nitebantur, semoto verborum incerto, scriptis sigillo Papæ signatis verbísque monachicis omnino credendum. Illi è contrà trium potiùs Episcoporum assertionibus quàm vervecum pellibus atramento denigratis plumbíque massula oneratis fore credendum, abjecto monachellorum testimonio, qui ubi seculo se abrenuntiare professi sunt, omne, inquiunt, secularis negotij testimonium perdiderunt.* Cùm verò nihilo minùs adversarij urgerent uti cederetur auctoritati bullarum pontificiarum, responderunt isti: *Testimonium monachorum contra Episcopos non recipimus, & ovinæ pellis reciperemus?* Apud Eadmerum pag. 65.

2. q. 7. c. 53. Placuit.

Inscriptio istius capitis in codice Sangermanensi hæc est: *Item Stephanus Papa V. Girardo Laodicensi.* in regio, *Leodicensi.* in antiquiore Victorino, *Lodicensi.* in recentiori, *Gerardo Leodicensi.* in Colbertino demum, *Grando Leodicensi.* Ecce manifestissimè constat epistolam inscriptam esse cuidam Clerico Leodiensi, seu is Episcopus erat, sive in inferiori gradu constitutus. Nam veteres codices nihil habent de dignitate hominis. Quòd si de Leodiensi Episcopo heic agitur, necesse est ut Franconis nomen substituamus pro Girardo. Nullus enim, saltem Stephani

3. q. 2. c. 3. Oportet.

quinti Pontificatu, Leodiensis Episcopus fuit Girardus, sed Franco, ut constat ex historia Episcoporum Leodiensium.

3. q. 4. c. 8. Clericus.

Cujacius ad titulum primum Decretalium de judiciis cap. 4. ita explicat postremam partem istius capitis, ut curiam interpretetur de curia Decurionum, qui judices non sunt; cui pœnæ causa Clericus addicitur, ut serviat tanquam pistrino. quam sententiam amplexus quoque fuisse videtur Franciscus Juretus in Notis ad epistolam 53. Ivonis Episcopi Carnotensis. Quia tamen interpretatio illa non caret difficultate neque contradictoribus, illustrissimus vir Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis sibi in eam rem incumbendum esse credidit. Itaque anno MDCL. die undecima Maij dissertationem de ea re edidit in monasterio sancti Hieronymi Murtensis prope Barcinonem; quam nos existimavimus heic post Notas nostras opportunissimo loco edendam esse, cùm nondum in lucem prodierit.

3. q. 6. c. 10. Hæc quippe.

Miror eruditissimos & sapientissimos viros Correctores Romanos inscriptionem hujus epistolæ mutasse contra omnium veterum librorum & editionum fidem. Vbique enim constanter scriptum est: *Vnde Nicolaus Papa Salomoni*, vel *Salamoni*, *Regi Britonum*, vel *Britorum*. Extat autem epistola illa Nicolai integra in tomis Conciliorum. Et tamen Correctores Romani sic ediderunt: *Vnde Ioannes Papa Salomoni tertio & ultimo Regi Britonum.* Veruntamen non puto Gratianum sciisse, ne fando quidem, quotus Britonum Rex fuerit Salomon, neque item utrum ultimus. Additionis istius fons & origo est Contius, qui in margine editionis suæ adnotavit eum fuisse ultimum Regem Britonum. quam observationem ex margine in textum transtulerunt Correctores, ut solent. Neque tamen vera propterea est observatio viri doctissimi & celeberrimi; qui de emendatione ista alicubi agens, vel ex eo probat epistolam illam non posse esse Ioannis VIII. quòd ad ejus tempora Salomon Rex non pervenerit. Fallitur, inquam, vir eruditissimus. Nam Ioannes electus est Romanus Pontifex anno DCCCLXXII. Salomon verò occi-

sus est anno DCCCLXXIV. ut tradit auctor annalium Metensium. De causa porrò Archiepiscopi Turonensis adversùs Episcopos Britonum, de qua agitur in hoc capite, vide quæ dicta à nobis sunt in libro quinto de concordia sacerdotij & imperij cap. 46.

3. q. 6. c. 14. Indicat.

Hoc caput in antiquiori codice Victorino sic inscriptum est: *Item Nicholaus Papa Guallinoni Sennensi Episcopo.* In regio: *Item Nicholaus Papa Vvallinoni Seneſi Archiepiscopo.* In Sangermanensi: *Item Nicholaus Papa Senonienſi Archiepiscopo.* Aliorum varias lectiones referre necessarium non arbitror. Legendum itaque: *Item Nicolaus Papa Vvaniloni Sennensi Archiepiscopo.* Ceterùm epistola illa Nicolai edita est integra à Ioanne Cordesio in appendice opusculorum Hincmari, dein à Sirmondo in tomo tertio Conciliorum Galliæ. Vide porrò quæ de negotio illo Herimanni dicta à nobis sunt in Notis ad Lupum Ferrarienſem pag. 457. & in capite septimo præfationis nostræ ad dialogos Antonij Augustini de emendatione Gratiani.

4. q. 2. c. 2. Placuit.

Hunc locum Regino lib. 2. cap. 336. citat ex libro tertio Capitularium cap. 52. Burchardus, quia nolebat uti auctoritate Capitularium, retulit ex Concilio Matiscensi cap. v. ac propterea initium mutavit. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de testibus & attestationibus cap. 1.

6. q. 1. c. 18. Quicunque.

Vide Halitgarium lib. 4. cap. 28. Rhabanum in epistola ad Heribaldum cap. 18. & Reginonem lib. 2. cap. 324.

7. q. 1. c. 4. Pontifices.

In vetustis Gratiani exemplaribus Colbertino, Sangermanensi, duobus Victorinis, tum etiam in prima editione Moguntina, inscriptio istius capitis ita habet: *Item Nicholaus Alvino Iovanenſi Archiepiscopo.* In regio verò: *Alumpno Iovinenſi Archiepiscopo.* Apud Democharem & Contium: *Item Nicolaus Papa Alvino Ianuenſi Archiepiscopo.* quo etiam modo editum fuisse reperio à Petro Albignano. Vtraque lectio mala est, cum legendum sit *Adalvvino Iuvavenſi Archiepiscopo*, uti nuper adnotavimus ad Reginonem pag. 595.

7. q. 1. c. 10. Non furem.

Codex Sangermanensis habet: *Item Leo IIII. Nen-*

noni Duci Britanniæ. Recentior codex Victorinus & vetus editio Moguntina, *Novoni.* regius, *Nennino.* antiquior Victorinus, *Nonnoni.* Colbertinus, *Nemo.* Editio Veneta antiqua, quam secutæ sunt posteriores, *Vernoni.* Sed illud mendosum est, ut jampridem monuit Sirmondus in capite tertio Antirrhetici secundi adversùs Aurelium. Legendum ergo, *Nomenoio.* Hic est Nomenoius ad quem scripta est celebris illa & elegantissima epistola LXXXIV. Lupi Abbatis Ferrariensis, in qua Episcopi Gallicani ad eum scribunt nolle se fures & latrones vocare Episcopos ordinatos in locis viventium, sed mercenarios. *Episcopi legitimi sedibus propriis pulsi; &, ut mitiùs loquamur, quia dicere noluimus* FURES ET LATRONES, *mercenarij introducti.* Quibus verbis respexisse omnino mihi videntur ad epistolam istam Leonis quarti, in qua Gilardus Nannetensis Episcopus ordinatus in loco Actardi vocatur fur & latro. De illa enim loqui puto Episcopos Gallicanos cùm Nomenoio scribunt ipsum noluisse literas ejusdem Leonis recipere quibus eum monebat ut à malis cœptis desisteret. *Non solùm nihil eorum quæ mandaverat fecisti, sed ne litteras quidem ipsas recepisti; & quia nolebas à malo desistere, timuisti bene monentem audire.*

7. *q.* 1. *c.* 21. Placuit. Etiam in vetustis Gratiani exemplaribus manuscriptis adnotatum est canonem istum Concilij Carthaginensis quinti esse. Renovata autem est hæc constitutio à Karolo Magno, ut patet ex libro primo Capitularium cap. 41. Vide Notas ad Reginonem pag. 542.

7. *q.* 1. *c.* 30. Remoto. In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis & editis hæc tantùm leguntur: *Item Hilarius Papa.* Deinde Democharis addidit in margine: *Episcopis Terraco. cap.* 3. Correctores Romani observationem Democharis ex margine, ut solent, transtulerunt in textum.

7. *q.* 1. *c.* 33. Sancitum. Primus hunc canonem protulit Benedictus Levita lib. 7. Capitular. cap. 146. & post eum Regino lib. 1. cap. 240. sed sine nomine auctoris. Burchardus addidit: *Ex Concilio Rotomagensi cap.* V. Quem secuti postea

postea sunt Ivo & Gratianus. Sed utrum re vera sit alicujus Concilij Rotomagensis, definire non possum. Certè non extat in editis. Fortassis erit Concilij apud Rotomagum habiti sub Ludovico Rege, cujus mentionem facit eruditissimus vir Ioannes Mabillon monachus Benedictinus in præfatione ad tomum tertium sanctorum ordinis sui pag. 56. ubi existimat habitum illud esse circiter annum octingentesimum octogesimum.

SURRIPIAT AUT] Hæ voces non habentur in antiquis Gratiani libris, neque in Talonico Burchardi codice optimo, neque demum apud Ivonem. Addita autem sunt, ut fatentur Correctores Romani, ex Burchardo, apud quem sic legitur in vulgatis editionibus: *Ecclesiam surripiat aut Ecclesiam vacantem &c.* Sed observandum est antiquos librarios duas interdum unius loci lectiones simul posuisse, ut ex his eligeret lector quam mallet, quemadmodum non semel dictum à nobis est. Apud Reginonem, unde Burchardus accepit, tum etiam in libro septimo Capitularium, legitur simpliciter: *Ecclesiam subripiat, pro hac cupiditate &c.* Postea exortus est Burchardus, qui hunc quoque canonem in Decreto suo posuit. Duæ ergo illius lectiones habentur apud Burchardum, una vulgata, altera quæ extat in codice Dionysij Talonij. Vulgata sic habet: *surripiat, aut Ecclesiam vacantem pretio redimat.* Altera nihil habet præter vocem *surripiat.* Ego censeo primò scriptum fuisse apud Burchardum uti apud Reginonem est, deinde studiosum quendam adnotasse supra lineam, *aut Ecclesiam vacantem pretio redimat.* Ex quo factum est ut aliqui eorum qui postea codicem Burchardi descripserunt utramque lectionem retinuerint, alij eam tantùm quæ erat ex glossemate; quæ prævaluisse videtur, cùm Ivo & Gratianus illam habeant. Quicquid verò sit de toto isto negotio, certum est Correctores Romanos non debuisse mutare textum Gratiani.

HUMIFREDO] Sirmondus in capite tertio secundi Antirrhetici monet legendum *Huntfredo*, malè porrò apud Ivonem parte 6. Decreti cap. 120. 7. q. 1. c. 47. Scisciteris.

appellari Vuilfredum. In vetustis Gratiani codicibus vocatur Vinfridus vel Vinfredus, in antiqua editione Moguntina Hunifridus. Eidem inscriptum debere esse caput *Clericum* dist. 50. admonet idem Sirmondus.

7. q. 2. c. 1. In tuis. Hujus capitis inscriptio in codicibus regio, Sangermanensi, & vetere Victorino hæc est: *Vnde Alex. II. scribit Gebonardo Vivanensi Archiepiscopo.* in Colbertino, *Vinanensi.* in recentiore Victorino, *Vienensi.* In antiquis editionibus Moguntina & Veneta, tum etiam apud Democharem & Contium, *Vivarienſi.* Hanc ultimam lectionem retinuerunt in editione sua Correctores Romani. Verùm manifestus heic error est. Neque enim Vivarienſis Episcopus metropolitico unquam honore sublimatus est, neque ullus ea tempestate Gebonardus fuit Episcopus Vivarienſis. Itaque sic legendum est: *Alexander secundus Gebonardo Iuvanenſi Archiepiscopo*, id est, Salzburgensi. quam lectionem exhibent Ivo parte 6. Decreti cap. 405. & vetus canonum collectio MS. quæ fuit Claudij Puteani. Gebonardum porrò sive Gebehardum tenuisse cathedram Iuvavensem ævo Alexandri secundi patet ex vita ejus ab Henrico Canisio edita in tomo sexto lectionis antiquæ pag. 1127. & ex Sigeberto in libro de unitate Ecclesiæ pag. 94. in editione Basileensi Simonis Schardij. Similem medicinam adhibuimus capiti *Quod interrogasti.* dist. 27. & in causa ista, q. 1. c. 4. *Pontifices.*

7. q. 2. c. 2. Nuper. Citat hoc caput, quod esse ait *ultimum septimæ causæ capitulum in corpore decretorum*, Innocentius III. apud Odoricum Raynaldum ad annum 1202. §. 12. cùm ageretur de Lectorensi Episcopo morbo comitiali laborante in Archiepiscopum Auscitanum electo.

TRIGINTA DIEBUS] In codice Sangermanensi legitur, *ut eum* LXXX. *diebus.* in regio, *ut eum vl* LXXX. *diebus.* sed duo puncta supposita sunt literis *vl*, quæ ostendunt illas esse superfluas. In antiquiore Victorino, *ut eum l.* XXX. *diebus.* quo loco litera *l* divisa est per lineolam superiùs, ut significet *vel.* Verùm mendum heic est. Codex Colbertinus,

ut eum xxx. *diebus*. Recentior Victorinus: *ut eum triginta diebus*. quo etiam loco litera *l* significat *vel*. Prima editio Moguntina: *ut eum* xxx. *diebus*. Veneta: *ut eum vel* xxx. *diebus*. quo etiam modo legunt Democharis & Contius. At Correctores Romani expunxerunt particulam *vel*, ut simpliciter legerent *triginta*. Fortassis nonnullorum veterum scriptorum auctoritas & vestigia sinceræ lectionis in aliis ostendunt legendum esse *octuaginta*.

Iam antea ad distinctionem 68. monuimus falsam esse epistolam Ioannis tertij ex qua sumptum est hoc caput. 8. *q.* 1. *c.* 1. Si Petrus.

IUDICIO EPISCOPOR.] Post illa verba sequitur in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis & editis *& electione Clericorum*. Ea verò expunxerunt Correctores Romani, *quia neque in originali*, inquiunt, *neque apud ceteros collectores leguntur*. Ego, qui puto religiosum debere esse editorem veterum auctorum, retinuissem eam clausulam in contextu Gratiani, & in Notis admonuissem eam non extare in originali neque apud ceteros collectores. Et fortassis Gratianus viderat antiquum aliquod Antiocheni Concilij exemplar in quo clausula illa contiebatur. Diverso ausu iidem Correctores nonnulla frequenter addiderunt in contextu Gratiani quæ omittenda erant quia non extant apud Gratianum. Hinc enim fit, quod sæpe dicendum est, ut Gratiani collectionem hodie non habeamus, sed collectionem Correctorum Romanorum inhærentem ordini qui servatus à Gratiano est. 8. *q.* 1. *c.* 3. Episcopo.

In omnibus Gratiani libris editis & manuscriptis hæc tantùm habentur: *Item Innocentius Papa secundus*. Correctores Romani addiderunt: *in Concilio Romano cap.* 16. Verùm nulla ratio est cur hoc caput adscribatur Romano Concilio potiùs quàm Claromontano, quod novem annis habitum est ante Romanum. Eadem enim verba quæ heic leguntur, extant inter canones Concilij quod Innocentius secundus celebravit apud Clarummontem in initiis sui pontificatus. Vnde rursum colligitur nihil mutandum aut addendum fuisse apud Gratianum absque auctoritate veterum codicum. 8. *q.* 1. *c.* 7. Apostolica.

8. q. 3. c. 2. Artaldus.

Hoc caput intelligi debere de Artaldo Episcopo Helenensi in Gallia Narbonensi probavimus in libro quinto de concordia sacerdotij & imperij cap. 41. In veteri collectione canonum MS. quæ fuit viri clarissimi Claudij Puteani, & nunc servatur in bibliotheca regia, hæc quæ sequuntur, paulò aliter leguntur quàm apud Gratianum. *Canonicis juraverat. hujusmodi sacramentum. feci, nullam conventionem ante. consecrationem meam. criminis ejus conscius sum. à sacerdotio me repellat.* Ceterùm omnia antiqua Gratiani exemplaria manuscripta & edita habent *à sacerdotio me repellat.* quæ verba optimum sensum faciunt. Vt mirum valde sit hanc lectionem fuisse repudiatam à Correctoribus Romanis, qui *à sacra me unctione repellat* edere maluerunt.

ARELATENSIS] Omnia Gratiani exemplaria sic prorsùs habent. Sed vetus collectio canonum Claudij Puteani, à nobis sæpe laudata, legit *Alanensis.* Quæ lectio, tametsi corrupta, propiùs accedit ad veram. Legendum quippe *Helenensis.* Helena, sive Elna, vulgò *Elne*, civitas est Galliæ Narbonensis, dicta Illiberis apud Titum Livium lib. XXI & *vicus Eliberri, magnæ quondam urbis & magnarum opum tenue vestigium*, apud Melam. *Castrum Helenæ* in Chronico Hieronymi, & oppidum *cui Helena nomen est* apud Paulum Orosium in libro septimo historiarum adversùs paganos. Helenensis Ecclesia suffraganea semper fuit Ecclesiæ Narbonensis usque ad tempora Iulij secundi, qui eam anno MDXI. x. Kal. Augusti exemit ab omni superioritate, dominio, potestate, jurisdictione, correctione, & auctoritate Archiepiscopi Narbonensis ejúsque Officialium & Vicariorum, subjecítque eam sedi apostolicæ. Sed postea Leo X. exemptionem, liberationem, & decretum, ac literas hujusmodi revocavit, cassavit, irritavit, & annullavit, illáque omnia pro infectis haberi & censeri nulliúsque roboris vel momenti fuisse & esse declaravit, Episcopúmque & clerum ac populum civitatis & diocesis Elnensis Archiepiscopo Narbonensi semper subjecta fuisse & esse prout ante exemptionem & liberationem. Litera

Leonis datæ sunt Romæ anno MDXVII. XI. Kal. Februarij. Verùm ista Leonis bulla irrita fuit Karolo V. Cæsare & Hispaniarum Rege obsistente. Itaque Helenensis Episcopus noluit deinceps habere Archiepiscopum Narbonensem pro suo Metropolitano. Cùm verò post Leonis ac Iulij tempora Concilium Tridentinum statuisset ut Episcopi qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligerent, in cujus synodo provinciali cum aliis interesse deberent, Elnensis Episcopus, qui tum erat sub dominio Philippi secundi Regis Hispaniæ, maluit Tarraconensem metropolim agnoscere quàm redire ad Narbonensem. Denique Gregorius XIII. Elnensem Ecclesiam statuit deinceps fore suffraganeam Ecclesiæ Tarraconensis. Clemens autem octavus sedem Episcopi Elnensis transtulit Perpinianum, nomine tamen veteri semper manente.

In veteri collectione canonum quæ fuit Claudij Puteani legitur : *Vrbanus II. Gebehardo Episcopo Constantiensi*. In codice verò Rivipullensi, *Geboardo*. Sirmondus tamen in capite tertio Antirrhetici secundi adversùs Aurelium monet mutandam esse inscriptionem hujus capitis apud Gratianum, & pro Gebehardo Episcopo Constantiensi substituendum esse nomen Pibonis Episcopi Tullensis, quòd is locus reperiatur in epistola quam Vrbanus ad eum scripsit; quæ nuper, ut diximus, edita est in tomo decimo Conciliorum. Verùm & Ivo & Gratianus aliíque præterea veteres collectores caput istud sumptum dicunt ex epistola ad Gebehardum Episcopum Constantiensem, ut ipse Sirmondus fatetur; adeóque nihil mutandum est. Refert autem hoc caput Eckbertus Bunnensis Canonicus in sermone decimo adversùs Catharos. 9. q. 1. c. 4. Ab excommunicatis.

Refertur hoc caput, uti & sequens, à Reginone lib. 1. cap. 61. *ex Concilio Nannetensi* 419. Burchardus lib. 2. cap. 92. *ex eodem cap.* 419. Emendare ista conatus est Ivo Carnotensis, quòd putaret haudduòiè heic erratum esse, non à Burchardo, sed à librario: neque enim tot posse esse unius Concilij capitu- 9. q. 2. c. 4. In dominicis

la. Itaque par. 2. Decreti cap. 122. hunc eundem canonem referens, *ex Concilio Nannetensi cap.* XIX. sumptum fuisse tradit in omnibus editionibus & in vetustissimo codice manuscripto sancti Victoris Parisiensis. Et tamen Antonius Augustinus in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 15. cap. 2. ait caput istud ab Ivone in loco citato referri ex capite 419. Concilij Nannetensis, nullum interim Decreti Ivonici exemplar antiquum laudans auctorem istius rei. Quo fit ut ego existimem hęic memoria lapsum esse summum virum, & Ivonem posuisse pro Burchardo. Vide porrò præfationem nostram ad Reginonem cap. 9. & 13.

10. q. 1. c. 2. Sic quidam. Apud Reginonem lib. 1. cap. 32. & apud Burchardum, qui ex Reginone accepit, lib. 3. cap. 20. legitur: *Multi contra canonum constituta &c.* Lib. 7 Capitular. cap. 213. *Multi contra canonum statuta &c.* Lectionem quæ in Reginone est confirmat Concilium Toletanum tertium, unde sumptum est hoc caput.

10. q. 1. c. 9. Relata. Apud Reginonem lib. 1. cap. 12. legitur: *Delata est &c.* Sic etiam habetur in editionibus Burchardi lib. 1. cap. 229. At in vetere libro ejusdem Burchardi manuscripto in bibliotheca illustrissimi viri Dionysij Talonij legitur *Relata.* unde huc translatum est hoc initium istius capitis.

MANSIONES] id est, procurationes, ut diximus ad Reginonem. Eædem dicebantur paratæ, ut colligitur ex verbis istius canonis quæ sequuntur. Attamen quidam paratas distinguunt à mansionatico.

10. q. 1. c. 14. Sanctorum. In vetustis Gratiani exemplaribus & editionibus hæc est inscriptio istius capitis: *Item Calixtus Papa.* Correctores Romani, cùm rectè observassent ista non posse esse Callisti primi, non rectè in contextu Gratiani addiderunt *secundus*, ut heic agi docerent de re quam Callistus secundus sanciviſſet. In veteri codice MS. monasterij Anianensis, ex quo nos edidimus Concilium Lateranense habitum ævo istius Callisti, hæc adduntur post vocem *rotunda*, *& sancti Nicolai Barensis, sancti Ægidij, aut de aliis &c.*

10 q. 2. c. 4. Precariæ. Videndus Regino lib. 1. cap. 364. & sequentibus, ex quo sua Burchardus accepit. In Notis porrò no-

tris pag. 575. deteximus malam Burchardi fidem in hoc loco. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 12.

Optimè adnotant Correctores Romani caput istud non posse esse alicujus Concilij Carthaginensis. Iidem admonent extare in lege Longobardorum lib. 3. tit. 8. (legendum, 10.) cap. 2. Est enim ex Capitulis Lotharij Imperatoris, quæ adjecit ad legem Longobardorum. Ceterùm caput istud non habetur in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, & Victorinis. Habetur tamen in Colbertino & in antiquis editionibus Moguntina & Veneta. Vide Antonium Augustinum in loco mox laudato. 10. q. 2, c. 6. De precariis.

PAROCHIALIUM] Antonius Augustinus pag. 34. suorum dialogorum de emendatione Gratiani censet legendum esse *parochianorum* pro *parœcialium*. Malè, ut opinor. Canon quippe non loquitur de Christianis fidelibus qui sub Presbyterorum illorum cura consistebant, qui vulgò dicuntur parochiani, sed de Presbyteris qui parœcias regebant, quos ideo canon vocat parœciales Presbyteros. Hi se prægravari querebantur ab Episcopis suis, & modum poni postulabant eorum avaritiæ. Renovavit synodus decretum Concilij Bracharensis secundi. Itaque nihil in hoc loco mutandum; retinendáque vetus lectio, quam retinuit & Loaisa in canone quarto Concilij Toletani tertij, unde sumptum est hoc caput. Vetustissimus codex MS. Ecclesiæ Lugdunensis: *Querimonias etiam parrochialium Presbyterorum Gallicia provintia sollertissimè discernere decuit.* Antiqua collectio canonum Andegavensis: *Quærimonias etiam parrœchialium Presbyterorum Gallitiæ provinciæ solertissimè discernere placuit.* 10. q. 3. c. 8. Inter cetera.

GALLIÆ] In antiquis Gratiani exemplaribus regio & Sangermanensi scriptum est *Galiciæ*, in recentiore Victorino *Gallicia*, in antiquiore *Galatiæ*, in Colbertino verò & duabus antiquis editionibus Moguntina & Veneta *Galliæ*. Quo etiam modo editum est à Demochare & Contio; eandémque lectionem prætulerunt Correctores Romani, quòd Gallicanæ regni Gothorum provinciæ Episcopi, id est, provin-

ciæ Narbonensis, ad synodos Toletanas per ea tempora convenire solerent. Verùm verior mihi videtur sententia Garsiæ Loaisæ, qui ista adnotavit in margine istius Toletani canonis: *Gallicia*] *Sic est in omnibus codicibus manuscriptis, quam lectionem retinui, cùm infrà dicatur hoc decerni ex decreto Concilij Bracarensis, sub cujus metropoli erat Gallicia.* Carolus etiam Molinæus in annotatione ad hunc locum putat legendum esse *Gallicia*. Vidimus autem suprà *Gallicia* disertè scriptum esse in antiquissimis codicibus Lugdunensi & Andegavensi. Eandem autem lectionem præfert etiam collectio Isidori. Gaufredus de Monte electo Abbas Lirinensis legit *Gallia* in tractatu de auctoritate sacri Concilij generalis.

DIOECESIS SUÆ BASILICAS] In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, etiam apud Democharem & Contium, legitur: *dioceses vel basilicas*. quo etiam modo scriptum est in vetusto codice Ecclesiæ Lugdunensis. Colbertinus Gratiani codex habet tantùm, *per singulas dioceses juxta synodum &c.* Correctores Romani maluerunt *per singulas diœceses suæ basilicas*. Quam lectionem retinuit Loaisa in editione Conciliorum Hispaniæ. Verùm sincerior mihi videtur lectio veterum codicum. Quo loco vetus glossa interlinearis in codice Sangermanensi ita distinguit ut super voce *dioceses* addat *rurales*, super verbo autem *basilicas* addat *civitatenses*.

Sed ut redeamus ad canonem ipsum, adnotandum est in eo agi de Episcopis visitantibus suas diœceses, quorum fastui & ambitioni modum ponere conatur ista synodus Toletana. Ex eo fonte orta est constitutio Lateranensis sub Alexandro III. adversùm Legatos; de qua egimus in libro quinto de concordia sacerdotij & imperij cap. 51.

11. q. 3. c. 2. Nullus judicum.

Caput istud non extat in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, & vetere Victorino. Habetur autem in recentiore Victorino absque inscriptione. In Colbertino conjunctum est cum superiore. In antiqua editione Veneta nullam habet inscriptionem, nisi quòd Paleæ nomen illic extat. In prima editione Moguntina sic inscriptum est: *Item ex Con-*

tilio Parisiensi *capitulo primo*. Canon est quartus Concilij quinti Parisiensis habiti anno DCXV. ut monuit Sirmondus in Antirrhetico secundo adversùs Aurelium. Citatur autem, sed absque inscriptione, lib. 6. Capitular. cap. 154. & Addit. IV. cap. 62.

Φεχτρία] In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, tum etiam in editione Conciliorum Iacobi Merlini, legitur *fratrea* vel *phratea*, Latinis characteribus. Primus, ut arbitror, Demochares Græcis literis in hoc loco usus est. quem secuti sunt Contius & Correctores Romani. In antiqua collectione canonum Lugdunensi legitur : *quod apud Græcos dicitur fratrias*. Est igitur interpretatio canonis Chalcedonensis, in quo vox Φεχτρία usurpata est pro conspiratione seu potiùs sodalitate. Fratrias cum conspirationibus conjunxit Flavius Gundemarus Rex in tomo Conciliorum Hispaniæ pag. 263. *Per quasdam fratrias & conspirationes.* 11. q. 1. c. 22. Conjurationum.

ILLICITOR.] Vide Reginonem lib. 1. cap. 318. 319. & lib. 2. cap. 445. 11. q. 1. c. 34. Aliud.

Refert hanc constitutionem Innocentius III. in cap. *Novit*. De judiciis. ex Gratiano, ut apparet, cùm eam tribuat Theodosio. Est enim constitutio Constantini inserta Codici Theodosiano. Rectiùs ergo in libro sexto Capitularium cap. 281. citatur ex sextodecimo Theodosij Imperatoris libro. Vide porrò Cujacium in caput *Novit*. 11. q. 1. c. 35. Quicunque.

Puto totum hoc caput non satis bene intellectum esse ab Antonio Augustino in dialogo undecimo libri posterioris de emendatione Gratiani. Itaque visum est illud explicare. Romani, Franci, Alamanni, Bajoarij, Burgundiones, Saxones, Turingi, & Frisones, nullam, ut arbitror, difficultatem habent, neque Britones, Longobardi, Guascones, aut Beneventani. Quærendum igitur quid heic intelligi debeat per Gallos, Gothos, & Hispanos. Ac primò quidem dubium esse non potest quin per Gallos intelligi debeant homines originis Gallicæ, Franci quidem & Francico imperio subjecti, sed qui genus repetebant à vetustis Galliæ incolis ante Francorum adventum. Hi ergo haud dubiè suam legem habebant diversam à le- 11. q. 1. c. 37. Volumus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ge Francorum, id est, Codicem Theodosianum, ac fortasse alias. De Gothis & Hispanis major est difficultas. Sed tamen ea facilè solvetur. Gothi & Hispani Francico imperio subjecti eandem regionem incolebant, id est, eam Hispaniæ partem quæ nunc Catalonia dicitur usque ad fluvium Rubricatum. Vnde in Præcepto Karoli Calvi dato anno DCCCXLIV. in monasterio sancti Saturnini prope Tolosam ita legitur: *Gotos sive Hispanos intra Barchinonam famosi nominis civitatem vel Terracium castellum cohabitantes.* Gothi igitur in ea Hispaniæ parte habitantes ij erant qui supererant ex regno Gothorum, & nunc Catalani vocantur. Hispani verò in eadem parte Hispaniæ cum Gothis habitantes ij erant qui ex ea Hispaniæ parte orti erant quam Sarraceni tenebant, & se in regnum Francorum contulerant ut se Sarracenorum jugo subtraherent. Vnde in Præcepto Karoli Magni dato Aquisgrani anno DCCCXI. IV. Non. Aprilis misso ad Comites illarum partium agitur de Hispanis qui querelam suam adversùs eos detulerant ad Principem, conquerentes sibi ablatas esse terras quas ab eodem Karolo acceperant excolendas in ea ora. Sed totum istud negotium clariùs explicant Præcepta duo Ludovici Pij de Hispanis qui ad se perfugerant, quæ edita primò sunt à Petro Pithœo, deinde ab Andrea Ducheſnio. Porrò qui heic Gothi vocantur inter gentes regni Francorum, Hostolenses vocantur in Præceptis Karlomanni & Karoli Simplicis quæ edita à nobis sunt in appendice Conciliorum Galliæ Narbonensis tit. II. & IV. *Si verò infra istas villas homines Hostolenses sive Hispani fuerint &c.* Hinc factum ut in veteri Chartulario Ecclesiæ Helenensis idem Karolus simplex vocetur Rex Francorum atque Gothorum Fortassis ex compositione istorum duorum vocabulorum *Gothi Hostolenses*, quæ promiscuè tum usurpabantur pro significandis populis qui nunc Catalani dicuntur, ortum est Cathaloniæ nomen, ut primùm fortassis dicti sint populi Gothostolenses, dein per abbreviationem Gotholenses. Alioqui enim non video unde exorta sit ea appellatio. Ex Gotholensibus porrò, ut mutare solet posterior ætas, facti

sunt hauddubiè Catalenses, *Catalens, Catalans.*

Nihil dicam de hoc capite. Illud tantùm moneo, videndum esse Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 13. cap. 3. — 11. q. 1. c. 38. De persona.

Vide rursum Antonium Augustinum ibidem lib. 2. tit. 2. cap. 1. ubi multa adfert notatu digna ad illustrationem istius capitis. — 11. q. 1. c. 46. Si Clericus.

Quæ heic dicenda fuissent, ea relata sunt in Notis ad Antonium Augustinum, quia Augustinus pag. 357. notaverat insignem errorem Antonij Contij. — 11. q. 3. c. 3. Præcipuè.

Burchardus, Anselmus, Ivo, & Gratianus citant hoc caput ex decreto Honorij Papæ, ut rectè monent Correctores Romani. Ex eodem decreto citat etiam sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis in epistola ad Episcopum Cicestrensem nondum edita. *Inde est*, inquit, *quòd mandamus vobis & in vi obedientiæ præcipimus ut eos qui à nobis excommunicati sunt, vos quoque, prout decet, excommunicatos & habeatis & denuntiari faciatis juxta illud decretum Honorij Papæ.* CURÆ SIT *omnibus Episcopis &c.* Ivo tamen parte 14. Decreti cap. 65. eam constitutionem tribuit Ioanni octavo in Concilio apud Ravennam. Ceterùm hoc caput non potest esse Honorij secundi, cùm referatur à Burchardo, Anselmo, & Ivone. — 11. q. 3. c. 20. Curæ sit.

Regino lib. 2. cap. 393. refert hoc caput, sed absque nomine auctoris. Burchardus, quia videbat caput quod antecedit sumptum dici ex Isidoro, istud quoque eidem scriptori tribuendum esse putavit. Burchardum Ivo descripsit, ut solet. — 11. q. 3. c. 28. Si quis frater.

Verba sunt formulæ secundùm quam priscis temporibus fieri debebat excommunicatio. Hanc formulam integram retulit Regino lib. 2. cap. 409. Burchardus, qui putaret istud quoque sumptum esse ex Concilio Rotomagensi quia caput 406. ex eo Concilio dicebatur acceptum, formulam istam tribuit Concilio Rotomagensi, ut diximus in capite XIX. præfationis ad Reginonem. Burchardum secutus pro more suo est Ivo Carnotensis Episcopus. — 11. q. 3. c. 106. Debent.

Et istud quoque caput est formula prisci ævi, relata à Reginone lib. 2. cap. 413. Burchardus deinde citavit ex Concilio Arausico cap. v. Ivo simpliciter ex- — 11. q. 3. c. 107. Canonica.

Concilio Araufico. Hinc ergo edoctus eft Gratianus falfa pro veris accipere, falfa reddere & proponere.

12. q. 2. c. 33. Si quis. Canon ifte aliter legitur apud Reginonem lib. 1. cap. 353. Refertur autem infrà ex Concilio Aurelianenfi. Sed re vera eft tantùm epitome iftius canonis Agathenfis.

12. q. 2. c. 39. Et fi illi. Codex Sangermanenfis hæc tantùm habet in inferiptione hujus capitis : *Item ex Concilio Toletano.* Reliqui & veteres editiones : *Ex Concilio Toletano quarto.* Democharcs & Contius addiderunt in margine, *cap. 66.* Sed Correctores Romani maluerunt eam notam reponere in textu Gratiani. Vide Antonium Auguftinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 11. cap. 5.

12. q. 2. c. 44. Precariæ. Apud Reginonem lib. 1. cap. 362. citatur ex Concilio apud Belvacum, quod defcriptum eft in Concilio Meldenfi. Itaque five referas ex Concilio Meldenfi, five ex Belvacenfi, parum refert Vide porrò Notas noftras ad Reginonem pag. 574.

12. q. 2. c. 55. Injuftum. Regino lib. 1. cap. 370. refert ex Capitulis ad Carifiacum, quæ non extant. Huic ergo malim credere quàm illis qui repetunt eandem conftitutionem ex Concilio apud Silvanectum vel Tanfiacum. Deeft autem hæc palea in vetuftis Gratiani codicibus regio & Sangermanenfi. Deeft etiam in vetere Victorino, nifi quòd poftea addita eft in margine cum hac epigraphe : *Item ex Concilio Aprecarenfi cap.* 111.

12. q. 2. c. 58. Epifcopus qui. Extat apud Reginonem lib. 1. cap. 357. & inde apud Burchardum lib. 3. cap. 176. Sed apud Reginonem defunt illa verba *Tunc enim* ufque ad *acquifivit*, quæ habentur apud Burchardum & Gratianum.

12. q. 2. c. 62. Octava. Antiqua Gratiani exemplaria habent : *Item ex Concilio Spalenfi.* Editiones Moguntina & Veneta : *Item ex Concilio Hifpalenfi.* Sic etiam apud Democharem & Contium, qui in margine ita fcripferunt : *Cap. 8. Concil. Spalenfis 2.* Hæc deinde obfervatio in textum migrare juffa eft editione Romana.

HELISÆO] Variè fcribitur hoc nomen in vetuftis Gratiani codicibus. Regius, Sangermanenfis, recentior Victorinus, & antiquæ editiones Moguntina & Veneta, tum etiam Democharcs, habent *Eliſeph.*

Contius *Eliſep.* antiquus Victorinus *Elipheph.* Colbertinus *Elyſeo.* antiqua collectio canonum Lugdunenſis *Heliſeo.* editio Loaiſæ *Eliſſeo.* Adeo certum eſt nihil certi ſtatui poſſe in hujuſcemodi rebus. Attamen ſi quid in re adeo obſcura poſſet affirmari, mallem cedere multitudini teſtimoniorum & legere *Eliſeph.* Nam alioqui hoc nomen magis accedere videtur ad nomina Hiſpanica illorum temporum, quibus Hiſpanicæ Eccleſiæ permixtæ erant cum Mauris & Iudæis.

AGABRENSIS] Sic omnino habent vetera Gratiani exemplaria Victorina, Sangermanenſe, prima editio Moguntina, Loaiſa. Vetus editio Veneta *Agabienenſis.* Democharcs & Contius *Agabinienſis.* Vtrique malè. Rectè codex regius *Egabrenſis.* Quo etiam modo ſcriptum eſt in vetuſtiſſimo libro Eccleſiæ Lugdunenſis. Egabro, hodie *Cabra*, ut docet Loaïſa, fuit olim ſedes epiſcopalis.

Canonem iſtum Claromontanum nos primi omnium edidimus ex veteri codice manuſcripto monaſterij Anianenſis, poſt noſtram verò editionem inſertus eſt maximæ & ampliſſimæ Conciliorum collectioni. Sic autem illic incipit hoc caput: *Die igitur quarta de laicis quæſtio facta eſt &c.* 12. q. 2. c. 146. De laicis.

Ante Romanam editionem caput iſtud hanc habebat inſcriptionem: *Item Innocentius Papa ſecundus.* Correctores Romani, quia neſciebant iſta decreta ab Innocentio primùm fuiſſe in Concilio Claromontano, & certò exiſtimabant petita eſſe ex Concilio Lateranenſi ejuſdem Innocentij, hæc verba audacter & intrepidè addiderunt, *in Concilio Lateranenſi cap.* 4. Extat inter canones ejuſdem Claromontani Concilij; ubi deſiderantur voces illæ, *Eccleſiæ &.* Cetera ſunt ſimilia; niſi quòd canon Claromontanus habet *ſubjiciantur* pro eo quod Gratianus legit *ſubjaceant.* 12. q 2. c. 147. Illud quod.

Refert hunc canonem Africanum Regino lib. 1. cap. 217. De toto porrò iſto negotio vide quæ obſervata à nobis ſunt ad illum locum ex libro tertio Salviani adversùs avaritiam pag. 270. *Rectiùs pauperes à ſe fiunt.* 12. q. 3. c. 18. Placuit.

12. q. 4. c. 3. Presbyter.

Hic canon ex Concilio Arausico cap. 54. refertur à Reginone lib. 1. cap. 219. & à Burchardo lib. 3. cap. 119. Sed isthic observandum est, extare quidem hunc canonem in editione Helmæstadiensi Reginonis, sed non in antiquissimo codice MS. quo nos usi sumus. Ivo rectè citavit ex Concilio Agathensi, ubi extat. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de peculio Clericorum cap. 2.

DIOECESIM] Corrige *dioceſim*. Heic magna pars eruditorum hominum peccat, dum scripturam veterum codicum reducere volunt ad originem suam. Vix enim reperias ullum veterem codicem in quo vocabulum illud scriptum sit cum diphtongo. Et tamen ferè omnes qui veteres libros edunt, *diœceſim* semper scribunt ubicunque legerint *dioceſim*. Hæc admonere alicujus fortean momenti fuerit.

DIOCESIM] id est, parœciam, Ecclesiam. Nam sicut parœciæ vocabulum usurpabatur antiquitus ad significandam integram Episcopi diœcesim, uti dictum est in Notis ad Lupum Ferrariensem, ita diœcesis vocabulo exprimebantur interdum singulares Presbyterorum Ecclesiæ, quæ nunc vulgò vocantur Ecclesiæ parœciales. Ruricius Lemovicensis lib. 2. epist. 6. *Has ad sanctitatem vestram per Presbyterum meum pro diœcesi Gemiliacensi, unde jampridem vobis scripseram, destinavi.* Gregorius Turonensis lib. 4. hist. Francor. cap. 13. *Cautinus Episcopus Brivatensem diœcesim psallendo adire disposuerat.* Item lib. 6. cap. 38. *Vrsicinum Cadurcinæ urbis Episcopum lacessere cœpit, dicens quia diœceses Rutenæ Ecclesiæ debitas retineret.* Et libro 1. de miraculis sancti Martini cap. 22. *Quid etiam in Condatensi diœcesi actum sit.* Vide etiam Sidonium lib. 9. epist. 16. cum Notis Savaronis & Sirmondi. Interdum verò diœcesis, quod etiam observatum ab aliis est, sumitur pro tota Episcopi diœcesi, interdum porrigitur ad universam Metropolitani provinciam.

12. q. 5. c. 6. Sicubi.

In omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis & antiquis editionibus legitur in hoc capite, *post hanc diffinitionem à Presbyteris &c.* Pro quo Correctores Romani posuerunt *post defunctionem ejus à Presbyteris.*

In fine istius capitis, quod sumptum esse dicitur ex Concilio Triburiensi, hoc est, ex Burchardo, hæc leguntur: *Similiter de sanctimonialibus.* Atque in his verbis est finis istius causæ duodecimæ in omnibus antiquis codicibus & editionibus. In Colbertino tamen sequuntur constitutiones tres Adriani III. sive potiùs IV. Leonis IX. & Adriani item quarti, ut opinor, cum hoc titulo: *Decreta de novalibus.* Illarum prior extat in prima collectione Decretalium & apud Gregorium nonum, sed paulò diversa ab ea quæ extat in codice Colbertino. Eam verò Correctores Romani putant esse Adriani IV. ad sanctum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem Frustra. Nam Adrianus mortuus est anno MCLIX. mense Septembri. Thomas verò ad sedem Cantuariensem evectus est anno tantùm MCLXII. ut ex actis vitæ ejus collegit illustrissimus Cardinalis Baronius. Leonis noni epistolam ego olim inveneram in Pannormia Ivonis lib. 2. cap. 29. & in aliquot codicibus manuscriptis. Edita est nuper in tomo nono Conciliorum pag. 984. Aliam Adriani epistolam non inveni editam. Itaque visum est eam in hoc loco describere, vel ob eam rationem quòd Decreto Gratiani inserta sit in codice Colbertino.

12. q. 5. c. 7. Quicunque.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei dilectis A. Priori & universis monachis de Pontiden. salutem & apostolicam benedictionem. Nobis in eminenti specula disponente Domino constitutis, si cunctarum jura Ecclesiarum integra non debent & illibata servari, locum beati Petri Apostolorum principis inutiliter obtinere & juxta commissæ nobis dispensationis officium negligenter agere videremur. Sic enim Ecclesia Dei, nobis eam divina providente gratia gubernantibus, rectè suo cursu dirigitur, dum nos errata quæque vigili provisione corrigere & unicuique studemus jus proprium conservare Dilectus autem filius noster Pontanolensis Ecclesiæ Canonicus adversùs * nos cum quæstione depositâ, sua nobis relatione monstravit vos quasdam decimationes ad ipsorum jus pertinentes eis violenter auferre & ipsos super eisdem decimationibus ausu temerario

* *Leg.* vos conquestione.

infestare : qui si beati Benedicti regulam, juxta quam vivitis, & monasticum habitum quem gestatis, attenta sollicitudine pensaretis, ad proximorum bona diripienda non præsumeretis manus extendere vel quæ alterius juris sunt vobis ita illicitè usurpare. Ne igitur vos de cetero aut avaritiæ malum aut vitium, quod absit, rapacitatis accuset, per apostolica scripta vobis præcipiendo mandamus quatinus nullam antiquam eorum possessionem vel decimationem, & eam præsertim quæ in eo loco qui Arden nuncupatur existit, auferre seu perturbare ulteriùs præsumatis, & si quid eis præter solitum hoc anno de ipsis decimis negavistis, quascunque etiam ipsorum possessiones per violentiam detinetis, secundùm quod antiquitus præfata Ecclesia noscitur possedisse, eisdem Canonicis in integrum restituere omni occasione cessante nullatenus differatis. Nos siquidem religiosis viris non aliàs decimas nisi eas quæ de novalibus provenire noscuntur duximus indulgendas. Si verò hujus nostri mandati ausi fueritis existere contemptores, & ad sedis apostolicæ audientiam querimonia pervenerit iterata, timendum vobis erit ne sentire postmodum debeatis severitatis ecclesiasticæ ultionem.

Sequitur rursum in eodem codice.

Item ex Concilio Ephesino.

Sed & hoc ibidem statutum est de Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & ceteris Clericis, si hereditatem à Domino Rege vel ab aliquo Principe vel amico suo seu per hereditariam sortem sibi devenerit, vel quocunque modo adquisierit, donare eis liceat omnia cuicunque monasterio voluerint, dum vivunt, pro remedio animæ, ad Ecclesiam quamcunque voluerint, vel suis consanguineis vel amicis. Sin * autem obierint quàm firmiter perfecerint, altari cui serviunt omnia perpetuò sanctificentur & vivis tradantur.

* antè

Certum est hanc constitutionem non posse esse ullius Concilij Ephesini & in synodo quadam occidentali posteriorum temporum fuisse conditam. Si quis conjecturæ locus erit, tribuendus est hic canon

Concilio

Concilio habito apud Erphesfurt in Germania anno DCCCCXXXII. Nam caput *Placita* 15. q. 4. tribuebatur olim Concilio Ephesino, cùm sit Concilij illius Germanici, ut rectè monuerunt Correctores Romani, & nos quoque infrà ostendimus.

13. q. 2. c. 14 Facultates.

Hæc est inscriptio istius capitis in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, etiam usque ad tempora Democharis & Contij: *Vnde Gelasius Papa ait.* Correctores Romani addiderunt: *Episcopis Siciliæ epist. 2. c. 2.* Regino lib. 1. cap. 18. citat simpliciter *ex epistola Gelasij Papæ.* Vide lib. 7. Capitularium cap. 175.

13. q. 2. c. 15 Præcipiendum.

Nescio unde Gratianus acceperit istam regulam editam fuisse in Concilio Varensi. Sic enim omnino legitur in omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis & in omnibus editionibus. Regino lib. 1. cap. 125. Burchardus lib. 3. cap. 159. & Ivo par. 3. Decreti cap. 222. referunt ex Concilio Nannetensi, ubi extat. Ceterùm de interpretatione istius capitis, in quo nonnulla sunt intellectu difficilia, pluribus actum est in Notis ad Reginonem pag. 558.

13. q. 2. c. 16 Fures.

Primus hunc canonem synodi Triburiensis in epitomen, ut solet, redegit Regino, apud quem extat lib. 2. cap. 94. Hinc ergo accepit Burchardus, dein Ivo, ex istis verò Gratianus. De auctoritate porrò canonum Triburiensium quæ referuntur apud Reginonem, & tamen non extant inter vulgatos canones ejusdem synodi, vide præfationem nostram ad Reginonem cap. 10.

14. q. 2. c. 1. Super prudentia.

Hanc Paschalis secundi epistolam, quæ data est Troiæ in Apulia anno MCXV. VI. Kal. Septembris, vir eruditissimus Petrus Franciscus Chiffletius edidit integram inter probationes historiæ monasterij Trenorchiani pag. 372.

14. q. 3. c. 4. Vsura.

Citatur hoc caput ex Concilio Agathensi, ubi non extat. Regino lib. 1. cap. 284. illud describens, non monuit unde acceptum esset. Heic Burchardus, ne hæsisse sibi aqua videretur, addidit auctoritatem Agathensis Concilij. Et tamen difficile non erat invenire fontem ex quo Regino derivaverat. Nam cùm is paulò antè retulisset quiddam ex primo libro Capi-

tularium, & consequenter istud caput absque nomine auctoris, pronum erat intelligere acceptum esse ex eodem libro primo Capitularium, ubi extat.

14. q. 4. c. 4. Si quis.

Caput istud citatur ex Concilio Martini Papæ, id est, ex Capitulis Martini Bracharensis in Concilio secundo Bracharensi probatis. De sensu autem & sententia hujus capitis vide Cujacium ad titulum Decretalium de vita & honestate Clericorum cap. 2.

14. q. 4. c. 7. Nec hoc quoque.

Iam monuimus ad Reginonem lib. 1. cap. 224 varias esse istius capitis lectiones apud eos qui illo usi sunt. Vide Halitgarium lib. 4. cap. 34.

14. q. 4. c. 9. Quicunque.

Regino lib. 1. cap. 287. refert ex libro primo Capitularium, ubi extat. Postea verò Burchardus, cùm Decretum suum concinnaret, statuissétque secum ne uteretur auctoritate Capitularium, constitutionem illam retulit ad Iulium Papam. Hinc ergo decepti sunt Ivo & Gratianus. Hæc si bene semel observata fuerint, facile erit deprehendere fontes plurimorum Gratiani erratorum.

14. q. 5. c. 12. Dixit.

Caput istud cum sequenti primus retulit Regino lib. 2. cap. 273. sed in epitomen, ut arbitror, redacta pro more suo. Ex eo deinde descripserunt Burchardus & alij.

14. q. 6. c. 4. Fur autem.

Regino lib. 2. cap. 272. retulit *ex dictis Hieronymi ad Titum.* Burchardus lib. 11. cap. 55. simpliciter *ex dictis Hieronymi*, in vulgatis editionibus. Sed in vetere libro manuscripto Dionysij Talonij adnotatum non est unde sumptus sit hic locus. Ivo par. 13. Decreti cap. 41. ex Hieronymo tantùm.

15. q. 4. c. 1. Nullus Episcopor.

EXCEPTO CRIMINALI] id est, negotio, ut adnotat vetus interpres in veteri codice Victorino. Ceterùm hæc lectio constans est in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis & editis. Sed in Concilio Tarraconensi edito à Garsia Loaisa legitur: *exceptis criminalibus negotiis.* Antiqua & vera lectio extat in vetustissimo codice manuscripto Ecclesiæ Lugdunensis: *excepto criminalia negotia.* Antiqui dicebant *excepto* per omnes casus; & idem verbum sæpe regebat accusativum; ut adnotavimus ad Reginonem pag. 591. Nihil vulgatius in veteri lege Longobardorum, in lege Vvisigothorum, in vetustis exemplaribus

Capitularium, apud Marculfum, in Chartulario monasterij Casaurienſis, & alibi. Quam rem heic omittimus, quia pluribus, Deo dante, de ea agemus in noſtra quam paramus editione Capitularium Regum Francorum.

In codice Gratiani Sangermanenſi, tum etiam in antiquis editionibus Moguntina & Veneta, denique apud Democharem & Contium, hæc eſt inſcriptio iſtius capitis: *Item ex Concilio apud Epheſum habito præſente Rege Henrico.* In recentiori Victorino legitur, *apud Epheſim*; in antiquiore, *apud Herpiſter.* In regio ſcriptum fuit apud *Expheſum.* ſed litera *x* jugulata deinde eſt. Colbertinus habet *Erpheſur.* Legendum eſſe *Erphesfurt* docet Antonius Auguſtinus in dialogo tertio libri prioris pag. 28. & patet ex Burchardo, Ivone, & veteri libro Claudij Puteani. Rectè ergo emendatum ſic eſt in Romana editione. Aliud decretum ejuſdem Concilij Epheſini ex codice Colbertino retulimus pag. 512. 15. q. 4. c. 2. Placita.

DOMINICIS DIEBUS] Vide Reginonem lib. 1. cap. 376 & Notas noſtras pag. 575.

Ivo in Pannormia edita parte 5. cap. III. caput iſtud refert hoc modo: *Vrbanus II. Vapicenſi & Dienſi Epiſcopis.* Sed in codice Victorino ita ſcriptum vidi: *Vrbanus II. Edrenſi, Vapicenſi, Dienſi Epiſcopis.* Meliùs antiqua canonum collectio in codice manuſcripto monaſterij Rivipullenſis: *Vrbanus II. Ebredunenſi, Vapincenſi, Dienſi Epiſcopis.* 15. q. 6. c. 5. Iuratos.

HUGONI] Sic habent omnes Gratiani codices, uno excepto Sangermanenſi, qui *Vvigoni* habet. Neque dubito quin ita reponendum ſit, cùm eodem modo diſertè ſcriptum viderim in codice Rivipullenſi. Nam & in Victorino Pannormiæ libro legitur *iungoni.* Quòd ſi ſcripturam illam depravatam revocare ſtudeas in viam, facilè invenies ſcriptum primò fuiſſe *uuigoni*, iſtud verò à librario facilè mutatum eſſe in *iungoni.* In Victorino porrò illo codice & in Rivipullenſi legitur: *prohibete. Quòd ſi ſacramenta &c.* & *juraverunt.* Rectè.

FRAGITANUM] In prima appendice Reginonis cap. 31. legitur *Fratiganum.* In antiquis Gra- 15. q. 7. c. 1. Sexta actione.

tiani exemplaribus regio, Sangermanensi, & Victorinis, *Fragitanum*. In Colbertino verò & in antiquis editionibus Moguntina & Veneta, *Flagitanum*, quam lectionem retinuerunt Democharis & Contius. Editio Loaisæ habet *Fragitanum*. Sic etiam antiqua canonum collectio Lugdunensis & vetus liber Claudij Puteani. Ostenderunt autem in hoc capite Correctores Romani quantum sibi licere crediderint.

15. q. 7. c. 4. Felix.

SELEMSELIT.] Antiqua Gratiani exemplaria regium, Sangermanense, Colbertinum, & vetus editio Moguntina, legunt *Selensitanus*. Editio Veneta *Selencitanus*. Codices Victorini *Silensitanus*. Democharis & Contius *Seleucitanus*. Correctores Romani *Selemselitanus*. quo modo scriptum est in antiquo codice MS. Ecclesiæ Vrgellensis in quo sincera Isidori collectio continetur. In antiquissimo codice MS. Ecclesiæ Lugdunensis bis scriptum est: *Felix Episcopus Selemsilitanus*. Fortassis Episcopus is erat Sillitanus in provincia Numidiæ; cujus sedis Episcopum fuisse Maximum regnante Hunerico Rege reperio in antiqua notitia provinciarum Africæ edita à Sirmondo & Chiffletio. Sed tamen nihil affirmare ausim.

16. q. 1. c. 10. Interdicimus.

Caput istud videtur sumptum ex Concilio Lateranensi Callisti secundi, cùm aliquid simile reperiatur inter canones ejusdem Concilij à nobis editos ex veteri codice MS. monasterij Anianensis.

16. q. 1. c. 25. Sunt nonnulli.

Decretum istud Bonifacij IV. reperitur integrum in multis codicibus manuscriptis, editum verò est à Luca Holstenio. Constitutum autem fuit in Concilio Romano cui interfuit Mellitus Episcopus Londinensis, ut docet Beda lib. 2. historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum cap. 4. *His temporibus venit Mellitus Londoniæ Episcopus Romam de necessariis Ecclesiæ Anglorum causis cum apostolico Papa Bonefacio tractaturus. Et cùm idem Papa reverendissimus cogeret synodum Episcoporum Italiæ de vita monachorum & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit anno octavo imperij Focatis Principis, Indictione decimatertia, tertio die Kalendarum Martiarum.* Item Henri-

cus Huntindonienſis lib. III. *Mellitus Epiſcopus Londoniæ Romam profectus Concilio Bonifacij Papæ interfuit, in quo de vita & quiete monachorum tractavit. Hic eſt Bonifacius quartus à Gregorio Papa.* Decretum illud totidem verbis, tacito tamen Bonifacij nomine, deſcriptum eſt in canonibus Concilij Nemauſenſis ab Vrbano ſecundo celebrati.

Fragmentum eſt ex epiſtola divi Hieronymi ad Ruſticum monachum, qui poſtea Narbonenſis Epiſcopus fuit. Vide quæ de hoc viro dicta à nobis ſunt in libro quinto de concordia ſacerdotij & imperij cap. 33. ubi deſcripſimus hunc Hieronymi locum. 16. q. 1. c. 16. Sic vive.

Rectè admonent Correctores Romani duas eſſe diverſas iſtius capitis lectiones, quarum una, quam omnia vetera Gratiani exemplaria præferunt, habet *aut admiſſa clericatus militia monaſticis non provehantur ordinibus*, alia *aut omiſſa clericatus militia monachicis provehantur ordinibus.* Poſtremam lectionem, ut ab eiſdem adnotatum eſt, habent prima Pariſienſis editio epiſtolarum ſancti Gregorij & Anſelmus Lucenſis lib. 7. cap. 163. Diſcrimen itaque per eas tempeſtates magnum erat inter Clericos & monachos, Abbatibus verò non licebat eſſe Clericis, ut patet ex hoc loco. Singularis iſtius diſciplinæ locus eſt in Concilio Carthaginenſi edito in tomo ſexto Spicilegij Dacheriani. Quæſtio erat de monaſterio quodam provinciæ Byzacenæ, quod Liberatus Epiſcopus ſibi ob eam cauſam ſubjectum debere eſſe dicebat quia fundatum fuerat à Subdiacono ſuo Abbate ejuſdem monaſterij. Negarunt monachi ſciſſe ſe eum fuiſſe Subdiaconum. Vnde certò colligitur dimiſſum ab eo fuiſſe gradum Subdiaconi cùm in monaſterium ſe abdidit. Hæc ſunt monachorum verba pag. 3. *Nec ideo nos eum quia Subdiaconus, ſed propterea quia monachus fuit, Abbatem habuimus. Vnde etſi forſan alicui Epiſcopo aliquando Subdiaconus, nobis tamen monachus fuit. Nec nos heredes honoris eccleſiaſtici, quem eum habuiſſe neſcimus, ſed ſanctiſſimæ profeſſionis extitimus.* 16. q. 1. c. 38. Preſbyteros.

Caput iſtud ſumptum eſt ex Capitulari Karoli Magni ad Salz cap. 3. Refertur autem à Reginone lib. 1. cap. 26. 16. q. 1. c. 44. Quicunque.

16. q. 1. c. 59. Quia juxta.

In antiquis Gratiani exemplaribus inscriptio hujus capitis sic habet : *Item ex libro Capitulorum Caroli & Lodovici Imperatorum.* Certum est capita quæ in libro primo Capitularium leguntur, Karoli Magni debere esse, si ratio habeatur propositi quod Ansegisus susceperat. Itaque ob eam causam necessarium est caput istud referri ad eundem Karolum. Attamen vir eruditissimus Iacobus Sirmondus, cùm videret idem caput constituere initium Capitularis quod à Ludovico Pio editum est anno DCCCXVII. apud Aquisgranum, tum cetera quæ sequuntur capita in eodem libro primo esse descripta, pronuntiavit in tomo secundo Conciliorum Galliæ pag. 684. Ansegisum immemorem propositi & instituti sui, cùm librum illum solius Karoli ecclesiasticis legibus destinasset, has etiam Ludovici filij constitutiones injecisse. Censebat ergo Sirmondus caput istud non esse Karoli, sed Ludovici tantùm. Sed ego, qui certò scio caput istud verè esse Karoli, ut alibi ostendam, existimo Ansegisum eo deceptum quòd cùm intelligeret illud esse Karoli, cetera quæ sequebantur ad eum quoque pertinere putaverit, cùm tamen sint utplurimùm solius Ludovici.

ECCLES. DE DIVID.] Ita omnino codex regius, Sangermanensis, & Colbertinus, itémque vetus editio Moguntina. Antiquus codex Victorinus habebat etiam eandem lectionem; sed postea vox *viris* addita est supra lineam post vocem *ecclesiasticis*. In recentiore Victorino legitur *ecclesiasticis personis*. In antiqua editione Veneta, *ecclesiasticis officiis*. quam lectionem retinuerunt Democharcs & Contius. Verùm vox *officiis* non extat in libris Capitularium, unde sumptum est hoc caput.

16. q. 2. c. 2. Admonemus.

Quatuor paleæ sequentes non extant in antiquis Gratiani exemplaribus Sangermanensi, regio, vetere Victorino, & Colbertino. Habentur tamen in recentiore Victorino, sed absque paleæ nomine.

16. q. 2. c. 6. Sanè quia.

Hæc constitutio condita primùm est anno MXCV. in Concilio Claromontano, dein anno sequenti repetita in Nemausensi. Vide porrò additionem nostram ad caput 31. libri sexti de concordia sacerdotij & imperij, ubi canon iste editus & multùm illustratus est.

CUM ABBAT. CONSENSU] Locus iste aliquam habet difficultatem, adeóque silentio prætereundus non est. Etenim heic tota instituendi Presbyteri auctoritas datur Episcopo, Abbati solus consensus. Et tamen in prima parte constitutionis electio Presbyteri sive collocatio, ut synodi verbis utamur, tribuitur monachis, consensus Episcopo, dum præcipitur ne monachi in parœcialibus Ecclesiis quas tenent absque Episcoporum consilio Presbyteros collocent. Quod prima fronte videtur esse contrarium. Sed controversia isthæc dirimi ita potest si ratio habeatur usus quem in Ecclesiam statim invexit hic canon Claromontanus. Certum quippe est, eodem tempore quo conditus fuit, intellectum de jure præsentationis fuisse quod Abbates deinceps habuerunt in institutione Presbyterorum qui regerent parœciales Ecclesias eorum monasteriis contributas. Testis erit ipsemet Vrbanus auctor conditorque canonis, cujus hæc sunt verba ex epistola ad Hugonem Abbatem Cluniacensem edita in Bibliotheca Cluniacensi pag. 520. *Liceat quoque vobis seu fratribus in Ecclesiis vestris Presbyteros eligere, ita tamen ut ab Episcopis vel ab Episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant.* quæ verba haud ita multò pòst repetita inveniuntur in epistola Paschalis secundi ad eundem Hugonem data pag. 522. Anno deinde MCXI. Lambertus Attrebatensis Episcopus, qui Concilio Claromontano interfuerat, Ecclesiæ beati Petri de Insula concedens altare de Moncellis, hanc cautionem donationi suæ adjecit apud Ferreolum Locrium in Chronico Belgico pag. 268. *Adjicimus etiam ut Ecclesia beati Petri per vos Presbyterum idoneum Episcopo Atrebatensi præsentet, qui ei obedientiam promittat, & de vita sua honestate, sicut canonicum est, promissionem faciat, ac deinde curam in populo de Moncellis gerendam gratis suscipiat.* Biennio pòst Guillelmus Cadurcorum Episcopus statuens in futurum de Ecclesia sancti Stephani Vairiacensis, quæ tenebatur à monachis Tutelensibus, his quæ sequuntur verbis explicavit potestatem Episcopis & Abbatibus datam in canone Claromontano: *Electione & providentia Tutelensis Abbatis & monachorum in sæpe-*

dicta Ecclesia sancti Stephani de Vairiaco sacerdos ponatur; sed nobis præsentetur, à nobis curam suscipiat animarum, nobis obedientiam promittat. Eodem modo canonem postea explicavit Eugenius III. in epistola de privilegiis Majoris monasterij Turonensis data anno MCXLV. *In parochialibus verò Ecclesiis quas tenetis Presbyteros eligatis, quibus, si idonei fuerint, Episcopi parochiæ curam committant; ut ejusmodi sacerdotes de plebis quidem cura Episcopo rationem reddant, vobis autem pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant.* Apertiùs Alexander III. anno MCLXXIX. cùm privilegia confirmaret monasterij Tornodorensis in tomo quarto Galliæ Christianæ pag. 645. *In parochialibus autem Ecclesiis quas tenetis liceat vobis sacerdotes eligere & electos Episcopo repræsentare; quibus, si idonei inventi fuerint, Episcopus &c.* Vnde facilè colligi potest verum esse quod olim observavimus, huic canoni Claromontano imputandam esse originem juris quo hodie utuntur Abbates, quoties sacerdotia vacant quibus animarum cura imminet, quæ ab eorum monasteriis pendent. Destinant enim virum huic ministerio, quem Episcopo præsentant. Tum verò Episcopus eum in sacerdotio instituit, si idoneus repertus fuerit. Rursùm ea ratione sublata quoque est repugnantia quæ esse initio videbatur in verbis canonis Claromontani.

16. q. 2. c. 7. Statuendum.

Omnes libri manuscripti & antiqua editio Moguntina legunt: *Item ex Concilio apud Flaventiam habito.* Veneta verò, *apud Faventiam.* quam lectionem secuti sunt Democharcs, Contius, & Correctores Romani. Certum est autem hoc quoque caput ex Vrbano secundo citari à Gratiano. Itaque mallem legere *apud Placentiam*, cùm manifestum sit nullum apud Faventiam Concilium celebratum esse ab Vrbano. Non extare enim omnes Placentinæ synodi canones colligi potest ex Bertholdo.

16. q. 3. c. 6. Inter memoratos.

Certum est omnia antiqua Gratiani exemplaria & omnes editiones repetere hoc caput ex decretis Innocentij Papæ. Primus Antonius Democharcs admonuit id haberi in ca. 2. Concilij Spalensis. Atque hinc repetit etiam Burchardus. Reprehendit autem hoc

Gratianum Cujacius ad titulum Decretalium de præscriptionibus cap. 9. *Quia indicante.*

Extat hoc caput in prima collectione Decretalium lib. 3. tit. 32. ex Gratiano, ut opinor, descriptum. Et tamen vir clarissimus Philippus Labbeus in tomo decimo Conciliorum pag. 509. existimat Gratianum ista sumpsisse ex collectione Bernardi Papiensis. Sed hanc ejus opinionem uno verbo destruit. Antonius Augustinus in initio præfationis ad antiquas collectiones Decretalium. *Primus post Gratiani collectionem*, inquit, *Bernardus Circa fuit, Papiensis Præpositus, mox Faventinus Episcopus, qui sub eisdem ferè titulis quibus Gregoriana collectio, qua hodie utimur, constat, Pontificum Maximorum epistulas decretales collegit.* Certamen ergo est inter Antonium Augustinum & Philippum Labbeum. 16. q. 7. c. 2. Congregato.

Caput istud Regino lib. 1 cap. 49. citat ex libris Capitularium, ubi extat lib. 5. cap. 46. Burchardo deinde visum illud repetere ex Concilio Mediomatricis, ubi non extat, ne Capitularium auctoritas alicujus apud eum momenti esse videretur. 16. q. 7. c. 7. Decimas.

Correctores Romani non invenerunt fontem istius capitis, quod in fronte dicitur esse Paschalis secundi. Puto autem conditum fuisse anno MCVII. in Concilio Trecensi, cui Paschalis præsedit. Ad hoc verò Concilium pertinere videntur etiam tria capita quæ sequuntur. 16. q. 7. c. 16. Si quis Clericus.

QUOD SI SPRETIS] Ita prorsùs habetur in antiquis Gratiani exemplaribus & in aliquot editionibus Concilij Toletani noni ex quo caput istud descriptum est. In duobus tamen codicibus Vaticanis, ut admonent Correctores Romani, legitur : *Quòd si superstitibus*, quæ lectio melior est. Error ortus ex transpositione literarum. Legendum quippe *prestis* pro *spretis*. Atque ita legitur in vetustissima collectione canonum manuscripta in bibliotheca regia. Immo paulò suprà, pro eo quod & vulgatæ Conciliorum editiones & Gratianus habent *superstites extiterint*, idem vetus codex regius legit *suppreſtes extiterint*, antiqua verò canonum collectio Lugdunensis *subprestes*. Quo loco tamen admonendum est in eadem collectio- 16. q. 7. c. 32. Decernimus.

ne legi paulò pòst, nimirum in loco quem heic emendandum suscepimus, *Quòd si spretis*. Eadem collectio in epistola Innocentij ad Probum de Fortunio & Vrsa legit: *conventúmque secundæ mulieris priore subprestite de divortio ejectæ nullo pactu posse esse legitimum*. In eodem codice Ecclesiæ Lugdunensis lemma canonis quarti Concilij Toletani quinti sic expressum est: *De his qui regnum sibi blandiuntur Rege supreſtite*. Et canonis XVII. Concilij sexti Toletani: *De his qui Rege supreſtite aut sibi aut aliis adfuturum provident regnum*. Apud Marculfum lib. 2. cap 5. pro eo quod editiones habent *subperstes fuerit*, antiquissimus codex regius legit *subpreſtis*. quo etiam modo emendandum est in plerisque Marculfi locis. Ex eodem fonte ortum est ut in eodem codice Lugdunensi, pro *superstitiosum*, quæ vox extat in eodem canone quarto Concilij Toletani quinti, legatur *supreſtitiosum*. Et in epistola Vigilij ad Profuturum Episcopum Bracharensem, in capite primo, pro *superstitione* scriptum est *subpreſtitione* in eodem codice. Adeo facilis est error qui proficiscitur ex transpositione literarum. Contrà, pro eo quod in initio sermonis LXXIX. sancti Ambrosij legitur *& illo spreto atque despecto* in vulgatis editionibus, in vetustissimo sermonum ejusdem Ambrosij codice Ecclesiæ Lugdunensis habetur *& illo spetro atque dispecto*. Prestis ergo, ut ad emendationem nostram tandem redeamus, & supreſtis significant superstitem. Vnde certò colligi debet legendum heic apud Gratianum esse: *Quòd si preſtis eisdem &c.* id est, superstitibus.

16. q. 7. c. 35. Considerandum.

Regino lib. 1. cap. 242. hoc caput adfert ex libris Capitularium, ubi repertum est. Burchardus è libris Capitularium, ut solet, in peregrinum solum transtulit, constitutionem illam referens *ex decretis Gregorij Papæ cap.* v. Vide Franciscum de Roye ad titulum Decretalium de jure patronatus cap. 1. Ceterùm ægrè fero initium istius capitis mutatum esse à Correctoribus Romanis, quamvis mutatum sit in melius. Debuerant enim, quod sæpe dicendum est, emendare Gratianum ad vetera Gratiani exemplaria, emendationes verò ex originalibus, ut vocant, adnotare in

rgine aut in Notis, ut factum fuerat à Democha-
re & Contio.

Istud caput sumptum est ex Reginone lib. 1. cap. 142. ubi extat iisdem omnino verbis; nisi quòd Gratianus, qui ex Burchardo descripsit, post vocem *consensu* addidit *& consilio Episcopi*. Est autem epitome tantùm canonis Triburiensis; quia solenne est Regioni sic referre canones istius Concilij, uti jam observavimus. Vide clarissimum virum Franciscum de Roye ad titulum Decretalium de jure patronatus cap. 2. 15. q. 7. c. 36. Si plures.

Ivo parte 6. Decreti cap. 428 & vetus collectio canonum MS. in bibliotheca regia caput istud aliter referunt quàm Gratianus, & quidem pleniore sensu. In Pannormia edita Basileæ capitis istius ea inscriptio est: *Calix III. Hugoni Trevirensi & Theorico Virilinensi Episcopis*. In editione autem Lovaniensi lib. 3. cap. 183. *Calix III. Hugoni Trevirensi & Theorico Virdunensi Episcopis*. Meliùs in codice Victorino: *Alexander II. Hidoni Tervirensi & Theodorico*. Vbi tamen legendum *Hudone Trevirensi*, ut in Decreto Ivonis & in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ. Vide doctissimum virum Franciscum de Roye in prolegomenis ad tractatum de jure Patronatus cap. 31. 17. q. 2. c. 1. Gonsaldus.

Ista etiam ex Concilio Triburiensi abbreviavit Regino lib. 2. cap. 37. apud quem *immunitate* legitur pro *emunitate*, quæ est lectio Gratiani. Vtraque autem lectio bona est. 17. q. 4. c. 7. Si quis in atrio.

Caput istud ex lege Romana recitat Regino lib. 2. cap. 266. Gratianus heic ex Pœnitentiali Theodori. Sanè inter capitula Theodori edita in tomo septimo Spicilegij Dacheriani ista leguntur in cap. 54. *Pecunia Ecclesiæ furata sive rapta reddatur quadruplum, populari dupliciter*. 17. q. 4. c. 16. Pecania.

Decretum illud Ioannis VIII. extat inter acta Concilij Tricassini secundi & apud Ivonem parte 3. Decreti cap. 98. datum ad Episcopos & alios in Hispania & Gothia provinciis degentes, qui libro Gothicæ legis utebantur. Correctores verò Romani monent eandem epistolam in codice manuscripto datam esse ad Episcopos & Abbates per Narbonensem & 17. q. 4. c. 21. Quisquis.

Hiſpanicas provincias conſtitutos. Quam inſcriptionem ego veriorem puto. Nam iſta decreta eſſe conſtat ad ſuggeſtionem Sigebodi Archiepiſcopi Narbonenſis, cujus auctoritati ſubjecta erat non ſolùm Gallia Narbonenſis, ſed etiam ea citerioris Hiſpaniæ pars quæ citra Rubricatum habitatur, ut alibi diximus. Eadem dicta etiam eſt Gothia per eas tempeſtates, ut ſuprà obſervatum eſt. Hiſpanicam autem provinciam vocat Ioannes eam partem Hiſpaniæ, quia verè erat una ex provinciis Hiſpanicis, licèt tum Francorum imperio pareret. E diverſo Gallia Narbonenſis, cùm in Gothorum Hiſpaniæ Regum poteſtate eſſet, Gallicana provincia ab eis dicebatur.

SACRIL. COMMITTITUR] Hæc non ſunt Ioannis Papæ, ſed Ivonis Carnotenſis aut alicujus vetuſtioris interpretantis legem Ioannis. Iſtud manifeſtum eſt ex verbis Ivonis; qui poſt relatam Pontificis legem, iſta addit: *Huc uſque lex Papæ.* Et mox addit: *Sacrilegium enim committitur &c.*

SI QUIS DOMUM] Iſta & quæ ſequuntur non extant apud Ivonem, ſed in collectione quæ Anſelmo Lucenſi tribuitur lib. 5. cap. 42. ubi dicuntur eſſe Ioannis octavi.

SI QUI MONAST.] Hæc rurſum non extant in loco Ivonis ſuprà relato, licèt extent apud eundem parte 3. Decreti cap. 124. & par. 14. cap. 92. & apud Anſelmum in eodem lib. 5. cap. 36. ubi refertur ex decretis Ioannis Papæ.

In fine epiſtolæ, prout edita eſt in tomis Conciliorum & apud Ivonem, Papa jubet ut decretum iſtud addatur libro legis mundanæ, id eſt, libro legis Gothicæ; ne quis exiſtimet heic agi de libris Capitularium Karoli magni, quia conſtitutionis ejus adversùs ſacrilegos mentio facta eſt paulò ſuprà.

17. q. 4. c. 24. Qui Preſbyterum.

Palea iſta non habetur in antiquis Gratiani exemplaribus quæ nos vidimus, neque in prima editione Moguntina. Extat tamen in veteri editione Veneta. Regino lib. 2. cap. 43. caput iſtud retulit *ex Concilio Mogunciacenſi cap.* 24 & poſt ipſum Burchardus lib. 6. cap. 7. Ceterùm pro eo quod heic & apud Burchardum legitur *cum ſeptuaginta duobus juret*, Regino

habet *cum duodecim juret*. quam lectionem esse præferendam ostendimus ad Reginonem. Attamen Antonius Augustinus in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 30. cap. 10. existimare videtur eam lectionem esse meliorem quam Burchardus & Ivo & Palea habent.

ABSQUE SPE CONIUG.] Vide Notas ad Reginonem pag. 582.

17. q. 4. c. 25. Vt Presbyteri.

Hic canon non extat inter vulgatos canones Concilij Triburiensis. Dubitandum tamen non est de ejus auctoritate, cùm relatus à Reginone sit lib. 1. cap. 333.

17. q. 4. c. 26. Omnes.

Palea hæc non habetur in codice regio, Sangermanensi, antiquo Victorino, neque in Colbertino, neque demum in prima editione Moguntina. Extat autem in recentiore Victorino & in antiqua editione Veneta. Regino lib. 2. cap. 41. caput istud refert ex libris Capitularium. Notavimus autem heic malam fidem & versutiam Burchardi; qui ne videretur aliqua accepisse ex libris Capitularium aut ex Reginone, jugulavit quæ illic dicuntur de Capitulari Karoli Magni. Vnde colligi debet Gratianum ex Burchardo accepisse, cùm caput istud referat prout à Burchardo decurtatum est. Fons autem capitis est liber quintus Capitularium. Scio illud hodie reperiri in quarto, sed malè. Non extat enim in multis antiquis libris Capitularium ab Ansegiso collectorum. Repertum verò est in libro quinto in veteri codice bibliothecæ regiæ, in Colbertino, & in Rivipullensi. Citatur denique ex hoc libro ab Ivone in Pannormiæ lib. 8. cap. 6. *ex libro* v. *Capitular. cap.* xc. (sic enim habetur in Victorino Pannormiæ codice, non autem xx. ut habent editiones) & in antiqua collectione canonum MS. in bibliotheca regia. In regio verò libro Capitularium & in Rivipullensi positum est numero LXXXV. in libro quinto, & numero LXXXVI. in Colbertino. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 32. cap. 2.

VVIREGILDI] Antea legebatur *Renaldus*. Recentior codex Gratiani Victorinus, qui solus ha-

bet hanc paleam, legit *vertaldi*. Rectè autem admonuerunt Correctores Romani legendum heic esse *Vvirigildi*.

17. q. 4. c. 27. Qui Subdiaconum.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus caput istud refertur ex libro quinto Capitularium. Apud Reginonem tamen refertur ex libro 3. cap. 25. ubi etiamnum extat. Puto hinc fluxisse errorem apud Gratianum quòd caput *Omnes Presbyteri*, quod re vera est libri quinti, omissum à librario fuerit per incuriam dum Gratianum exscriberet, & sub ea nihilo minùs inscriptione positum caput *Qui Subdiaconum*. Variæ autem & admodum diversæ sunt lectiones istius capitis in libris veteribus, ut alibi dicemus.

17. q. 4. c. 29. Si quis suadente.

Capitis istius inscriptio hæc est in omnibus antiquis libris & editionibus: *Item Innocentius Papa secundus*. Hæc tantùm. Correctores Romani addiderunt: *in Concilio Lateranensi c. 15*. In Concilio Claromontano ejusdem Innocentij ita legitur: *Item placuit ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegij reatum incurrerit quòd in Clericos vel monachos manus injecerit, anathemati subjaceat.*

Reatum] In regio Gratiani libro, Sangermanensi, & Victorino recentiore, tum etiam in Colbertino, legitur, *sacrilegij vitium incurrerit*. Antiquus Victorinus habet: *Si quis suadente diabolo in Clericum vel monachum &c.* Prima editio Moguntina: *sacrilegij crimen incurrerit*. Veneta: *vitium vel crimen incurrerit*. Admonitio fuit veteris librarij; ut solebant antiquitus duas interdum ejusdem loci varias lectiones simul referre in contextu orationis, lectori arbitrium relinquentes eligendi quam mallet. Quod ita interdum eveniebat. Literarum studiosi cùm legerent librum aliquem, & in eo reperirent lectionem quæ ipsis non satis sana videbatur, nihil mutabant, sed tamen in margine vel supra lineam apponebant lectionem quam putabant esse præferendam. Post hos librarij qui codices illos describebant, cùm putarent omnia describenda esse, etiam varias illas lectiones uno tenore describebant in contextu. Hic est fons plurimorum erratorum in anti-

quis libris. Adferri possent multa exempla hujus moris. Sufficiet tamen unicum exemplum prioris usus ex antiquissimo codice manuscripto monasterij Corbeiensis. In fine commonitorij Vincentij Lirinensis vulgò legitur *immoriantur*. At in codice Corbeiensi scriptum est *immorentur*, & in margine *vel immoriantur*. Exemplum emendationis positæ supra lineam habetur in libro septimo epistolarum sancti Gregorij epist. 64. in qua agitur de causa Primatis Byzaceni. In vetustissimo itaque codice regio scriptum est: *Bizacenus primus fuerat accusatus*. Qui postea libro illo usus est, super voce *primus* addidit *vel primas*. Rursum infrà legitur: *Nunc autem isdem prima*. Heic rursum super voce *prima* repositum est ab eadem manu *vel primas*. Iam si quis hos codices descripsisset, facile erat utramque lectionem reponere in contextu. Itaque ut ad id redeamus unde digressi sumus, quod heic apud Gratianum in editione Veneta legitur *vitium vel crimen incurrerit*, ex more librariorum factum est. Eruditorum deinde est expendere quænam duarum lectionum præferenda sit. Alterutram ergo istarum retinere debuerant Correctores Romani. Dabant enim collectionem Gratiani, non verò decreta Innocentij secundi.

Caput istud in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis & editis inscribitur Ioanni Episcopo Viennensi; nisi quòd in vetere Victorino legitur simpliciter: *Idem Iohanni Episcopo*. Ivo parte 16. Decreti cap. 77. legit *Vivanensi*. Certum est nullum ævo Gelasij primi Episcopum Viennæ fuisse Iohannem. Nondum verò instituta cathedra episcopalis erat apud Iuvavum sive Saltzburgum. Itaque mutanda necessariò est inscriptio istius capitis. 17. q. 4. c. 33. Vxor.

Palea ista non habetur in aliquot vetustis Gratiani exemplaribus, neque in prima editione Moguntina. Extat tamen in antiquo codice Victorino & in antiqua editione Veneta. 17. q. 4. c. 42. Hanc ergo.

Capitis istius hæc inscriptio est in omnibus antiquis Gratiani codicibus & editionibus: *Item Innocentius secundus* Correctores Romani addiderunt: *in Concilio Romæ habito c. 26. & 27.* Non extat au- 18. q. 2. c. 21. Pernicioſam.

tem in Concilio Claromontano Innocentij secundi.

19. q. 1. c. 1. Clerici.

MELIOR. VITAM] Contrà Innocentius primus in epistola ad Victricium dixit clericatum esse meliorem gradum comparatione vitæ monasticæ. Quod etiam sensisse Hieronymum facilè colligi potest ex epistola ad Rusticum. Vide Notas ad Lupum Ferrarienſem pag. 381. & 501.

19. q. 2. c. 2. Duæ sunt.

In antiquis Gratiani exemplaribus & in prima editione Moguntina legitur: *Vnde Vrbanus Papa in Capitulo sancti Ruffi.* Legendum: *Vnde Vrbanus Papa II. Capitulo sancti Ruffi.* Citat finem istius capitis Stephanus Tornacensis in epistola prima. Viri clarissimi Sammarthani fratres ediderunt epistolam ejusdem Vrbani ad Arberium Abbatum & Capitulum sancti Ruffi, sed multùm decurtatam, in qua fortassis extabat decretum istud. Data est ea Tricastri anno MXCVI. XIII. Kalend. Octobris.

19. q. 3. c. 1. Nullus Abbas.

Et hoc quoque caput ex Concilio Eduensi refert Stephanus Tornacensis in epistola mox laudata, iisdem omnino verbis; nisi quòd verbum *trahendo* apud illum deest, fortassis per incuriam editoris. Videtur autem hoc caput esse breviarium tantùm canonis Eduensis, cùm in veteri collectione quæ Anselmo Lucensi tribuitur ista legantur sub finem libri septimi in codice Barberino: *Ex Concilio Eduensi, cui præfuit Hugo Densis Episcopus Romanæ Ecclesiæ Legatus. Clerici communem & canonicam vitam professi in nullo monasterio cucullis induantur, vel in aliis Ecclesiis recipiantur, quandiu vigor canonicus in suis locis perstiterit, nisi petantur & concedantur à Prælatis vel ad regimen animarum vel ad institutionem regularium disciplinarum. Quòd si aliter præsumptum, ad Ecclesias suas omnimodis revocentur. Non enim canonicus ordo monastico ordine in aliquo inferior perhibetur.* Cetèrùm nos alibi, Deo dante, plura dicemus de hoc Eduensi Concilio, edituri etiam Hugonis Diensis Episcopi tractoriam ad Archiepiscopum Turonensem, qua eum suffraganeósque ejus evocat ad synodum in Augustodunensi civitate celebrandam IV. Idus Septembris.

19. q. 3. c. 2. Mandamus.

Refert rursum hoc caput Stephanus Tornacensis in

in eadem epistola prima. Vide Innocentium III. lib. 3. epist. 4.

MONACH. EFFIC.] Vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Monspelienſis ad epistolam illam Innocentij III. quam mox laudavimus adnotat heic apud Gratianum legi in codice manuscripto Collegij Fuxenſis, *monachus efficiatur ſine licentia ſui Abbatis*. Verùm postrema illa verba valde sapiunt glossema imperiti hominis, & non sunt omnino hujus loci. Certè non extant in antiquis Gratiani libris & editionibus.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus, & in prima editione Moguntina, tum etiam apud Ivonem parte 6. Decreti cap. 411. legitur: *Abbati ſancti Ruffi* vel *Rufi*. Sola vetus editio Veneta habet *Rufini*. Malè. Apud Stephanum Tornacenſem in eadem epistola caput istud nullam habet inscriptionem. Illud obiter monendum, verba illa, *ad hæc impetrata venia, ſalva reverentia majorum & gratia*, quæ Italico charactere edita sunt apud Stephanum tanquam è constitutione Vrbani secundi, non esse tamen Vrbani, sed Stephani Tornacenſis, adeóque alio charactere scribenda esse. 19. q. 3. c. 3. Statuimus.

SINE PATRIS] Ita legit Stephanus Tornacenſis, qui sua accepisse videtur ex Gratiano. In aliquot vetustis legitur, *ſine patris & totius congregationis*. Quod melius est. Nam & apud Ivonem habetur, *ſine Abbatis totiúſque congregationis*. In antiqua tamen collectione Rivipullenſi deest conjunctio, *ſine Abbatis totius congregationis*. Sed lemma capiti appositum in eodem codice est istiusmodi: *Quòd nulli Canonico citra licentiam Abbatis & Capituli à claustro diſcedere liceat*. Vide infrà 20. q. 4. cap. 3.

SINE COMM. LIT CAUT.] Hanc formam postea servaverunt Romani Pontifices in privilegiis quæ concesserunt monasteriis. Obvia sunt istarum rerum innumera ferè exempla. Sufficiet unicum ex bulla Lucij III. pro monasterio Montis sancti Quintini, quæ edita est à clarissimo viro Luca Dacherio in Notis ad Guibertum pag. 620. *Prohibemus inſuper ut nulli fratrum veſtrorum, poſt factam in eodem*

loco profesponem, nisi arctioris religionis obtentu, sine Abbatis sui licentia fas sit de eodem loco discedere. Discedentem verò absque communium literarum cautione nullus audeat retinere.

20. q. 1. c. 2. Addidistis. Malè omnino Gratianus hoc caput tribuit Gregorio primo, cùm sit Gregorij tertij. Vide porrò quæ de hoc argumento dicta à nobis sunt in Notis ad Salvianum pag. 420. secundæ editionis.

20. q. 1. c. 4. Monachum. Canon est quadragesimus nonus Concilij Toletani quarti in editione Loaisæ. Habitum autem fuit æra DCLXXI. Constitutionem porrò istam edicto suo postea renovavit Chindasuintus Rex, quod extat in libro tertio legis Vvisigothorum tit. 5. cap. 3.

21. q. 1. c. 3. Qui plures. Verum est istam constitutionem Leoni quarto tribui in vetustis Gratiani libris. Sed tamen ego puto dubitari posse an verè sit Leonis quarti. De negotio porrò de quo heic agitur vide Cujacium ad titulum Decretalium de præbendis & dignitatibus cap. 28.

21. q. 2. c. 4. Sicut. Caput istud apud Reginonem lib. 1. cap. 243. refertur ex Concilio, ut arbitror, Remensi. unde acceperunt Burchardus, Ivo, & Gratianus. Vide Notas ad Lupum Ferrarienſem pag 371.

21. q. 2. c. 5. Præcipimus. Hæc olim erat inscriptio istius capitis apud Gratianum: *Vnde Innocentius secundus.* Correctores Romani addiderunt: *in synodo Romana c.* 10. Rectè, ut opinor; tamenetsi id adnotare debuerant in margine, non verò reponere in contextu Gratiani.

21. q. 4. c. 3. Episcopi. VELATO CAPITE] Argumentum heic sumit Zacharias ex capite undecimo prioris epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios, ubi deturpare caput suum dicitur mulier orans non velato capite. Vide quæ nos infrà adnotamus 33. q. 5. cap. 19.

22. q. 1. c. 12. Habemus. Apud Reginonem lib. 2. cap. 311. hæc tantùm habentur in fronte istius capitis: *Ex Cap.* id est, ex Capitulis Karoli & Ludovici. Burchardus lib. 12. cap. 2. *Ex dictis Hieronymi Presbyteri.* Nolebat enim, uti jam frequenter observavimus, uti auctoritate Capitularium Regum nostrorum. Hinc ergo facilis est emendatio Gratiani.

22. q. 1. c. 17. Prædicandum Ex eodem fortasse fonte orta est falsa inscriptio istius capitis, quod à Burchardo lib. 12. cap. 14. tri-

buitur Eutychiano Papæ, cùm sit Theodulfi Aurelianensis Episcopi, ut rectè monent Correctores Romani. Displicebat enim fortassis homini Germano sive Saxoni appellatio Capitulorum Gallicanorum, ideóque omnia Capitula Regum & Episcoporum nostrorum repudiabat. De decretis porrò Eutychiano tributis plura dicta à nobis sunt in Notis ad Reginonem pag. 579.

Burchardus lib. 12. cap. 25. citat *ex Concilio Hibernensi cap.* 1. Malè apud Stevartium in excerptis è Burchardo pag. 690. *Nivernensi*. Inventum est autem nuper hoc caput in antiquissima collectione canonum Hibernensium, unde editum est in tomo nono Spicilegij Dacheriani pag. 23. Ivo parte 12. Decreti cap. 80. & Gratianus referunt *ex Concilio Elibertano cap.* 1. 22. q. 4. c. 17. Diffinitio.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, apud Reginonem lib. 2. cap. 331. Burchardum lib. 12. cap. 5. in codice Talonij, & Ivonem parte 12. Decreti cap. 62. legitur: *Qui perjurat se &c.* Atque ita semper in antiquis libris Capitularium, ubicunque perjurij mentio est. 22. q. 5. c. 2. Qui pejerat.

Certum est clausulam illam, *sicut Gunebodigni faciunt*, additam Gratiano fuisse à Correctoribus Romanis. Non nego quin ea extet in Capitulari Aquisgranensi, quod est fons istius capitis. Verùm cùm non habeatur in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, addenda illa non erat in contextu orationis, sed in Notis aut in margine. Sanè cùm à Gratiano, sive potiùs ab Ivone, ex quo Gratianus descripsit, caput istud citetur ex libro primo Capitularium, manifestum est ignotam Ivoni & Gratiano fuisse eam clausulam, quia non extat in antiquis libris Ansegisi, quibus addita est à Ioanne Tilio ex constitutionibus, ut puto, Karoli magni editis à Vito Amerbachio. Illud admonere heic debeo, memoriæ lapsu factum esse nuper ut in Notis ad Reginonem pag. 590. scripserim eam clausulam extare in veteri codice MS. Capitularium monasterij Rivipullensis. Memoriæ lapsus fuit, ut dixi. Non animadvertebam enim adnotatum à me esse in libro meo 22. q. 5. c. 14. Parvuli.

edito deesse in codice Rivipullensi XXXI. capita libri primi Capitularium, nimirum à capite XXVII. usque ad LXVI. Gunebodignos porrò diximus ad Reginonem pag. 590. eos esse qui Gundobada lege vivebant.

22. q. 5. c. 16. Honestum.

Duæ antiquitus fuere istius capitis lectiones. Antiqua, quæ sola vera est, qúæque extat in omnibus libris manuscriptis Capitularium, excepto Camberonensi, habet: *in sanctis habet jurare.* Quod Gallicè diceremus: *Qui a à jurer.* Hanc lectionem secutus est Ivo Carnotensis in parte 12. Decreti cap. 33. At in capite 69. ubi idem caput describit ex Burchardo, legit *audet* pro *habet.* Quæ lectio valde mala est. Eam tamen exhibent, ut dixi, vetus Capitularium liber monasterij Camberonensis, Regino lib. 2. cap. 312. Burchardus lib. 12. cap. 12. & Gratianus. Burchardus porrò hanc constitutionem pro sua audacia tribuit Papæ Cornelio, quia nolebat eam laudare ex libris Capitularium. Burchardum secuti sunt Ivo & Gratianus. Præceptum Karoli Calvi pro Ecclesia Cameracensi editum ab Auberto Miræo in Notitia Ecclesiarum Belgij cap. 37. *excepto dumtaxat stipite quo Comitis industria, mallo accersito, justitiam Dei & Regis regaliter habet exhibere.*

23. q. 4. c. 17. Infideles.

Caput istud inventum non est apud Augustinum, sed apud auctorem glossæ ordinariæ, ut monent Correctores Romani. Vide porrò quæ nos de hoc argumento diximus in Notis ad Agobardum pag. 43.

23. q. 4. c. 30. Guilisarius.

GUILISARIUS] Ita omnino libri veteres & editiones Gratiani. Vnus Anselmus Lucensis, seu is qui collectionem quæ Anselmi esse dicitur composuit, in optimo codice MS. sancti Germani Parisiensis & in Barberino habet *Vilisarius.* quod propiùs accedit ad *Belisarius.* Anselmo antiquior Anastasius Bibliothecarius in vita Silverij ferè semper scribit Vilisarium, rarissimè Belisarium, non solùm in editionibus, sed etiam in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ. Ex Belisario itaque factus est Vilisarius, ex Vilisario Guilisarius. Idem Anselmus utrobique habet *palatium Pincis* pro eo quod Gratianus in vetustis codicibus & editionibus con-

stanter habet *palatium Principis*. Pinciani palatij mentio est apud Anastasium in vita Silverij. Quamquam non est magnum operæ pretium de re ista certare, cùm manifestum sit caput istud sumptum esse exsupposititia Silverij Papæ epistola, quam illustrissimus Cardinalis Baronius repudiavit ut falsam.

Sumptum est hoc caput ex Concilio Bracharensi primo. Citatur etiam ab Halitgario lib. 4. cap. 6. Reginone lib. 2. cap. 92. Burchardo lib. 19. cap. 130. & in Additione IV. Capitularium cap. 60. Vide etiam lib. 6. Capitularium cap. 70. & lib. 7. cap. 344. 23. q. 5. c. 12. Placuit.

Ivo parte 10. Decreti cap. 54. & vetus liber Claudij Puteani paulò aliter hoc caput referunt quàm extat apud Gratianum. In veteribus Gratiani libris & editionibus inscribitur Gotifredo vel Godefrido Episcopo Lucano. De sensu autem istius capitis videndus omnino Marca in libro quarto de concordia cap. 14. §. 3. 23. q. 5. c. 47. Excommunicatorum.

Caput istud non reperitur in regio Gratiani codice, neque in Sangermanensi, neque in antiquo Victorino. Habetur tamen in recentiore Victorino & in Colbertino, tum etiam in antiquis editionibus, ubi refertur ex Concilio Guarmaciensi seu Vvormaciensi, ubi hodie legitur. Attamen observandum heic est primum ejus auctorem esse Karolum Magnum, ex cujus Capitularibus citatur à Reginone lib. 1. cap. 24. Vide porrò quæ nos illic adnotavimus pag. 545. Vide etiam Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 34. cap. 1. 23. q. 8. c. 25. Sancitum.

Caput est 18. Concilij Lateranensis ab Innocentio secundo celebrati, ut adnotant Correctores Romani. Repertum etiam est in fine Concilij quod idem Pontifex habuit apud Clarummontem in initiis sui pontificatus. Hæc ibi diversa sunt à vulgatis canonibus synodi Lateranensis. *omnimodis laborandum. ignes apposuerit. Et si in hoc mortuus fuerit.* 23. q. 8. c. 32. Pessimam.

In Hispania] nimirum in servitio Dei, ut loquitur canon, hoc est, pugnando adversùm Sarracenos, qui tum Hispaniæ incubabant, adversùs quos propterea institutum erat bellum sacrum. Hispa-

nicum enim illud iter non erat simplex peregrinatio religionis ergò, ut diximus in Notis ad Concilium Lateranense Callisti secundi.

24. q. 1. c. 4. Audivimus.

Certum est inscriptionem istius capitis corruptam esse in omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis & editis. Rectè autem, ut opinor, apud Ivonem parte 14. Decreti cap. 57. legitur: *Guillelmò Marcioni.* In Pannormiæ editionibus lib. 5. cap. 135. legitur ut apud Gratianum: *Alexander II. Valeriano Episcopo & martyri.* Pro quo in optimo Pannormiæ codice Victorino habetur, *Vvillermo Martinioni.* Quærendum itaque deinceps erit quis fuerit ille Marchio Vvillermus.

24. q. 1. c. 5. Manet.

Hoc caput mirificè, ut solet, illustrat illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis Petrus de Marca in libro quarto de concordia cap. 6. §. 3. & cap. 8. §. 7.

24. q. 2. c. 1. De communione.

Olim duæ fuere istius capitis diversæ editiones. Vna, quæ sola bona est, habuit *remedium non differretur.* Altera, quæ bona non est, negationem adjectam non habet. Illam tamen, præter auctores à nobis alibi laudatos, sequitur vetus canonum collector editus in tomo undecimo Spicilegij Dacheriani lib. 2. cap. 65. itémque Hincmarus in opusculo LV. capitulorum cap. 24. Vide Notas ad Reginonem pag. 557.

24. q. 3. c. 18. Ecce autem.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, itémque apud Democharem & Contium, hæc tantùm habentur in titulo: *Item Prosper.* Correctores Romani addiderunt: *libro secundo de vita contemplativa c. 7.* Certum est tributos olim Prospero fuisse libros tres de vita contemplativa, qui inter ejus opera edi solent, ejúsque nomine à Gratiano passim & ab aliis citari solent. Verùm rectè observatum est ab eruditissimo viro Iacobo Sirmondo in tomo secundo Conciliorum Galliæ pag. 683. illos non esse Prosperi, sed Iuliani Pomerij Abbatis Arelatensis. Vide infrà dist. 1. de pœnit. cap. 31. *Porrò illi.*

24. q. 3. c. 22. Quisquis.

Burchardi editiones lib. 10. cap. 65. referunt hoc caput ex Concilio Tungrensi, in codice autem Taloniço ex Targrensi Concilio. Ivo parte 13. Decreti cap.

55. ex Concilio Tungrensi, ut apud Burchardum editum.

CHRISTUM DOMINI] id est, Episcopum, ut statim dicitur. Res postulare videtur ut heic, captata occasione, explicem locum quendam sancti Hilarij, quòd in ejus interpretatione lapsus esse videatur vir eruditissimus. Verba Hilarij sunt ex libro contra Constantium Augustum jam vita defunctum: *Quot tu deinde in Ecclesiam Tolosanam exercuisti furores? Clerici fustibus cæsi, Diacones plumbo elisi, & in ipsum, ut sanctissimi mecum intelligunt, in ipsum Christum manus missa.* Heic vir doctissimus per Christum intelligit imaginem crucifixi, cùm de Rhodanio Tolosano Episcopo intelligi debeat hic locus, qui propterea missus est in exilium quòd Arrianis esset contrarius, ut omnes norunt paulò versati in historia illorum temporum.

Correctores Romani non indicaverunt fontem istius capitis, quod sumptum est ex Concilio Lateranensi Callisti secundi. 24. q. 3. c. 23. Si quis.

Inscriptio istius capitis hæc est: *Item Vrbanus Papa.* Antonius Augustinus in dialogo quinto libri posterioris scribit vidisse se veterem codicem in quo caput illud adscriptum erat Vrbano secundo. Ego puto esse canonem Concilij Claromontani, cujus epitome à nobis olim edita est cum aliquot canonibus ejusdem synodi. In epitome illa, quæ continet velut narrationem quandam rerum in hac synodo gestarum, ista leguntur in capite octavo: *Item etiam expeditio facta est & constituta est equitum & peditum ad Hierusalem & alias Asiæ Ecclesias à Sarracenorum potestate eruendas. Et in eorum bonis usque ad reditum pax continua promulgata.* Nisi forsitan tuitio ista personarum ecclesiasticarum & peregrinorum distinguatur à tuitione quæ concessa est euntibus ad bellum sacrum. 24. q. 3. c. 24. Paternarum.

In decretis Nicolai secundi, quæ nondum in lucem prodierunt, hæc leguntur in ipso statim initio: *Vt pax & tregua Domini à fidelibus Christianis reperta & laudata, sicut scriptura habentur, ita firmiter teneantur. Infractores verò anathemate feriantur.* Hinc ergo patet caput istud esse Nicolai secundi. Et verò 24. q. 3. c. 25. Illi qui.

non posse esse alterius Nicolai hinc manifestissimè colligitur quòd illic agatur de treuga & pace, quæ istius tantùm Nicolai seculo reperta est, Nicolai primi ævo audita nondum fuerat.

24. q. 3. c. 39. Quidam.

Enumerat in hoc capite Gratianus antiquas hæreticorum sectas, Isidorum, ut ipse fatetur, describens. In nonnullis porrò paragraphis Græcè hodie leguntur aliqua vocabula quæ in antiquis Gratiani exemplaribus Latinè scripta sunt. Primus omnium Demochares Græcos characteres miscuit cum Latinis Gratiani. Ioannes deinde Quintinus, cùm hunc catalogum ex Gratiano descriptum ederet, tum Contius, denique Correctores Romani, Demochari quàm Gratiano similes se esse maluerunt. Ego verò, qui omnino puto Gratianum ne summos quidem Græcæ linguæ apices novisse, censeo retinendam fuisse Latinitatem Gratiani, id est, nihil apud illum emendandum nisi ex fide veterum Gratiani exemplarium, nævos quin etiam erroréque viri retinendos in editione emendatissima.

25. q. 1. c. 7. Contra.

Mirum non est Correctores Romanos non invenisse epistolam ex qua sumptum est hoc caput. Nondum enim exierat in lucem. Eam postea edidit illustrissimus Cardinalis Baronius, & post eum Sirmondus in tomo primo Conciliorum Galliæ. Incipit autem: *Multa contra veterem formam &c.*

26. q. 5. c. 5. Si quis Episc.

Sumptum est istud ex Concilio Toletano quarto. Sed multò melius editus est hic canon apud Reginonem lib. 2. cap. 352.

26. q. 5. c. 12. Episcopi.

Extat apud Reginonem lib. 2. cap. 364. absque inscriptione. Burchardus lib. 10. cap. 1. primus illud tribuit Concilio Ancyrano, prorsùs malè. Vide Antonium Augustinum in dialogo 14. libri prioris & Notas nostras ad Reginonem pag. 592.

27. q. 1. c. 4. Nec aliqua.

Codices regius, Sangermanensis, recentior Victorinus, & antiqua editio Veneta sic habent in fronte istius capitis. *Item Ciprianus ad Pomponium de virginitate.* Antiquus Victorinus, *ad Pompinum.* Prima editio Moguntina, *ad Pompinium.* Malè. Sed omnium pessimè Colbertinus: *Item Ciprianus ad populum.* Rectè alij, *ad Pomponium.* Epistola est sexage-

sima secunda Cypriani. Porrò Democharis & Contius in inscriptione istius capitis retinuerunt *de virginitate*, & in margine admonuerunt legendum esse *de virginibus*. Eam emendationem Romani Correctores reposuerunt in contextu Gratiani.

MANUS OBSTETRICUM] Rigaltius in observatione ad hunc Cypriani locum : *Turpe negotium. & nimiùm curiosis digitis, inter obstetricum manus virginitas occiditur.* Vide Cujacium ad titulum Decretalium de frigidis & maleficiatis cap. 6. *Fraternitatis.*

ZELI DOLOREM] Ita in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus & in aliquot etiam Cypriani editionibus. Rigaltius tamen, fretus auctoritate codicis Veronensis, maluit *zeli livorem*, itaque reposuit in sua editione.

Hujus capitis, prout legitur apud Burchardum & Gratianum, fons & origo est Regino lib. 2. cap. 164. ut ostendimus in præfatione nostra ad Reginonem cap. 17. 27. q. 1. c. 15. Impudicas.

ABRUPTUM] Certum est hanc emendationem esse optimam, & ita etiam legi apud Burchardum lib. 8. cap. 29. in editionibus. Attamen in codice Taloij legitur *arbitrium*. Hinc ergo sumpsit Gratianus, apud quem constanter in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus ante Romanam legitur *arbitrium*. Vnde colligi certò debet ita omnino scripsisse Gratianum, neque mutari debuisse.

Istud caput Gratianus accepisse videtur ex Reginone, cùm non reperiatur apud ceteros collectores Gratiano antiquiores. Apud Reginonem porrò lib. 2. cap. 165. refertur *ex epistola Gregorij Papæ*. Hinc Gratianus simpliciter : *Item Gregorius*. Putavit Democharis inveniisse se hunc locum in epistola nona libri octavi sancti Gregorij ad Marianum sive Marinianum. Verùm rectè monuerunt Correctores Romani caput hoc vel ex alia epistola acceptum esse vel in eo multa esse immutata. Solet autem aliquoties Regino abbreviare veterum loca quæ ab eo referuntur. 27. q. 1. c. 15. Pervenit.

Caput istud non extat in codice Sangermanensi, neque in Colbertino, neque demum in Victorino vete- 27. q. 1. c. 38. Viduæ si.

re. In regio autem, ubi extat, hanc habet inscriptionem: *Item ex Concilio Toletano* 111. *capitulo* x.

27. q. 2. c. 4. Omnis. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 37. cap. 1.

27. q. 2. c. 13. Additur. Istud quoque caput accepisse videtur Gratianus ex Reginone, apud quem extat lib. 2. cap. 107. sub finem.

27. q. 2. c. 18. Lex divinæ. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 4. tit. 2. cap. 1.

24. q. 2. c. 20. Multorum. Iungendum est istud caput cum capite primo distinctionis 31. *Ante triennium.* Abrogat autem Gregorius Pelagij decessoris sui constitutionem de uxoribus Subdiaconorum. Vnde collegit Erasmus in caput septimum epistolæ prioris ad Corinthios Pelagium & Gregorium Romanos Pontifices diversa & invicem pugnantia statuisse de hypodiaconorum abstinentia ab uxoribus.

27. q. 2. c. 21. Agathosa. In prima appendice Reginonis cap. 51. refertur *ex reg. par. 1. cap. 180. ad Adrium Notarium Panormi.* Apud Burchardum lib. 9. cap. 48. *ex reg Greg. ad Adrium Notarium cap.* 80. Sed in codice Talonij legitur: *Ex reg. Gg. ad Adrianum Notarium cap.* LXXX.

27. q. 2. c. 26. Scripsit. Caput istud à Reginone lib. 2. cap. 113. refertur paulò aliter quàm heic habetur expressum. Ex Reginone descripsit Burchardus lib. 9. cap. 49.

27. q. 2. c. 29. Quod autem. Burchardus lib. 9. cap. 40. & post eum Ivo parte 8. Decreti cap. 178. citant ex epistola Gregorij ad Ioannem Ravennatem Episcopum. Nescio autem quo modo factum sit ut Correctores Romani in hoc loco admonuerint in Pannormia exprimi nomen Gregorij junioris. Nam in duabus Pannormiæ editionibus Basileensi & Lovaniensi, in loco à Correctoribus adnotato, id est, lib. 6. cap. 115. ita omnino inscriptum est hoc caput: *Exempla Gregorij ad Iohannem Ravennatem Episcopum.* In Victorino verò Pannormiæ codice: *Ex epistola Gregorij ad Iohannem Ravennatem Episcopum.* Fieri potest ut decepti illi fuerint inscriptione capitis 78. octavæ partis Decreti ejusdem Ivonis, quæ ita habet: *Gregorius junior Bonifacio Episcopo. Quod proposuisti &c.* Gratianus heic retulit ex

epistola Gregorij ad Venerium Episcopum Calaritanum. Vtrique malè. Est enim ex epistola Rhabani ad Heribaldum Episcopum Autisiodorensem, ut ostendimus nuper in capite undecimo præfationis nostræ ad eandem epistolam. Ex epistola porrò illa citat Regino lib. 2. cap. 242. Vide infrà 33. q. 1. c. 1. *Quòd autem.*

27. q. 2. c. 30. Qui dormierit.

Regino lib. 2. cap. 215. refert hoc caput *ex Concilio ad Vermeriam temporibus Pippini*, in quo invenum est. Mos autem fuit Burchardo mutare utplurimùm inscriptiones capitum quæ descripsit ex Reginone. Itaque lib. 17. cap. 3. istud retulit *ex Concilio Aurelianensi cap.* 6. in editis, *cap.* VIII. in codice Tolonico. Burchardum secuti sunt, ut solent, Ivo & Gratianus.

27. q. 2. c. 32. Si quis sponsam.

Regino lib. 2. cap. 217. istud quoque caput refert ex Concilio apud Vermeriam temporibus Pippini, ubi hodie non extat, sed in Compendiensi. Fieri potest ut canones horum Conciliorum in eodem libro descripti fuerint, sic ut Vermeriense, quod tempore prius erat, priore loco descriptum esset, Compendiense sequeretur, Reginonem verò non semper intentum fuisse ad distinctionem harum synodorum. Fieri etiam potest ut ea tempestate extarent canones multò plures Concilij Vermeriensis quàm nunc extent, eos porrò fortean dein repetitos in Compendiensi. Burchardus & post eum alij referunt ex Concilio Triburiensi.

27. q. 2. c. 34. Statutum est.

Regino lib. 2. cap. 156. laudat hunc locum ex libro primo Capitularium, ubi extat. Burchardus, cui Capitularium Regum nostrorum auctoritas in fastidium versa erat, citavit ex Concilio Toletano, ubi non extat. Vide Notas Correctorum Romanorum.

27. q. 2. c. 51. Duobus modis.

Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 4. tit. 4. cap. 1.

28. q. 1. c. 17. Si quis Iudaicæ.

Caput hoc in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus citatur *ex Concilio Vrbanensi* vel *Vrbenensi*. In veteri collectione canonum quæ fuit Claudij Puteani, *ex Concilio Vrbenensi* VI. Cùm ergo hæc constitutio reperiatur in canone sexto Concilij Arvernensis, mihi dubium non est quin hinc emendanda sit inscriptio istius capitis.

28. q. 2. c. 2. Si infidelis.

Citat hoc caput Innocentius III. lib. 2. epist. 50. ad Episcopum Ferrarienſem, ex qua ſumptum eſt caput *Quanto* de divortiis.

29. q. 2. c. 4. Si quis ingenuus.

Regino lib. 2. cap. 119. citat etiam ex Concilio Vermerienſi, ubi extat. Sed apud ipſum, uti nec in Concilio ipſo, non extat ſequens clauſula, quæ videtur eſſe tantùm interpretatio ſuperioris partis. *Si autem ancillam eam ſcierat, & collaudaverat, prout legitimam eam habeat.* Solus Burchardus habet hanc clauſulam. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de divortiis cap. 1.

29. q. 2. c. 7. Perlatum.

Refertur à Reginone lib. 2. cap. 203. ubi deſunt hæ duæ voces, *quæſitum eſt*, quas Romani Correctores abeſſe ſcribunt à ceteris collectoribus præter Magiſtrum ſententiarum.

30. q. 1. c. 1. Pervenit.

Vide Cujacium ad titulum Decretalium de cognatione ſpirituali cap. 4 *Maritum.*

30. q. 1. c. 2. Si quis filiaſtr.

Regino lib. 2. cap. 218 citat ex Concilio ad Vermeriam. In fine verò hæc adduntur: *Similiter & muliet.*

30. q. 1. c. 5. De eo quod.

Apud Reginonem lib. 2. cap. 196. hoc caput adſcribitur Rhabano in epiſtola ad Heribaldum, unde ſumptum eſſe & corruptum à Burchardo pluribus oſtenſum eſt in capite decimo præfationis noſtræ ad eam epiſtolam.

30. q. 1. c. 7. Ad limina.

In omnibus vetuſtis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur *Limozinæ* vel *Lemozinæ*, niſi quòd prima editio Moguntina habet *Lemoviſine.* Vetus quoque codex monaſterij Rivipullenſis & Anſelmus lib. 10. cap. 30. legunt *Lemozinæ.* Citat hoc caput Stephanus Tornacenſis in epiſtola quinta, ex Gratiano, ut veriſimile eſt. Ceterùm Anſelmus Lemovicenſis Epiſcopus, ad quem ſcripta eſt epiſtola illa, ſynodum ſuam plenam habuit Lemovicas civitate anno DCCCXCVII. ordinationis ſuæ anno XXVIII. ut patet ex charta edita à clariſſimo viro Chriſtophoro Iuſtello in probationibus hiſtoriæ Vicecomitum Turennenſium pag. 14. Vnde colligitur factum illum fuiſſe Epiſcopum anno DCCCLXIX. Sanè in Chartulario Eccleſiæ Lemovicenſis extat quædam charta Frotarij Militis data anno DCCCLXXI Indictione IV. regnante Hlodovico Rege filio Karoli Regis

in Equitanorum regno anno v. in qua Anſelmus Epiſcopus nominatur.

Epiſtolam Zachariæ Romani Pontificis ad Theodorum Epiſcopum Ticinenſem, cujus major pars heic & apud ceteros collectores habetur, nos edidimus integram in appendice actorum veterum quæ adjecta eſt poſt Notas ad Reginonem. 30. q. 3. c. 2. Pitacium.

Suprà 1. q. 5. cap. 2. *Eos qui.* monuimus hanc epiſtolam verè ſcriptam videri ad Vitalem Preſbyterum Brixienſem, tamenetſi nonnulli antiqui codices Brivenſem vocent. 30. q. 3. c. 4. Super quibus.

Correctores Romani 30. q. 3. c. 5. adnotant epiſtolam Paſchalis ſecundi ex qua ſumptum eſt hoc caput haberi integram in collectione Anſelmi Lucenſis lib. 10. cap. 34. Quod verum eſt. Nam extat in codice Barberino. Sed deeſt in libro vetere monaſterij ſancti Germani de Pratis. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de cognatione ſpirituali cap. 4. *Maritum.* 30. q. 4. c. 5. Poſt uxoris.

Sumptum eſt hoc caput ex eadem Vrbani ſecundi epiſtola ex qua diximus ſumpta eſſe caput *Eos qui.* 1. q. 5. c. 2. & caput *Super quibus.* 30. q. 3. c. 4. 30. q. 4. c. 6. Quòd autem.

Refertur hic canon à Reginone lib. 2. cap. 153. Vide porrò quæ ad explicationem ejus nos illic diximus pag. 585. & 657. 30. q. 5. c. 5. Sponſus.

PARANYMPHIS] Paranymphi ſunt (ut ait Cujacius ad titulum Decretalium de clandeſtina deſponſatione) qui adſident novæ nuptæ, donec eam ſacerdoti benedicendam obtulerint, & deduxerint in domum viri. Quæ tamen omnia ſi non intervenerint, non ideo matrimonium ullum vitium incurrit.

Correctores Romani adnotant apud Auguſtinum, unde ſumptum eſt hoc caput, legi: *fieri verum connubium non poteſt.* Atque hanc lectionem adversùs Gratianum confirmat Cujacius ad titulum Decretalium de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium cap. 1. 31. q. 1. c. 2. Denique.

Capitis iſtius inſcriptio in codice Sangermanenſi hæc eſt: *Vnde in Concilio apud Alpheum habito Rege ſtatutum eſt cap.* VI. In regio & in recentiore Victorino: *Vnde in Concilio apud Alpheum habito præſente CorradoRege ſtatutum eſt capitulo* VI. In Victorino 31. q. 1. c. 3. Illud verò.

vetere : *Vnde in Conciliis apud Alpheum habitis præſ. R. Corrado ſtatutum eſt cap.* VI. In Colbertino: *Vnde in Conciliis apud Alſeuum habitis præſ. Corrado Rege ſtatutum eſt cap.* VII. Prima editio Moguntina: *Vnde in Conciliis apud Alphenum habitis præſente Conrado ſtatutum eſt cap.* VI. Veneta : *Vnde in Concilio apud Alpheſum habito præſente Rege Corrado ſtatutum eſt capitulo* VI. Burchardus lib. 9. cap. 34. in codice Dionyſij Talonij : *Ex Concilio apud Altheum habito præſente Kuonrado Rege cap.* V. Ita etiam Ivo parte 8. Decreti cap. 211. & in Pannormia lib. 7. cap. 10. In veteri tamen collectione canonum MS. in bibliotheca regia hoc decretum tribuitur Concilio Auguſtidunenſi.

NOLUMUS ENIM] Hanc regulam poſtea in uſum miſerunt Romani Pontifices Hadrianus IV. & Alexander III. in cauſa Gaufredi Comitis Ruſcinonenſis, qui adulteram pertinaciter retinebat, uti adnotatum à nobis eſt in appendice ſynopſis Conciliorum R. P. Philippi Labbei pag. 383.

31. *q.* 1. *c.* 4. Relatum. Regino lib. 2. cap. 237. caput iſtud ſimpliciter retulit ex Concilio Triburienſi. Adnotant verò Correctores Romani ſententiam hujus capituli haberi in canone quadrageſimo ejuſdem Concilij, ſed cùm Burchardus hoc citet ex capite tertio, videri alterius eſſe quod deſideratur. Non animadverterunt viri doctiſſimi magnam in hoc fuiſſe audaciam Burchardi, qui & capitum inſcriptiones perſæpe propria temeritate mutavit, & numeros de ſuo addidit. Nam quod ad caput iſtud ſpectat, manifeſtum eſt deſcriptum à Burchardo fuiſſe ex Reginone, qui canonem Triburienſem, ut ſolet, in compendium redegit.

31. *q.* 1. *c.* 6. Si qua mulier. Hæc palea non habetur in antiquis Gratiani exemplaribus regio, vetere Victorino, & Colbertino. Extat tamen in Sangermanenſi cum hoc titulo : *Item ex Concilio apud Vermerias.* In recentiore Victorino: *Item ex Concilio Elibertano apud Vermerias.* Quo etiam modo legitur in antiqua editione Veneta, tum etiam apud Democharem & Contium, qui in margine adnotavit caput iſtud deeſſe in veteri codice. In prima editione Moguntina hæc tantùm habentur : *Ex Con-*

tilio Elibertano. Vide Reginonem lib. 2. cap. 118. & Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 4. tit. 20. cap. 1. Adnotavit in hoc loco Antonius Augustinus caput istud alicubi peti ex Concilio apud Vermerias, alibi verò sumptum dici ex Concilio apud Vvarmaciam vel Vvormaciam. Cujacius verò ad titulum Decretalium de divortiis cap. 1. volens tollere difficultatem quæ heic remorari posset lectores istarum rerum curiosos, admonuit nihil referre Vermeriam scribas an Vvormatiam. utroque enim nomine eundem locum significari. Præstat autem ponere ipsa ejus verba: *Et ut hoc admoneam, quo cœcutiunt multi, nihil refert Vermeriam scribas an Vormatiam. Vtroque nomine Vangionum civitas cognominatur, ubi & Pippinum habuisse Concilium ferè omnes historici narrant.* Verum est Vvormatiam esse civitatem Vangionum, in Germania superiori, vulgò hodie *Vvorms.* At Vermeria, sive Vermeriacum, fuit palatium regium in Gallia, haud procul Compendio, in diœcesi Suessionensi. Hodie locus ille vocatur *Verberie* & contractiùs *Verberi.* Itaque magnum discrimen est inter hæc duo nomina, immensum spatium inter hæc duo loca.

In omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis & editis, etiam apud Democharem, Contium, & Correctores Romanos, hæc tantùm habentur in titulo istius capitis: *Item judicium Vrbani Papæ.* Ivo parte 8. Decreti cap. 23. & in Pannormia lib. 6. cap. 108. addit: *de filia Iordani Principis.* Quo etiam modo legitur in veteri canonum collectione MS. in bibliotheca regia. 31. q. 2. c. 1. Si verum.

RODELI] Apud Ivonem & in veteri illa collectione bibliothecæ regiæ scriptum diserte est *Ridelli.* quæ est vera lectio. Notissimum per eas tempestates nomen in Gallia Narbonensi.

OSTENDITUR] Ibidem utrobique legitur *ostendetur.* quod melius est.

In libris Gratiani regio & Sangermanensi, tum etiam in prima editione Moguntina, legitur: *Item Sanctio Regi Aragonum.* Alij codices manuscripti & editio Veneta, *Sacrato* vel *Sacratio.* Ivo parte 8. De- 31. q. 2. c. 3. De neptis.

creti cap. 24. *Satino.* In Pannormia edita Lovanij lib. 6. cap. 109. *Item Sanctio Regi Aragonum.* In editione Sebastiani Brant: *Item Sacratio Regi Aragonum.* In Victorino verò Pannormiæ codice: *Vrbis Sancio Aragonum.* Refert hoc caput Hildebertus in epistola 42. sed absque titulo. Rectè in libro Cæsarauguſtano, ut admonet Antonius Augustinus in dialogo quinto libris prioris, scriptum erat: *Vrbanus secundus sanctio Regi Aragonum.*

32. q. 7. c. 8. Fidelis, ALTERUM DUXIT] Ita vetus editio Veneta. Sed prima Moguntina, itémque veteres codices Sangermanensis, Colbertinus, & recentior Victorinus habent *ducit.* Vbi glossa interlinearis in antiquo codice Victorino ponit: *id est, ducere vult.* Editiones Democharis & Contij habent: *& alterum maritum duxit.* Codex regius & antiquior Victorinus: *& adulteram ducit.* quam lectionem, tamenetsi prorsùs malam, censeo retinendam apud Gratianum, quia is accepisse videtur ex Burchardo. Burchardus autem ex Reginone fideliter exscripserat, uti diximus in capite XVI. præfationis nostræ ad Reginonem. Nam apud Burchardum lib. 9. cap. 63. legitur *adulterum ducit* in editionibus & in libro Talonico.

32. q. 7. c. 19. Quædam. Probabile est istum canonem esse Concilij Compendiensis quod sub Pippino Rege celebratum est, licèt aliis illic verbis referatur. Hæc sunt verba canonis octavi compendiensis apud Sirmondum: *Si quis homo habet mulierem legitimam, & frater ejus adulteravit cum ea, ille frater vel illa femina qui adulterium perpetrarunt, interim quo vivunt nunquam habeant conjugium. Ille cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet accipere aliam.* Breviùs Regino lib. 2. cap. 216. *Si quis cum uxore fratris sui dormierit, adulter & mœcha diebus vitæ suæ absque conjugio maneant. Ille verò cui uxor fuit, si vult, aliam conjugem accipiat.* Burchardus lib. 17. cap. 17. refert ex Concilio Triburiensi cap 12. iisdem omnino verbis quibus à Reginone relatum erat ex Concilio Vermeriensi.

32. q. 7. c. 20. Si quis viduam. Primus omnium Rhabanus caput istud citavit ex Concilio Mogontiensi in epistola ad Heribaldum cap.

cap. 20. ex quo Regino descripsit lib. 2. cap. 197. Repertum est in eodem capite 26. Concilij Moguntini sub Rhabano ex quo ipse Rhabanus citat. Vide rursum Reginonem lib. 2. cap. 225.

Extat in Concilio Vermerienſi cap. 12. & hinc apud Reginonem lib. 2. cap. 215. 32. q. 7. c. 21. Qui dormierit.

Certum est caput istud à Gratiano tributum esse Zachariæ Romano Pontifici. id quod & antiqua exemplaria manuscripta & veteres editiones probant. Vnde verò ita acceperit Gratianus, non video. Burchardus enim lib. 19. cap. 5. citat ex Pœnitentiali Romano. quod magis placet. Nam & stilus ipse non est epistolaris, & præterea non convenit dignitati pontificiæ. 32. q. 7. c. 23. Concubuisti,

CONCUBUISTI] *scienter*, ut ait glossa interlinearis in antiquis Gratiani exemplaribus Victorino vetere & Sangermanensi. Quamquam quid opus erat istud adnotare, cùm fieri vix possit ut quis insciens sorori commisceatur uxoris suæ? Quod si tamen contingeret, scelus verò illud nullo is unquam tempore intelligeret à se perpetratum, hauddubiè pœna teneri non posset quæ adversùs incestos istiusmodi statuta est in hoc capite. Non habent enim latentia peccata vindictam, ut ait Innocentius primus in epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum 32. q. 5. c. 23. *Christiana religio.*

NUBAT CUI VELIT] *post mortem mariti*, inquit auctor glossæ. Sed hanc interpretationem apud Petrum Lombardum lib. 4. Sententiar. dist. 34. reprehendit Erasmus in caput septimum epistolæ prioris ad Corinthios, ubi fusè disputat an unquam divortium licitum esse possit inter Christianos. Non dubitabat autem Erasmus quin hæc constitutio verè esset Zachariæ. Itaque ea persuasione imbutus, ex eo etiam refellit Magistrum sententiarum quòd probabile non sit Zachariam prætermissurum fuisse eam interpretationem suæ constitutionis si ea illi mens fuisset quam ipsi affingit Lombardus. *An rem tanti momenti*, inquit, *taciturus erat Pontifex si sensisset quod hic interpretatur? Quid si maritus superstes sit uxori? Nonne jam parerit hac in parte pœna nocentis & in-*

nocentis ? Sanè si quis verba istius capitis expendat paulò diligentiùs, facilè animadvertet glossam esse contrariam sententiæ quæ illic posita est. Nam femina cujus maritus mortuus est, quæ ideo soluta est à lege viri, privilegio non indiget ut alium ducat. Isthic verò damnatione viri sublato matrimonio, uxori potestas fit in aliam familiam nubendi, quod marito interdicitur. Vnde colligi certò debet regulam hanc esse diversam à generali lege connubiorum, quæ nemo unquam dubitavit quin licita essent inter liberos, id est, inter eos qui matrimonij vinculis adstricti non essent, adeóque auctorem istius capitis non approbaturum hodie, si reviviscceret, interpretationem quam huic loco adhibuerunt Petrus Lombardus & Bartholomæus Brixiensis.

32. q. 7. c. 24. Si quis. Canon est synodi Vermeriensis, ex qua refertur à Reginone lib. 2. cap. 214.

32. q. 7. c. 25. Hi qui. Caput istud sumptum est ex libro secundo sententiarum Pauli in interpretatione, ut etiam observatum est à Correctoribus Romanis. Regino lib. 2. cap. 130. laudaverat ex lege Romana, quod idem est. Vide porrò Notas nostras ad Reginonem pag. 585.

33. q. 1. c. 1. Quòd autem. In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur : *Vnde Gregorius scribit Iohanni Ravennati Archiepiscopo.* Apud Burchardum lib. 9. cap. 40. in codice Dionysij Talonij : *Ex epistola Gregorij ad sanctum Iohannem Ravennatem Episcopum.* In vulgatis editionibus & apud Ivonem parte 8. Decreti cap. 178. & in Pannormia lib. 6. cap. 115. *Ex epistola Gregorij ad Ioannem Ravennatem Episcopum.* His itaque auctoritatibus adducti Correctores Romani vocem *Episcopo* reposuerunt apud Gratianum, cùm antea legeretur *Archiepiscopo.* Regino lib. 2. cap. 242. rectè citat ex epistola Rhabani ad Heribaldum, ut ostensum est in capite undecimo præfationis nostræ ad epistolam illam. Vide suprà 27. q. 2. cap. 29 *Quod autem.*

33. q. 1. c. 2. Requisisti. Burchardus lib. 9. cap. 44. citat simpliciter ex epistola Gregorij. Fons non est inventus. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de conditionibus appositis cap. ult.

Apud Reginonem lib. 2. cap. 244. caput istud refertur absque inscriptione. Burchardus lib. 9. cap. 42. citat ex Concilio apud Compendium cap. 20. Hodie est in Concilio Compendiensi sub Pippino cap. 17. 33. q. 1. c. 3. Si quis accepit.

Vir clarissimus Iacobus Sirmondus in capite tertio Antirrhetici secundi adversùs Petrum Aurelium admonet caput istud sumptum esse ex epistola Hincmari ad Aquitanos, quæ nunc edita est in synodo Tullensi apud Tusiacum tomo tertio Conciliorum Galliæ pag. 173. 33. q. 1. c. 4. Si per sortiarias.

NUNQUAM INIUSTO] In epistola ipsa tomo 3. Concilior. Galliæ pag. 184. legitur: *sed nunquam vel nusquam injusto.* Heic meminisse oportet observationis à nobis non uno loco factæ, veteres librarios, cùm non satis intelligerent quænam lectio præferenda esset ex duabus quæ illis occurrebant inter exscribendum, utramque utplurimùm posuisse, eo pacto lectori arbitrium integrum relinquentes sequendi quam mallet. Vide Notas ad Salvianum pag. 403. secundæ editionis. Itaque legendum simpliciter, *nunquam injusto.* Quæ lectio sola habetur in libro 6. Pannormiæ cap. 117. tam in editis quàm in codice Victorino.

Revocanda ad memoriam hoc loco sunt quæ suprà observavimus dist. 27. cap. 6. *Quòd interrogasti.* & 7. q. 1. cap. 4. *Pontifices.* nimirum epistolam istam Nicolai primi datam esse ad Adaluvinum Iuvavensem sive Saltzburgensem Archiepiscopum. 33. q. 2. c. 6. Inter hæc.

In omnibus antiquis Ivonis & Gratiani exemplaribus & editionibus inscriptio istius capitis hæc est: *Item Stephanus V. Astulpho.* Burchardus tamen lib. 6. cap. 40. refert ex epistola Paulini Forojulienſis Episcopi ad Heistulfum. Itaque nuper ea sub nomine ejusdem Paulini edita est in tomo septimo Conciliorum pag. 1064. ex manuscripto codice Remensi. Neque dubium est quin ea sit vera ac genuina epistolæ istius inscriptio, cùm diserta illius mentio extet apud Flodoardum lib. 3. hist. Remensis cap. 21. in commemoratione epistolarum ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo scriptarum. quod observatum 33. q. 2. c. 8. Admonere.

est in margine epistolæ in tomo septimo Conciliorum. Verba sunt Flodoardi: *Vulfado Biturigensi Archiepiscopo, de his qui inconsultè uxores suas interficiunt, sententiam Paulini, quam sibi mitti petierat, scribens.*

33. q. 2. c. 15. Latorem. Inscriptio istius capitis hæc est in libro Sangermanensi: *Item Nicholaus Papa Rodulpho Episcopo sanctæ Argentæ retensis.* In regio autem sic: *Item Nicholaus Papa Radulfo Episcopo sanctæ Argentæ retensis Ecclesiæ.* Sed heic primò scriptum erat *tretensis*. postea prima litera *t* jugulata est. Antiquus codex Victorinus: *Item Nicholaus Papa Rodulpho Episcopo sanctæ argentæ utensis.* Recentior: *sanctæ argentæ erecensis Episcopo.* Colbertinus: *sanctæ argentæ recensis.* Antiquæ editiones Moguntina & Veneta: *sanctæ Ecclesiæ argentæ retensis.* Burchardus, ex quo alij sumpsisse videntur, disertè scriptum habet lib. 6. cap. 46. *sanctæ argentæ retensis Ecclesiæ*, etiam in libro Dionysij Talonij. Anselmus Lucensis lib. 11. cap. 43. in codice sancti Germani, *argentæ remensis*, in Barberino, *retensis.* Testatur quoque Beatus Rhenanus in admonitione de Tertulliani dogmatis eandem lectionem reperiri in omnibus quos ipse vidit Gratiani codicibus, non excusis modò, verùm etiam manuscriptis, reperisse se porrò epistolam illam in veteri codice adjunctam constitutionibus provincialis synodi quam Magonciaci habuit Rabanus Archiepiscopus. Itaque in editione Rhenani sic legitur: *Nicolaus &c. Ratholdo Episcopo sanctæ Argentoratensis Ecclesiæ.* Quo postea modo apud Gratianum emendarunt Democharis & Contius. Rectè porrò Democharis, Contius, & Correctores Romani heic Ratholdi nomen reposuerunt pro Radulphi. Nam & ita eum nominat Burchardus, & ea ipsa tempestate vivebat Radoldus Argentoratensis seu Argentinensis Episcopus, ut fidem facit Iacobus Vvymphelingius in catalogo Episcoporum Argentinensium his verbis: *Radoldus, vir mirifica sapientia præditus, episcopatum vehementer auxit, & diversis operibus loca sacra exornavit. Sedit annis octo. Obiit in Domino anno octingentesimo & septuagesimo octa-*

vo. Falsus est tamen hoc loco Vvymphelingius; omninóque necesse est Radoldum mortuum esse ante annum DCCCLXXVIII. si verum est ipsum sedisse annis tantùm octo. Vel si mortuus est anno illo, sedisse dicendus est annis saltem duodecim. Nam Nicolaus primus, qui epistolam istam scripsisse dicitur ad Ratholdum, obiit anno DCCCLXVII. exeunte.

DE POENITENTIA. *Di.* 1. *c.* 23. Perniciosè.

Primus, ut arbitror, hunc locum protulit Regino lib. 2. cap. 49. *ex dictis Ferrandi Diaconi.* Postea Burchardus lib. 6. cap. 31. eundem locum referens, accepisse se ait ex dictis Augustini. Quem secuti sunt, non solùm Anselmus, Ivo, & Gratianus, sed etiam Alexander III. in epistola XXII. earum quæ à Sirmondo editæ sunt cum epistolis Petri Cellensis. Cùm autem putaret vir doctissimus Ioannes Molinæus hunc locum verè Augustini esse, neque tamen illum inveniret apud Augustinum, ista addidit in margine apud Ivonem parte 10. Decreti cap. 160. *Decerpta hæc videntur ex enarrat. psal. ad versſ. Dormivi conturbatus, & proximos.* Quoniam verò locus ille Augustini non sufficiebat ad constituendam integram sententiam istius capitis, Correctores Romani huc descenderunt ut existimarent ex variis Augustini locis confectum esse. Hæc sunt eorum verba: *Caput hoc collectum est ex variis locis B. Augustini, videlicet ex lib. 3. de consensu Evangelistarum, c. 13. explanatione psal. 56. & 63. & tract. 114. & 115. in Ioannem.* Quantum laboris ac tædij ademisset Regino viris doctissimis, si tum editus ille fuisset!

Di. 1. *c.* 31. Porrò illi.

Iam antea adnotatum est suprà 24. q. 3. c. 18. *Ecce autem.* libros de vita contemplativa non esse Prosperi, sed Iuliani Pomerij. Qua observatione utendum etiam est in hoc capitè & in capite *Charitas.* dist. 2. de pœnit.

Di. 1. *c.* 32. Faciliùs.

VOLUNT. EX COMM.] Elegans est locus Cæsarij Episcopi Arelatensis ex homilia prima inter eas quæ à nobis editæ sunt: *Et hoc attendite, fratres, quòd qui pœnitentiam petit, excommunicari se supplicat.* Vide reliqua.

Di. 1. *c.* 44. Agite.

ORET P. V. ECCL.] Vide Cæsarium Arelatensem in eadem homilia prima.

Di. 2. c. 15. Quia radix. Di. 5. c. 2. Qualitas.

Vide eundem Cæsarium in homilia nona & decima de nostris.

Vide Rhabanum in epistola ad Heribaldum cap. 15. & Reginonem lib. 1. cap. 313.

33. q. 5. c. 31 Mulier.

Caput istud sumptum est ex canone tertio Concilij Compendiensis sub Pippino Rege. In Concilio ipso legitur : *Mulier si sine commeatu viri sui velum in caput miserit, si viro placuerit, recipiat eam iterum ad conjugium.* In libro autem quinto Capitularium cap. 16. *Mulier si sine comiato viri sui &c.* Latini veteres commeatum dicebant pro facultate, potestate, licentia, sed utplurimùm in rebus bellicis. Annibal ad milites apud Livium lib. 21. *Si quis vestrum suos invisere vult, commeatum do.* Apud Suetonium in vita Tiberij accipitur pro potestate abeundi : *Requiem laborum prætendens, commeatum petiit.* Et paulò pòst: *Facta tandem abeundi potestate.* Inutile esset ista probare pluribus testimoniis. Postea, labente bona Latinitate, vocabulum illud usurpatum est simpliciter pro potestate seu permissione. Concilium Vernense sub Pippino cap. 9. & lib. 5. Capitularium cap. 42. *Si quis Presbyter ab Episcopo suo degradatus vel excommunicatus fuerit, & ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine commeatu* (in Capitularibus, *comiatu*) *facere præsumpserit &c.* Eddo Argentinensis Episcopus apud Franciscum Guillimannum in Episcopis Argentinensibus pag. 107. *Ideo placuit nobis per commeatum Domini nostri Pippini glorioſi Regis.* Hinc factum ut Regino, cùm describere statuisset hunc canonem Compendiensem in sua collectione, ita scripserit lib. 2. cap. 126. *Mulier si sine licentia mariti sui &c.* Reginonem secutus est Burchardus lib. 9. cap. 47. Falluntur enim vehementer aut fallunt qui scribunt Burchardum in hoc loco usum esse voce *comiato.* Nam & in editionibus & in codice Taloniço diserte scriptum est *licentia.* Hinc rursum factum ut duæ deinceps fuerint istius canonis editiones; una vetus, quam librarij retinuerunt in libris Capitularium; alia recens ac nova, quam collectores canonum & decretorum post Reginonem usurpare maluerunt. Ivo Carnotensis Episcopus utramque posuit in

suo Decreto, antiquam parte 9. cap. 124. ex libro quinto Capitularium, aliam par. 8. cap. 185. *ex Concilio*, ut ipse ait, *apud Compendium cap.* VI. sed re vera ex Burchardo, apud quem hæc ipsa verba habentur. Gratianus novam tantùm lectionem retinuit, quæ tum apertior videbatur. Et tamen non multò ante Gratianum vox *comiatus* adhuc in usu erat haud procul Gratiani patria, nimirum apud Langobardos. Extant enim in Chartulario monasterij Casaurensis acta vetera, in quibus sic habetur: *In Dei nomine. Ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi anno* MXLVII. *mense Ianuario, Indictione* XV. *Ideóque ego Raimundo filius quondam Grimaldi, & ego Beledruda filia quondam Coni, quæ sum sociata in conjugio Raimundo viro meo, consentiente mihi Beledruda ipso jamdicto Raimundo viro meo, & ego Raimundus comiatum dedi & consentiens sum tibi jamdictæ Beledrudæ conjugi meæ.* Et paulò pòst: *Declaro enim quia statutum est in ipso Capitulari Domni Imperatoris, & Domnus Karolus Imperator instituit in suo Capitulari, ut quæcumque femina libera Langobarda per commiatum viri sui potestatem habeat de rebus suis vendere aut donare.* Item in aliis actis biennio pòst confectis. *Ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi anno* MXLVIIII. *mense Octobri, Indictione* III. *Ideo constat me Tederadam filiam quondam Luponi, conjugem Iohannis. Declaro enim quia Domnus Karolus Imperator constituit in suo Capitulare ut quæque femina potestatem habeat per commiatum viri sui vendere & donare, & cuicumque venderet, firmum & stabile permaneret. Et ego Iohannes filius quondam Transarici commiatum dedi tibi Tederadæ conjugi meæ.* Acta ista descripta sunt ex vetustissimo Chartulario monasterij Casaurensis, quod mecum pro humanitate sua & amicitia nostra communicavit vir clarissimus & literati orbis fulgentissimum sidus Antonius Vion Herovallius.

Hoc caput Regino lib. 2. cap. 125. retulit ex Concilio Vermerensi, ubi extat. Postea Burchardus lib. 9. cap. 46. Remense Concilium pro Vermerensi, ut solet, substituit. Burchardum descripsit Ivo parte 8.

33. q. 5. c. 10. Qui uxorem.

Decreti cap. 184. & in Pannormia lib. 6. cap. 82. Verba autem illa, *sed similiter convertatur*, quæ in fine capitis habentur apud Burchardum, Ivonem, & Gratianum, non extant in Concilio Vermerienſi neque apud Reginonem. Addita autem illa fuiſſe puto à Burchardo, ne fortean accepiſſe videri poſſet à Reginone.

33. q. 5. c. 19. Mulier.

Heic ſanctus Ambroſius dicit mulierem debere velare caput, quia non eſt imago Dei. Addit deinde, illam, ut oſtendatur ſubjecta, & quia prævaricatio per illam inchoata eſt, hoc ſigni debere habere ut in Eccleſia, propter reverentiam epiſcopalem, non habeat caput liberum, ſed velamine tectum. Interpretatio eſt capitis undecimi prioris epiſtolæ Pauli ad Corinthios, ubi ſcriptum eſt debere mulierem poteſtatem, id eſt, velum ſignum ſubjectionis & prævaricationis, habere ſupra caput propter angelos, id eſt, ut vulgò interpretantur, propter Epiſcopos & Preſbyteros, qui angeli Dei vocantur. Quò reſpexiſſe etiam videtur Tertullianus in libro de corona militis, ubi ſcribit feminam nudo capite videri non debere propter angelos. Explicandus autem heic obiter eſt, data occaſione, canon XLII. Aunacharij Epiſcopi Auguſtodunenſis, in quo ſic vulgò legitur: *Vt unaquæque mulier, quando communicat, dominicalem ſuum habeat. Quòd ſi qua non habuerit, uſque in alium diem dominicum non communicet.* Baronius, Binius, Voſſius, alij, exiſtimant heic per dominicalem intelligi linteolum illud cujus mentio eſt apud Auguſtinum in ſermone 252. de tempore, ſive ille Auguſtini ſit, ſive alius cujuſpiam. *Mulieres*, inquit, *nitidum exhibent linteolum ubi corpus Chriſti accipiant.* Sed ego ſemper aliter ſenſi, omninóque ita exiſtimavi, dominicale illud fuiſſe genus quoddam velaminis abſque quo non licebat feminis accedere ad ſacram communionem. Atque ut in ea etiamnum ſententia perſtem facit antiqua collectio canonum Andegavenſis, in qua canon ille ſic ad verbum legitur tanquam ex Concilio Matiſconenſi. *Si mulier communicans dominicale ſuum ſuper caput ſuum non habuerit, uſque ad alium diem dominicum non communicet.* Quare fixum ac conſtans

esse debet dominicale fuisse velum quo mulieres operiebantur eo tempore quo accedebant ad eucharistiam percipiendam. Vide suprà 21. q. 4. cap. 3. *Episcopi.*

PROPTER REV. EPISC.] Sic explicat Ambrosius locum Pauli. Sic etiam multi alij explicarunt. Attamen Iacobus Gothofredus, pro eo quod apud D. Paulum legitur διὰ τοὺς ἀγγέλους, legendum esse putat διὰ τὸ ἀγελαίους, id est, *propter greges juvenum.* Sed hanc interpretationem rejicit vir clarissimus Franciscus de Roye in libro secundo de juribus honorificis in Ecclesia cap. 14. licèt emendationem Græci textus non omnino improbet. Ego arbitror retinendam esse antiquitatem, explodendam novitatem, juxta monitum Vincentij Lirinensis.

Inscriptio istius capitis hæc est in codicibus manuscriptis: *Item Innocentius Papa.* Vel: *Item Innocentius Probo.* Quo etiam modo legitur apud Ivonem in Decreto. In Pannormiæ editionibus legitur: *Innocentius Papa Probo Episcopo.* Sed in optimo libro Victorino hæc tantùm habentur: *Innocentius Probo.* quod melius est. Itaque malè in prima editione Moguntina legitur: *Item Innocentius Papa Probo Episcopo.* Melius Veneta: *Item Innocentius Papa Probo.* 34. q. 1. c. 2. Cùm in captiu.

CUM CONSTITUTA] Legendum *Restituta* auctoritate omnium veterum Gratiani librorum & editionum. Hoc enim est proprium nomen mulieris quam Fortunius duxerat cùm Vrsa tenebatur in captivitate, ut adnotatum etiam est supra lineam in codicibus Sangermanensi & antiquo Victorino. Restituta quoque vocatur in collectione decretorum Innocentij primi apud Dionysium Exiguum, tam in veteribus libris quàm in editionibus, & apud Ivonem parte 8. Decreti cap. 245. & in Pannormia lib. 6. cap. 89. denique in antiqua collectione canonum Lugdunensi & in vetustissima item collectione monasterij Rivipullensis.

Caput istud sumptum est ex canone nono Concilij Vermerienſis, non à Gratiano quidem, sed ab Ivone, qui primus illum in compendium redegisse videtur quemadmodum extat apud Gratianum. Regino integrum illum retulit lib. 2. cap. 124. itémque Burchardus lib. 9. cap. 54. Sed apud Burchardum de- 34. q. 1. c. 4. Si quis nec.

sunt verba sequentia: *aut seniorem suum, cui fidem & fidelitatem promissam mentiri non potest, secutus fuerit &c.* Postrema porrò pars canonis non extat apud Ivonem neque apud Gratianum.

34. q. 1. c. 6. In lectum.

Regino lib. 2. cap. 206. Burchardus lib. 17. cap. 4. & Pœnitentiale Romanum Antonij Augustini tit. 3. cap. 5. citant hoc caput ex Concilio Triburiensi, ubi non extat. Sed meminisse heic oportet observationis quam protulimus in capite decimo præfationis ad Reginonem, nimirum plurimos canones Concilij Triburiensis à Reginone relatos qui nunc non extant, non ideo tamen rejiciendos, ob auctoritatem & perspectam bonam fidem hominis.

34. q. 1. c. 7. Ego dixi.

Palea ista non extat in antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis. Habetur autem in vetustis editionibus Moguntina & Veneta. Et certè additum Gratiano fuisse istud caput vel ex eo manifestè colligitur quòd inscriptio sequentis capitis ita omnino habet etiam in editionibus quæ habent hanc paleam: *Vnde in eodem Concilio legitur.* Quo etiam modo editum est à Demochare & Contio. Correctores Romani addiderunt vocem *Triburiensi.*

34. q. 1. c. 8. Si quis cum duabus.

Regino lib. 2. cap. 208. & post eum Burchardus lib. 17. cap. 5. citant ex Concilio Triburiensi. Neque dubium esse potest, post testimonium Reginonis, quia verè sit illius Concilij.

35. q. 2. c. 11. Extraordinaria.

Certum est antiquas editiones & aliquot manuscripta Gratiani exemplaria sic habere in titulo istius capitis: *Ait enim Vrbanus Papa secundus Gratiano Neapolitano Episcopo.* Sed in vetere Victorino est, *Gratiano apolitano Episcopo.* Sic etiam primò scriptum fuit in codice regio; sed postea supra lineam inter has voces *Gratiano* & *apolitano* addita est syllaba *ne.* unde factum est *Gratiano neapolitano.* Vitiosa lectio, quam rectè emendarunt Correctores Romani. Nam scriptam esse epistolam ad Hugonem Episcopum Gratianopolitanum testis est omni exceptione major Ivo Carnotensis Episcopus in epistola 232. uti illic observavit Franciscus Iuretus vir eruditissimus.

35. q. 2. c. 14. Sanè consang.

In Colbertino Gratiani codice sic habet inscriptio

thius capitis: *Item Ysidorus*. In recentiori Victorino: *Item Ysidorus ex Concilio Maticensis provinciæ*. In regio: *Item Ysidorus ex Concilio Maticensi*. In Sangermanensi & Victorino vetere: *Idem Ysidorus vel ex Concilio Maticensi*. Prima editio Moguntina: *Item Isidorus ex Concilio Maticensi*. Veneta: *Item Isidorus ex Concilio Macien si*. quo etiam modo editum est à Demochare & Contio. Correctores Romani: *Item Isidorus ex Concilio Mancicnsi*. Ivo parte 9. Decreti cap. 44. *Ex Concilio Mantiecno* sive *Manticeno*. In Panormia lib. 7. cap. 69. *Ex Concilio Macienſi*. Male, cùm legendum sit *Maticensi* auctoritate libri Victorini. Sanè cùm Ivo ista acceperit ex Burchardo, non aliter legere potuit quàm scriptum ab illo fuit. At Burchardus lib. 7. cap. 8. scripsit: *Ex Concilio Matiscensi cap.* 3. Non reperitur tamen inter canones Conciliorum Matisconensium. Sed in capite 29. Concilij quod apud Cabillonem habitum est ævo Caroli Magni eadem ferme verba habentur quæ in illo capite leguntur.

Refertur hoc in exceptionibus Egberti cap. 130. & in prima appendice Reginonis cap. 30. tum etiam apud Burchardum lib. 7. cap. 19. & 20. Ex illo porrò collegit Cujacius ad titulum Decretalium de consanguinitate & affinitate cap. 5. affinitatem quæ contracta est inter cognatos viri & uxorem, tum etiam inter cognatos uxoris & virum, morte alterius conjugis non perimi in superstite. 35. q. 2. c. 20. Quædam lex.

Regino lib. 2. cap. 226. rectè citat ex Concilio Moguntiacensi. Burchardus lib. 7. cap. 18. ex Concilio Cabillonensi, non rectè. Ex Burchardo descripserunt Ivo & Gratianus. Hinc origo falsæ inscriptionis istius capitis. Vox *inventum* non habetur apud Reginonem. 35. q. 2. c. 21. Contradicimus.

Caput istud à Gratiano refertur ex Isidoro. In margine verò Democharis ista addidit: *Isido. c. 6. li. 9. Etym.* Secuta est deinde editio Antonij Contij, ubi addita est in margine nota Democharis; & consequenter diverso charactere Contius ita hæc scripsit: *Non extat in his quæ vidi Isidori exemplaribus vel impressis vel manuscriptis*. Deinde lib. 1. lectionum sub- 35. q. 5. c. 2. Series.

secivarum juris civilis cap. 10. ait valde mirari se extitisse quosdam tantæ falsitatis confirmatores, qui & librum & caput quo apud Isidorum invenirentur notaverunt ad marginem librorum. *quibus*, inquit, *in tam aperto mendacio nulla venia suffragatur*. Videndus heic Antonius Augustinus in dialogo sexto libri prioris & in dialogo decimo libri posterioris.

35. q. 5. c. 6. Primo gradu.

Rursum heic excandescit in eodem capite lectionum suarum Contius adversùs eos qui Pauli I. C. verbis heic abusi sunt sub nomine Isidori, cùm non extent apud Isidorum. Conqueritur autem præterea fraudem factam fuisse in contaminandis Pauli verbis & cum barbari cujusdam interpretis ineptiis commiscendis. Itaque caput istud omnino emendandum est ex libro quarto Sententiarum Pauli tit. XI. Vide iterum eundem Augustinum in dialogis mox laudatis.

35. q. 6. c. 2. Videtur.

Palea ista non extat in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, Colbertino, ac vetere Victorino. Habetur tamen in recentiore Victorino & in antiquis editionibus Moguntina & Veneta. Vide Cujacium ad titulum Decretalium *Qui matrimonium accusare possint* cap. 3.

35. q. 6. c. 3. Notificamus.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus caput istud inscriptum est Richario vel Richardo Episcopo Ianuensi. Codex Sangermanensis Ricarium Genuensem vocat. Vetus collectio canonum Rivipullensis : *Ciriacho Genuensi Episcopo*. Ivo parte 9. Decreti cap. 33. *Cyriaco*. In Pannormia edita lib. 7. cap. 85. *Richardo Ianuensi Episcopo*. In codice Victorino : *Cariaco Genuensi Episcopo*. Legendum *Cyriaco*, ut monet Ferdinandus Vghellus tomo quarto Italiæ sacræ pag. 1164. ubi adnotat Cyriacum factum fuisse Episcopum Ianuensem circa annum MXC. eámque Ecclesiam rexisse annis quatuor.

DEF. UXORIS] Omnes antiqui libri & veteres editiones, etiam apud Democharem & Contium, habent : *duo ex propinquioribus jam defuncta uxoris vel viva ejus qui accusatur hanc &c.*

35. q. 6. c. 4. Si duo.

Caput istud sumptum esse dicitur *ex Concilio Vrba-*

ni Papæ *habito in Apulia*, id est, ex Concilio apud Melphiam, vel ex Concilio apud Troiam.

Regino lib. 2. cap. 231. fons est & origo istius capitis. Sed verba illa, *& istæ sanctorum reliquiæ*, quæ sequuntur apud Burchardum, Ivonem, & Gratianum, non extant apud Reginonem. 35. q. 6. c. 5. De parentela.

Et istud quoque caput Burchardus sumpsit ex Reginone lib. 2. cap. 232. 35. q. 6. c. 6. Istud.

Nuper in Notis ad Reginonem pag. 579. diximus decretum istud non esse Eutychiani Papæ, sed formalem fuisse secundùm quam Episcopi interrogare debebant laicos in unaquaque parœcia. 35. q. 6. c. 7. Episcopus.

IN SYNODO] id est, in conventu habendo in Ecclesia cùm Episcopus ad illam accedet visitaturus. Vide Notas ad Reginonem pag. 578. Addendus vero nunc est insignis locus ex vita sancti Vdalrici Episcopi Augustani ab incerto sed antiquo auctore conscripta, qui in capite sexto tractans qualiter diœcesim visitavit, ita ait: *Ad loca autem illa cùm pervenisset ubi Concilia sua denunciata fuerant, cum Evangelio & aqua benedicta & sonantibus campanis & tanta honorificentia susceptus est quantum illis qui ibi congregati sunt virtus suppetebat. Statim verò Missa celebrata in Concilio considens populum ante se vocari fecit, prudentioréque & veraciores sacramento interrogare præcepit quæ in illa parochia emendatione digna fuissent & contra jura Christianitatis perpetrata peccata, ut ei veraci relatu nota fierent facta.* Vide reliqua.

SYNODALEM CAUSAM] id est, quæ ad Episcopi cognitionem pertineat, quæ judicari debeat in synodo Episcopi cum consilio Clericorum laicorum, ut patet ex laudata vita sancti Vdalrici. Vide Notas ad Reginonem pag. 579.

Caput istud extat apud Reginonem lib 2. cap. 233. sed paulò diversum ab editione Gratiani. Itaque Gratianus descripsit ex Burchardo lib 7. cap. 27. 35. q. 6. c. 9. Ab isto die.

Et hoc quoque caput ex Reginonis lib. 2. cap. 240. descripsit Burchardus lib. 9. cap. 81 ex quo postea aut ex Ivone Gratianus accepit. Ceterùm fons istorum omnium est Regino. 35. q. 6. c. 11. Ab isto die.

35. q. 10. c. 1. Fraternitatis.

Epistola ista inventa non est inter epistolas sancti Gregorij, nec ullus ætate illius fuit Venerius Episcopus Calaritanus. Non reperi porrò illam apud auctorem ullum Anselmo Lucensi Episcopo antiquiorem, apud quem extat lib. 10. cap. 35. in codice MS. sancti Germani Parisiensis, ubi manu antiqua scriptum est in margine: *Apostricum caput.* Apud Anselmum verò, post ultima verba à Gratiano relata, hæc adduntur in fine epistolæ. *Sed ne Domini constitutio vel jussio cassaretur, & ne tellus à proprio vacaret ornatu, Spiritu sancto reflante, posuit terminum constitutio sancta sanctorum. Ait autem præceptio sancta divina: Crescite & multiplicamini & replete terram. Posuit enim Dominus terminos causis, ætatibus seculi finem statuit, compaginibus membrorum hominum posuit numerum. Lex Ecclesiæ regulâque sanctorum cognatio mortalium agnatis atque affinibus terminum reciprocationis instituit. Quod valde metuendum exterminare sancimus; quique exterminare non metuit, catholicus non esse convincitur.* Miror autem epistolam istam non fuisse insertam amplissimæ collectioni Conciliorum, cùm illic in tomo quinto pag. 1578. edita sit alia suppositia sancti Gregorij epistola ad Felicem Episcopum Messanensem. Facilè enim conjungi ambæ poterant.

36. q. 2. c. 8. Tria legitima.

Caput istud adjectum vidi libris Capitularium in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ, in altero Oratorij Trecensis, & in tertio nostro. Vtrobique autem hanc habet inscriptionem: *De legitimis conjugiis. Hieronymus ait. Tria legitima &c.* Regino quoque lib. 2. cap. 107. istud ipsum refert ex dictis Hieronymi.

De consecratione. Di. 1. c. 9. Nemo Ecclesiam.

Ostensa donatione] id est, dote basilicæ per donationem cartulæ confirmata, ut loquitur Concilium Bracharense secundum apud Reginonem lib. 1. cap. 23. Debet autem dos illa sive donatio gestis municipalibus alligari, ut docet sanctus Gregorius lib. 2. Indict. 10. epist. 9. *Percepta primitus donatione legitima gestisque municipalibus alligata.* Donationem illam dotis nomine expressit Zacharias Papa in epistola ad Pippinum Majorem Domus cap. 15. si modò vocula *tot*, quæ nullum heic sensum habet, mutetur in vocem *dote*, ut par est. Hæc sunt enim

verba Zachariæ Gregorium describentis & interpretantis: *Percepta primitus donatione legitima, id est, præstante tot, gestísque municipalibus allegata.* Nemo enim non videt legendum illic esse *præstante dote.* Vide Notas ad Reginonem pag. 543.

Certum est hoc caput apud Gratianum citari ex Concilio Meldensi cap. VIII. cùm tamen non sit Concilij Meldensis canon, sed ex libro primo Capitularium. Error hinc ortus quòd Regino lib. 1. cap. 18. citat canonem 63. Meldensem, deinde adfert absque inscriptione constitutionem de Ecclesiis antiquitus constitutis, tum caput istud, cui hæc verba superscripsit: *Cap.* LXV. Hinc Burchardus lib. 3. cap. 10. collegit caput istud sumptum esse ex canone LXV. Concilij Meldensis. Sic enim legendum haud dubiè apud Burchardum, non verò XLV. ut perperam editum est. Scio ita haberi in codice Burchardi Talonico. Sed nihilo minùs existimo ita rescribendum esse. *Di.* 1. *c.* 18. Ecclesiæ.

Hoc caput apud Burchardum lib. 3. cap. 62. citatur simpliciter ex epistola Vigilij Papæ. In antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus scriptum est: *Item Iulius Papa.* In editionibus Democharis & Contij: *Item Iulianus Papa.* Sed in margine ista adnotata sunt: *Vigilius Pa. ad Eutherum.* Ex quo Correctores Romani effecerunt inscriptionem istius capitis hoc modo: *Item Vigilius Papa ad Eutherium epist.* 1. *c.* 4. Re vera est Vigilij, ut rectè observat Antonius Augustinus in dialogo decimoquarto libri prioris, verùm non ex epistola ad Eutherium, sed ex ea quæ ad Profuturum Bracharensem Episcopum scripta est. Vide quæ suprà adnotata à nobis sunt 2. q. 6. c. 12. *Qui se scit.* *Di.* 1. *c.* 24. De fabrica.

SANCTUARIA] id est, reliquias sanctorum, sacra pignora. Vide clarissimum virum Antonium Dadinum Alteserram in Notis ad epistolas sancti Gregorij lib. 1. epist. 48. pag. 53.

LIGNEI SACERDOTES] In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus ita legitur hic locus: *Quondam sacerdotes non aureis calicibus sed ligneis utebantur. Zephirinus* XVI. *Romanus Episcopus patenis vitreis Missas celebrari constituit. Tunc* *Di.* 1. *c.* 44. Vasa.

deinde Vrbanus XVIII. (in aliis, XVII.) *Papa omnia misteria sacra fecit argentea.* Fatendum tamen est in Concilio Triburiensi, unde sumptum est hoc caput, tum apud Burchardum lib. 3. cap. 223. & apud Ivonem parte 3. Decreti cap. 282. ita legi quo modo editum hodie est apud Gratianum. Refert autem hunc locum illustrissimus Cardinalis Baronius ad annum DCCLV. demum addens pulcherrimam hanc gravissimámque sententiam, de Bonifacio Episcopo Moguntino loquens: *Ita sanctus, cùm sui temporis sacerdotum ignaviam deploraret.* Ita etiam Petrus Damiani, vir sanctissimus, in opusculo 31. ad Episcopos Cardinales cap. 6. *Nunquam certè vidisse me memini pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contectos sicut erant qui ab Esculano atque Tranensi gestabantur Episcopis. Vterque tamen, alter in Apulis finibus, Nicolao præsidente, alter in Lateranensi Ecclesia coram Alexandro, Romanis scilicet Pontificibus, sunt dejecti. Nec eis profuit quòd Pontifices lignei auratis usi sunt baculis, dum sacerdotij meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritualium norma virtutum, & non micantia margarita vel gemmæ sed mores aurei deceant sacerdotem.* Hinc vetus adagium sive carmen inter Francos, à Vido Coquillio relatum in historia Nivernensi.

Au temps passé du siecle d'or,
Crosse de bois, Evesque d'or.
Maintenant changent les lois,
Crosse d'or, Evesque de bois.

Di. 1. c. 45. Vt calix.

Regino lib. 1. cap. 67. citavit hoc caput ex Concilio Remensi. Vide illic Notas nostras.

Di. 1. c. 61. Hoc quoque.

Rectè adnotatum est ab eminentis doctrinæ dignitatísque viro Ioanne Cardinale Bona lib. 1. rer. liturgicar. cap. 13. caput istud falsò tribui Papæ Soteri aut Anacleto. Addit deinde vir doctissimus optimam ac verissimam observationem, nimirum Missas solitarias istorum Pontificum ævo non fuisse in Ecclesiæ usu, húncque abusum nonnisi post aliquot secula inter monachos irrepsisse. Vide Reginonem lib. 1. cap.

cap. 191. & Burchardum lib. 3. cap. 68.

Canon iſte conditus fuit in Concilio Agathenſi, cui præfuit ſanctus Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis. Extat inter ejus homilias à nobis editas una, quæ octava eſt, valde pia, docta, & elegans, de hoc argumento, digna profectò quæ his noſtris temporibus relegatur in conventu Chriſtianorum. *Di. 1. c. 64. Miſſas.*

VBI EPISCOPUS] In aliquot antiquis Gratiani exemplaribus legitur: *Et ſi ibi Epiſcopus non fuerit, benedictionem accipiat à ſacerdote.* Antiqua collectio canonum Lugdunenſis & Regino lib. 1. cap. 196. habent: *Et ubi Epiſcopus fuerit, benedictionem accipiat ſacerdotis*, id eſt, Epiſcopi. Nam ſi Epiſcopus non adeſt, populus benedictionem ejus accipere non poteſt. Poſtea cùm ſacerdotis vocabulum vulgò uſurpatum eſt ad ſignificandum Preſbyterum, rarò ad ſignificandum Epiſcopum, putarunt qui poſtea ſecuti ſunt negationem in hoc loco deeſſe, adeóque ſubſtituendam. Et tamen canon 26. Concilij primi Aurelianenſis, unde ſumptum eſt hoc caput, non habet negationem illam; quæ non extat etiam in Additione quarta Capitular. cap. 42. ubi deſcriptus eſt idem canon. Immo Concilium tertium Aurelianenſe cap. 29. apertè oſtendit heic per ſacerdotem intelligi Epiſcopum, adeóque tollendam eſſe negationem. Hæc ſunt verba canonis: *De Miſſis nullus laicorum antè diſcedat quàm dominica dicatur oratio. Et ſi Epiſcopus præſens fuerit, ejus benedictio expectetur.* Refertur autem iiſdem omnino verbis iſte canon lib. 7. Capitular. cap. 201. Primus ergo negationem adjecit Burchardus lib. 3. cap. 29. *Et ſi Epiſcopus defuerit &c.* Fatendum tamen eſt eam lectionem reperiri in antiqua collectione canonum edita in tomo undecimo Spicilegij Dacheriani, non quidem in codice noſtro, ex quo edita eſt, ſed in regio & Trecenſi, ubi ſic legitur lib. 2. cap. 95. *Et ubi Epiſcopus defuerit, benedictionem accipiant ſacerdotis.* Verùm admonendum illud eſt, in codice Trecenſi, quod multò antiquius eſt regio, ſcriptum primò fuiſſe *fuerit*, poſtea ſyllabam *de* additam fuiſſe ſupra lineam ante verbum *fuerit*. In antiquiſſimo codice Lugdunenſi, ubi caput iſtud poſitum *Di. 1. c. 65. Cùm ad celebr.*

est in libro tertio, legitur simpliciter *fuerit*, ut in nostro. Vide Concilium Agathense can. 47.

Di. 1. *c.* 66. Qui die.

Adversùs impiam illam perditissimorum hominum dementiam, quæ in hoc capite notatur, validè declamat Salvianus Presbyter Massilienſis in libro sexto de gubernatione. Vide Notas nostras pag. 402. secundæ editionis.

Di. 1. *c.* 71. Invenimus.

Iam alij observaverunt hanc epistolam non posse esse Pelagij secundi. Quod confirmari potest ex eo quòd scripta dicitur ad Episcopos Germaniarum atque Galliarum. Nam hæc conjungendarum harum nationum ratio in usu non fuit nisi sub secunda Regum nostrorum stirpe, cùm regiones illæ Francorum imperio parerent. Tum verò nihil vulgatius. Acta sancti Albani martyris edita ab Henrico Canisio in tomo quinto lectionis antiquæ pag. 660. aiunt Bonifacio concessum à Gregorio & Zacharia Romanis Pontificibus fuisse *per totam Galliam Germaniámque in omnibus Conciliis & ecclesiasticis conventibus apostolica vice fungi.* Præfatio Concilij apud Theodonis villam habiti anno DCCCXXI. apud Burchardum lib. 6. cap. 5. *cum nuntiis reliquorum Episcoporum Galliæ & Germaniæ.* Decretum Ludovici Pij eodem anno editum in conventu Triburiensi apud eundem Burchardum ibidem : *à primatibus totius Germaniæ & Galliæ.* Infrà : *penè omnes Galliæ & Germaniæ principes subscripserunt.* Gregorius IV. epistolam de Aldrico Episcopo Cenomanensi scripsit ad Episcopos per Galliam & Germaniam constitutos. Idem in epistola ad Episcopos regni Francorum apud Agobardum to. 2. pag. 59. *Hæc idcirco dicimus ut noveritis non vos posse dividere Ecclesiam Gallicanam & Germanicam ab unitate tunicæ quæ subjacet capicio.* Acta sancti Friderici Episcopi Trajectensis apud Surium die XVIII. Iulij : *Porrò Germaniæ & Galliæ Episcopi comperta cæde immerita beati Friderici &c.* Vvalafridus Strabo cap. 28. de rebus ecclesiasticis : *Triduanæ autem Litaniæ, quæ proximis diebus ante Ascensionem Domini annuè per omnes Galliarum vel Germaniæ Ecclesias celebrantur, in Galliis sunt constitutæ.* Nicolaus primus in epistola LXIV. ad Theut-

bergam Reginam in tomo tertio Conciliorum Galliæ pag. 321. *omnes religiosi & clari Galliarum & Germaniæ viri.* Idem in epistola LXVII. ad Lotharium ibidem pag. 327. *Siquidem cùm ad relationem omnium penè qui ex Gallicanis & Germanicis regionibus Romam orationis gratia veniunt &c.* Flodoardus lib. 3. hist. Rem. cap. 21. in commemoratione epistolarum ab Hincmaro Archiepiscopo scriptarum: *Respondit etiam ad capitula quædam regni Francorum Episcopis à Iohanne Papa transmissa de privilegiis sedium per capitula VII. quoniam idem Papa nisus fuerat Ansegisum Sennensem Episcopum Primatem constituere, ut apostolica vice per Gallias & Germanias frueretur.* Sumptum illud ex epistola Ioannis VIII. ad Episcopos per Gallias & Germanias constitutos, quibus scribit se Ansegiso Sennensis Ecclesiæ Præsuli concessisse ut vice sua in ecclesiasticis negotiis exercendis frueretur per Gallias & Germanias. Responsio itaque Hincmari, cujus meminit Flodoardus, est epistola ipsius sexta in editione Busæi, XLIV. in editione Sirmondi. In capite autem XX. conjunguntur etiam, alia occasione, Germanicæ & Gallicanæ nationes: *In Germanicis & Belgicis ac Gallicanis provinciis omnis religio Christianitatis penè fuit abolita.* Belgicam provinciam miscuit Hincmarus in gratiam suæ provinciæ, quæ una erat ex Belgicis. Ante tempora igitur Bonifacij Moguntini Galliarum & Germaniarum Episcopi non solent conjungi. Vnde certò colligitur epistolam illam Pelagij confictam esse ævo Karolino. Videndus autem eminentissimus Cardinalis Ioannes Bona lib. 2. rer. liturgicar. cap. 10.

Regino lib. 1. cap. 194. citat simpliciter *ex definitione ecclesiasticorum dogmatum*, absque nomine auctoris. Heic apud Gratianum tribuitur Augustino, alibi Gennadio Massilienſi. Vide Notas Geverharti Elmenhorstij ad caput 53. editionis ejusdem libri ab eo procuratæ sub nomine Gennadij. Vide etiam epistolam quadragesimam Hincmari Remensis Archiepiscopi. *Di. 2. c. 13. Quotidie.*

Constitutio ista non extat inter vulgatos canones Synodi Eliberitanæ, videturque esse ex veteri Pœni- *Di. 2. c. 21. Omnis.*

tentiali aut ex canone quodam Concilij Hibernensis, quòd sæpe canones Hibernici laudentur in veteribus libris tanquam ex Concilio Eliberitano. Regino, qui lib. 1. cap. 331. primam partem istius capitis habet, retulit absque nomine auctoris. Burchardus lib. 5. cap. 22. *ex Concilio Elibertano cap.* 3. Idem lib. 19. cap. 155. refert decretum quoddam de eadem materia ex Concilio Elibertano, quod Regino lib. 1. cap. 328. tribuit Concilio Helibernensi, in veteribus verò libris, ut adnotavimus nuper ad hunc locum Reginonis, dicitur esse Concilij Hibernensis.

Di. 2. *c.* 28. Si per ebrietatem.

Caput istud in veteribus Gratiani libris citatur ex Pœnitentiali Bedæ Presbyteri. Extat autem in capite duodecimo libri de remediis peccatorum, qui vulgò Bedæ tribuitur. Regino lib. 1. cap. 149. non adfert nomen auctoris ex quo ipse descripsit. Burchardus lib. 5. cap. 46. refert ex Pœnitentiali Bedæ.

Di. 2. *c.* 29. Pervenit.

Heic & apud Reginonem lib. 1. cap. 120. & apud Burchardum lib. 5. cap. 30. citatur ex Concilio Remensi. Vide Notas ad Reginonem pag. 554.

AD DEFER. INFIRMIS] Vide rursum Notas ad Reginonem pag. 537.

Di. 2. *c.* 30. Sacerdotum.

Vide eruditissimum virum Franciscum de Roye Antecessorem Andegavensem in tractatu de juribus honorificis in Ecclesia cap. 3. pag. 10.

Di. 2. *c.* 31. Institutio.

Sumptum est istud ex Concilio Gerundensi, ut inscriptio indicat. Notandum autem est discrimen quod Romani Correctores admonent esse in editionibus hujus capitis. Nam apud Gratianum legitur *in omnibus provinciis*, & apud Burchardum & Ivonem *in omnibus comprovincialibus Ecclesiis.* quod melius est. Nam in Concilio ipso legitur *in Tarraconensi provincia.* Synodi enim provincialis auctoritas non egreditur extra provinciam. In antiqua collectione canonum Lugdunensi legitur : *ita in Dei nomine Terraconensis provinciæ tam ipsius Missæ ordo &c.*

Di. 2. *c.* 93. Presbyter.

Regino lib. 1. cap. 69. caput istud citat *ex Capitulis synodalibus*, id est, ex libro primo Capitularium. Duplex quippe Capitulorum regiorum genus erat. Alia enim erant regia simpliciter, id est, in consilio Principis inventa & statuta. Alia verò erant synodalia,

regia sanè, sed in synodis facta, & utplurimùm de rebus ecclesiasticis. Vide Notas ad Reginonem pag. 542.

INFIRMATUS] Rectè admonent Correctores Romani post ista addi apud Burchardum & Ivonem & in Capitularibus *aut parvulus infirmus fuerit*. Vide Notas ad Reginonem pag. 551.

ASSUMPTIO S. MARIÆ] De hac festivitate nihil decreverat Karolus Magnus cùm festivitates enumeraret quæ per omnia venerari debent in anno. Cùm enim ceteras nominasset lib. 1. Capitular. cap. 164. demum addit: *De adsumptione sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus*. Deinde ista quoque festivitas addita est aliis, ut patet ex lib. 2. Capitular. cap. 55. & lib. 6. cap. 186. Ex Capitularibus descripsit etiam Regino lib. 1. cap. 377. Magnum inter Canonicos Ecclesiæ Parisiensis his diebus certamen fuit de hoc festo, propter verba Vsuardi, qui dormitionem sanctæ Dei genitricis Mariæ simpliciter vocat, ab assumptionis nomine abstinet. Meum non est componere hanc litem. Adferam tantùm insignem locum ex vetustissimo libro homiliarum Ecclesiæ Lugdunensis, cujus auctor ignoratur. Videtur autem tribui debere Paulo Diacono aut Smaragdo. In codice itaque illo, post recitatam in festo assumptionis sanctæ Mariæ homiliam in illud ex evangelio secundùm Lucam, *intravit Iesus in quoddam castellum*, auctor homiliæ ista addit in fine: *Succinctè evangelica lectione tractata, dicendum breviter quid hæc eadem lectio ad beatam Dei genitricem conveniat. Cùm enim tota ex duabus sororibus Deo devotissimis constet, tamen in fine sui non incelebrem immo præcipuam de beata Dei genetrice sententiam continet, ubi dicitur:* Maria optimam partem elegit. *Cùm enim sancta Ecclesia tribus fidelium gradibus constet, conjugatorum scilicet, continentum, & virginum, beata profectò Dei genetrix, cujus hodie sollemnia celebramus, optimam partem elegit, cui datum est & de intemerata virginitate & de prolis gaudere fœcunditate, quæ simul & virgo matérque esse promeruit. Dicamus ergo, immo incunctanter dicamus quia Maria optimam partem elegit. Ferunt*

Di. 3. c. 1. Pronuntiandum.

enim quidam codices quòd hodierna die à filio suo Domino Iesu Christo in cœlestibus fuerit provecta palatiis. Quod quia à beato Hieronymo in epistola quam ad Paulam scripsit apocryphum asseveratur, minùs fidenter à catholico sensu recipitur. Sit ergo illud necne, nos tamen debemus credere eam filio suo in cœlestibus conregnare. Iam ergo ad eam vota nostra precésque convertamus. Rogemus eam ut pro nobis apud pietatem filij sui intervenire dignetur. Flodoardus lib. 3. historiæ Remensis cap. 5. enumerans res præclarè gestas ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo, hæc ait inter cetera: *Libellum quoquo de ortu sanctæ Dei genitricis Mariæ, sed & sermonem beati Hieronymi de ipsius Dominæ Assumptione scribi fecit.*

Di. 3. *c.* 20. Aquam.

Remedius Curiensis cap. 24. & Regino lib. 1. cap. 210. citant etiam ex epistola Alexandri Papæ.

Di. 4. *c.* 23. Romanus.

Caput istud est pars capitis *Si quis per ignorantiam.* 1. q. 1. c. 59. ubi vide quæ dicta illic à nobis sunt.

Di. 4. *c.* 44. Ab antiqua.

Inscriptio istius capitis hæc est in antiquis Gratiani exemplaribus & in editione Veneta: *Gregorius Quirico Episcopo & ceteris in Hibernia Episcopis.* nisi quòd codex regius *Quirino* habet pro *Quirico.* Editio prima Moguntina non legit *Hibernia*, sed *Yberia.* & quidem rectiùs. Nam ita prorsùs scriptum est in antiquissimo epistolarum sancti Gregorij libro manuscripto in bibliotheca regia: *Gregorius Quirio Episcopo & ceteris Episcopis in Iberia.* Vide Antonium Augustinum pag. 41. & Marcam in Notis ad Concilium Claromontanum pag. 327. editionis nostræ. Falluntur autem, ut ego arbitror, qui istius epistolæ mentionem fieri putant à Paulo Diacono in libro tertio de gestis Longobardor. cap. 10. Agitur enim illic de epistola Pelagij.

Di. 4. *c.* 94. Plerique.

SISEMUNDI] In antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, recentiore Victorino, & duabus editionibus Moguntina & Veneta, scriptum est *Sisemandum*, in Colbertino *Semandum*, in Victorino vetere *Sisemundum.* Legendum est *Sisenandum*, ut rectè monet Antonius Augustinus pag. 49. & 54.

Di. 4. *c.* 104. Monachi.

Vide Antonium Augustinum pag. 332. & ibi No-

tas noſtras. Vide etiam quæ in hoc loco obſervantur à Correctoribus Romanis.

Di. 4. c. 118. Eos quos.

PUERIS AUTEM] Cujacius ad titulum Decretalium de diſpenſatione impuberum cap. 3. admonet hunc locum, qui valde depravatus eſt apud Gratianum, ita legi debere: *Pueris autem, quibus, quòd adhuc inveſtes ſint, à puritate vocabulum eſt.* Apud Burchardum ſanè lib. 4. cap. 99. legitur: *Pueris autem, quibus, quòd adhuc inveſtes ſunt, à puritate vocabulum eſt.* At in codice Talonij paulò aliter legitur, ſed tamen eodem ſenſu: *Pueris autem, quibus, qui adhuc inveſtes ſunt, à puritate vocati ſunt.* Vide illuſtriſſimum virum Franciſcum Boſquetum Epiſcopum Monſpelienſem in Notis ad epiſtolas Innocentij III. pag. 151.

IMPUBERES] Ita recentior codex Victorinus & antiquæ editiones Moguntina & Veneta. Ceteri habent *imberbes*.

Di. 4. c. 123. Preſbyteri.

Sumptum eſt hoc caput ex canone 36. Concilij quarti Carthaginenſis. Burchardus tamen lib. 4. cap. 76. citat ex Concilio apud Valentias, peſſimo more. Vide Notas ad Reginonem pag. 553.

Di. 4. c. 152. Placuit.

Titulus hujus capitis in antiquis Gratiani libris & editionibus præfert heic nomen Anſelmi Romanæ Eccleſiæ Legati, niſi quòd in codice regio vocatur Aricelinus. Reponendum hauddubiè eſt Aſelli nomen, qui per ea tempora Legatus Romanæ Eccleſiæ fuit in Africa. Vide Antonium Auguſtinum pag. 15.

Di. 5. c. 34. In omnibus.

Caput iſtud ſic inſcriptum eſt in veteribus Gratiani libris: *In libro quinto Capitularium.* Sumptum eſt autem ex canone nono Concilij Moguntiaci ſub Karolo Magno, unde deſcriptum eſt in libro quinto Capitularium cap. 115. Canonicorum Clericorum mentio etiam in canone undecimo Concilij tertij Aurelianenſis.

Di. 5. c. 35. Nullus.

Sumptum eſt hoc caput ex Capitulis Hincmari Remenſis Archiepiſcopi tit. 1. cap. 14. Vide Reginonem lib. 1. cap. 213.

TURPIA IOCA] Cicero lib. 14. epiſt. 14. ad Atticum: *Ioca tua plena facetiarum de hæreſi Veſtorina & de Pharionummo re Puteolano riſiſſe me ſatis*

nihil est necesse rescribere. Quo loco vide Notas clarissimi & eruditissimi conterranei mei Simeonis Bosij. Ælius Spartianus in vita Adriani: *Ioca ejus plurima extant.* Iulius Capitolinus in vita Antonij Pij: *Omuli multa joca semper patienter accepit.* Vide Notas ad Reginonem pag. 537.

CUM URSO] Vide Notas ad Reginonem pag. 564.

LARVAS DÆMONUM] In Capitulis Hincmari, unde sumptum fuisse diximus hoc caput, & apud Reginonem, tum etiam apud Burchardum lib. 2. cap. 161. post hæc verba sequitur, *quas vulgò talamascas dicunt.* Vide Notas ad Reginonem pag. 564.

Di. 5. c. 37. Non oportet. Gratianus hoc caput citat ex Concilio Laudicensi, ubi extat. Regino autem lib. 1. cap. 517. & Burchardus lib. 2. cap. 135. ex decretis Martini Papæ, id est, Martini Bracharensis, apud quem inventum etiam est. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de vita & honestate Clericorum cap. 12.

ADDENDA IN NOTIS.

PAg. 486. linea ult. post illa verba, Agileo Mettis, *adde.* Mennam porrò Thelonæ Episcopum fuisse vel hæc res manifestè probat quòd in causa monasterij Lirinensis apud eundem sanctum Gregorium lib. 9. Indict. 4. epist. 8. ejus testimonium refertur, tanquam è propinquo. Scribens enim Pontifex ad Cononem Abbatem Lirinensem ait: *Quàm autem solers sis in regendis fratribus, quantóque studio in eorum sis custodia vigilans, reverentissimo fratre & coëpiscopo nostro Menna referente cognovimus.* Quid porrò monasterium Lirinense ad Episcopum Tolosanum, tam procul ab domo? Antè quàm &c.

Pag. 496. lin. 25. post verbum audire *adde.*

7. q. 1. c. 13. Qualiter. In antiquis Gratiani exemplaribus ea est inscriptio istius capitis: *Hoc idem probatur auctoritate beati Gregorij, qui Ariminensi Episcopo dolore capitis laboranti alterum subrogavit ita scribens in registro capitulo* CCXXXVIII. Editiones Democharis & Con-

tij habent *cap.* CCCXXXVIII. Correctores Romani pro ultimis Gratiani verbis ista substituerunt: *ita scribens in 7. lib. regesti sui, indi. 2. epist. 49. ad Marinianum Episcopum Ravennæ.* Verùm retinenda erat veterum codicum & editionum lectio, ut deprehendere possent eruditi lectores an ista Gratianus accepisset ex fontibus ipsis, an verò ex rivulis & stagnis aliorum. Nam si quis editione Romana Gratiani sola utatur, nunquam animadvertet caput istud descriptum esse ex Burchardo, apud quem extat lib. 1. cap. 189. *ex registro S. Gregorij Papæ cap.* CCXXXVIII. ut heic apud Gratianum in antiquis codicibus & editionibus. Ivo parte 5. Decreti cap. 305. habet: *Ex registro Gregorij cap.* CCXXXIX. Accepit ergo & Ivo ex Burchardo.

Idem flagitium ab eisdem commissum est in titulo istius capitis, qui sic habet in vetustis Gratiani codicibus: *Item ex eodem capitulo* CCXXXIII. *ad Eleutherium Episcopum.* pro quo Contius & Democharis ediderunt CCXLIII. Correctores Romani: *Item ex eodem regesto, lib.* 11. *epist.* 7. *ad Eutherium Episcopum.* Sed Burchardus, ex quo Gratianus descripsit, lib. 1. cap. 191. habet: *Ex regist. cap.* CCXXXIII. *ad Etherium Episcopum.* In codice verò Talonij: *E reg. Atherium Episcopum cap.* CCXXXIII. At Ivo parte 5. Decreti cap. 307. scriptum habet in titulo istius capitis: *Ex registro Gregorij ad Eleuterium Episcopum.* 7. q. 1. c. 14. Quamvis.

Pag. 511. *lin.* 19. *post vocem* manuscriptis *adde.* Hujus porrò pars habetur in cap. *Relatum* De sepulturis; ubi malè inscribitur Episcopis per Dardaniam constitutis, cùm scripta sit ad Episcopos per Italiam.

Pag. 513. *lin.* 5. *post illa verba*, infrà ostendimus, *adde.* Hunc scrupulum nobis exemit Burchardus, qui in lib. 1. cap. 227. canonem istum refert ex Concilio apud Altheum cap. 37. Nam *Alphesum* scriptum quoque alicubi esse pro *Altheum* monemus infrà 31. q. 1. c. 3. Facile autem est mutare *Alphesum* in *Ephesum.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ADMONITIO.

POst absolutam hanc editionem, vir doctissimus Ioannes Ma[illegible]llonius monachus Benedictinus, è Belgica peregrinatione redux magno reipublicæ literariæ bono, ad me detulit vidisse se duo vetustissima Pannormiæ exemplaria manuscripta, unum in bibliotheca monasterij Aquicinctensis, alterum in monasterio Blandinienſi, utrumque nomen Ivonis Episcopi Carnotensis adscriptum habens, utrumque eundem finem operis exhibens quem notavimus in præfatione nostra cùm de Pannormia ageremus. Vnde certò colligitur non extare in codicibus illis decreta Innocentij secundi quæ edita sunt in calce Pannormiæ, quæ moverant viros eruditissimos ut existimarent opus illud non posse esse Ivonis. Hoc te monitum volui, lector erudite, ut tibi semper probem bonam fidem meam.

ILLVSTRISSIMI VIRI

PETRI DE MARCA

ARCHIEPISCOPI

PARISIENSIS

INTERPRETATIO CAPITIS

Clericus 3. q. 4.

Nunc primùm edita ex autographo auctoris.

ILLVSTRISSIMI VIRI

PETRI DE MARCA ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS

INTERPRETATIO CAPITIS *Clericus 3. q. 4.*

I. QVÆRUNT anxiè viri eruditi quid significare velit Stephanus à Gratiano relatus cap. *Clericus.* 3. q. 4. cùm statuit Clericum qui Episcopo suo insidiatus fuerit, à gradu removeri debere & curiæ tradi serviturum. Quidam corpus curialium intelligunt, cui Clericus vilia ministeria obiturus addicatur. Quidam verò forum & curiam secularium judicum, quorum sententia debitam pœnam suscipiat; quemadmodum in eadem specie Clerici suo Episcopo insidias molientis decrevit Pius Papa apud Gratianum cap. *Si quis sacerdotum*, 11. q. 1. Posteriores

Pontifices, horum decretorum verbis utentes, Clericum tradi curiæ sic intepretati sunt ut de judicibus publicis & eorum curia, non autem de corpore curialium, intelligant. Sed non adimunt scrupulum quem verba Stephani injiciunt, qui tradi curiæ serviturum decernit. Quæ servitia, ut collegio curialium competere possint, aliena tamen videntur à magistratibus publicis; quorum apparitio & obsequium non videtur pœnæ loco censeri posse, cùm decus potiùs quàm vilitatem & infamiam ministrantibus addat.

II. Attamen fatendum est veram esse quam Pontifices secuti sunt curiæ interpretationem: qui juris antiqui vestigia apud solos decretorum ex Isidoriana collectione petitorum consarcinatores cùm legissent, iis verbis usi sunt quæ à veteribus Romanæ sedis summis sacerdotibus profecta arbitrabantur, cùm tamen earum epistolarum interpolatori tribuenda sint; sive is Hispanus fuerit, sive Riculfus ipse Moguntinus, qui primus in Galliis hanc collectionem, à se ex Hispaniis advectam, temporibus Caroli Magni publicavit, teste Hincmaro. Illa verò paulatim in auctoritatem recepta in Capitularium libris, deinde à Nicolao primo vehementer asserta, in judiciis tandem usurpata est, & à Burchardo, Ivone, Anselmo, atque demum à Gratiano in suis collectionibus laudata.

III. Enimvero licèt huic locutioni vetustatem octo seculis superiorem non demus, rem ipsam in veteris Ecclesiæ disciplina re-

ceptam inveniemus. Quod ut apertiùs atque uberiùs explicari posset, de Clericorum foro disputandum esset nobis juxta veterum canonum sensum. Sed materia isthæc cùm alterius sit instituti, illud unum observandum relinquit quod ad istius articuli dispunctionem omitti non potest.

IV. Clerici dupliciter inspici possunt, vel quatenus divinis ministeriis inserviunt, vel quatenus sunt reipublicæ cives. Sub priore illa inspectione, cùm functio & ministerium illorum ex sola Christi Domini institutione pendeat, jure divino immunes sunt à magistratuum publicorum cognitione, qui rationem ab iis exigere non possunt neglecti vel malè gesti ministerij ecclesiastici. Quatenus verò sunt cives, ex divi Pauli effato Regum imperio & jurisdictioni publicorum judicum subditi sunt. *Omnis anima*, inquit Apostolus, *potestatibus sublimioribus subdita sit.* Qua peremptoria voce omnes homines complexus est, dempto nemine, sive sit Apostolus, sive Propheta, sive Episcopus, Clericus, aut monachus, ut adnotavit Chrysostomus in commentariis hujus loci.

V. Enimvero licèt hæc ita se habeant summo jure, ex indulgentia Principum deinde Clerici consecuti sunt ut immunes essent à magistratuum publicorum cognitione. Quæ quidem immunitas Ecclesiæ concessa, & synodorum Pontificúmque decretis recepta, atque censuris roborata, in totum rescindi non potest contrariis Principum constitutio-

nibus ; quippe quæ jus quæsitum & tam longa consuetudine firmatum tollere non debeant, nec reipublicæ tranquillitatem, quæ his moribus fovetur, lædere, ut eleganter docet Covarruvias, qui Clericorum immunitatem refert, non ad jus divinum, sed ad Principum privilegia, quæ hodie immutari non possint.

VI. Ex duplici illa quam posuimus Clericorum inspectione orta est antiqua illa, quam præfert canon septimus synodi Constantinopolitanæ & Iustiniani Novella, criminum à Clericis admissorum distinctio, ut alia sint ecclesiastica, alia verò civilia ; quorum discrimen explicat Theodorus Balsamo. Prioris generis erunt, non solùm hæresis & schisma, quibus laïci quoque implicari possunt, sed quæcunque peccata in regulas clero præscriptas ; ut de subintroductis mulieribus, de ordinationibus perperam vel etiam ob pecunias celebratis, & de similibus causis.

VII. Crimina civilia, sive secularia, sunt illa quæ legum publicarum animadversioni subjiciuntur, utpote quæ reipublicæ quietem & societatem violant. Ea sunt varij generis, delicta privata, & crimina publica. Quod discrimen secuti sunt Imperatores Romani, cùm benigniùs in Clericos agere cœperunt. Vnde in Codice Theodosiano controversiæ quæ ad religionem pertinent, in quibus sunt crimina ecclesiastica & minora Clericorum delicta, scilicet è civilium numero, Episcopis & cujusque diœceseos sive provinciæ synodis

nodis discutienda relinquuntur. Minora inquam delicta, servata judiciis publicis atrocium criminum, quæ numero quinque, adversùs Clericos cognitione; ut docent leges aliquot editæ cura Sirmondi in Appendice Codicis Theodosiani.

VIII. Quæ quidem criminum exceptio de Clericis secundi & inferioris gradus, id est, à Presbyteris usque ad ultimum gradum intelligenda sunt. Nam sacerdotes primi gradus, id est, Episcopi, à publicorum judiciorum cognitione immunes semper fuerunt apud Principes Christianos. Quibus præivit vox illa Constantini in Nicæna synodo, qua conquerentium ad invicem Episcoporum libellos sibi oblatos, ut de iis cognosceret, cùm repulisset, adjunxit: *Vos dij estis. Conveniens non est ut homo dijudicet deos.* Quod Ruffinus & alij magnificis verbis retulere. Sed ad reliquos Clericos verba Constantini trahi non possunt. Hinc petitum Valentiniani senioris rescriptum, cujus meminit Ambrosius & epistola synodica Concilij Romani pro Damaso, quo jussit ut sacerdotes soli de sacerdotibus, id est, Episcopi de Episcopis, judicarent.

IX. Quæ prærogativa Episcoporum ne quidem à Iustiniano, qui Novella sua crimina ceterorum Clericorum atrociora suis judicibus reliquit, ullo pacto imminuta est. Vnde factum ut nec in prima nec in secunda neque in tertia Regum nostrorum dynastia, si facinus adversùs Leodegarium excipias,

nec etiam vigente Gothorum in Hiſpaniis dominatu, Reges in Epiſcopos, etiam læſæ majeſtatis reos, lege animadvertere tentaverint ante ſynodorum judicium, quibus hanc juriſdictionem non adimebant; ut docent annales & acta Conciliorum. Adeo ut hac quoque tempeſtate, in qua reliquorum è clero privilegia non adeo vigent, nihil ſibi licere in Epiſcopos majeſtatis reos pietas Regis Chriſtianiſſimi paſſa ſit, impetrata nuper à Summo Pontifice, juxta recentioris moris formam, delegatione aliquot Epiſcoporum, qui judicio eccleſiaſtico de cauſa decernerent.

X. Ceterùm olim, ut dixi, quinque crimina reſervata erant animadverſioni judicum publicorum adversùs Clericos. Vnde factum ut in Matiſconenſi Concilio tria crimina foro ſeculari reſervata fuerint. Hinc que ſumpſit originem caſuum privilegiatorum cognitio. Attamen antiqua illa criminum exceptio non impediebat quin Clerici de moribus apud Epiſcopos conventi, judicio eccleſiaſtico pro qualitate & punitione delicti puniri poſſent. Idque factum ex Pauli auctoritate, qui monet Timotheum ut ſub duorum aut trium teſtimonio, Preſbyterorum cauſas diſcutiat. Quare antiquis canonibus, ob crimina publica, canonica pœna Clericis convictis irrogatur. Sed cenſura eccleſiaſtica, cùm admonitione aut ſuſpenſione miniſterij ſola vel ad ſummum depoſitione conſtaret, aut ſi atrociſſimum eſſet flagitium, ex-

communicatione vel anathemate, & reipublicę tranquillitas graviùs animadverti exposceret, depositus sententia Episcopi sui Clericus ad judices publicos transmittebatur, pœna legitima plectendus, si de aliquo ex quinque illis criminibus impetitus esset; cùm nulla ratio pati posset ut depositus ob crimen canonicum, vel ob minus delictum civile, contra mentem legis nova pœna opprimeretur.

XI. Singulare usus istius habetur exemplum in actis Concilij Chalcedonensis actione x. in qua relecta sunt gesta synodi Tyriæ habitæ in causa Ibæ Edessæni Episcopi. Samuel & alij Presbyteri Ecclesiæ Edessenæ libello accusabant Episcopum suum inter cetera capita hoc quoque objicientes, quòd Abraamium Diaconum, de maleficio magico accusatum, & de se præsente clero & Episcopo confessum, omnium votis excommunicatione confossum, nulla dein prævia satisfactione, Episcopum ordinare destinasset, impeditus ne perficeret sola Archidiaconi refragantis intercessione. Mox ista verba subjungunt, quæ trituram fori utriusque docent: *Et retinet chartam magicarum incantationum reverendus noster Episcopus, qui debuit judici provinciæ hunc, qui ita execrabilis est, offerre, secundùm consequentiam legum.* Eas intelligit leges Principum quæ sunt editæ in Appendice Codicis Theodosiani superiùs laudata.

XII. Si judicium inceptum esset apud

Episcopum, quia fortasse accusator erat è clero, qui ad judicia publica Clericum evocare nulla in causa poterat juxta Concilij Carthaginensis & Chalcedonensis disertos canones, vel etiam laïcus, qui adversùs Clericum crimen intendere poterat, suam suorúmve injuriam persequens, tunc, post latam sententiam, Episcopis incumbebat ex officio ut reum atrocioris criminis judicibus publicis offerrent. Quod diu perduravit cum magna utriusque fori concordia, donec vetita est in universum, variis Pontificum decretis, judicibus secularibus adversùs Clericos judiciaria cognitio, cujusvis criminis prætextu. Tunc arbitrij sui fecerunt ob quæ crimina Clerici, judicio ecclesiastico depositi semel, ad graviorem pœnam infligendam ad judices seculares transmitterent. Hoc est quod in decretis Pij & Stephani dicitur, curiæ tradi Clericos convictos, scilicet ut puniantur; quemadmodum disertè observat Pius, *ut accipiat quod iniquè gessit.* Cui sententiæ non est contrarium quod ait Stephanus, ut Clericus depositus, curiæ tradatur serviturus. Quippe non significat ut ad vilia ministeria in curia obeunda damnetur. Nulla enim istius generis pœna ullibi occurrit. Retrahebantur quidem in curiam, etiam post presbyteratus ordinem, quicunque è curialibus, quò se muneribus & functionibus publicis seu personalibus seu realibus subtraherent, in clerum adscisebantur, ut docet Innocentius primus in Decretis, con-

ditionem priorem & nexum curialium subituri. Sed ista non pertinent ad pœnam ob crimen aliquod inflictam.

XIII. Dicendum ergo, ut hic nodus expediatur, traditum curiæ Clericum, ut in illum à judicibus animadverteretur, eo tamen animo ut capitis minutione maxima, id est, servitute tantùm, non autem ut capite, plecteretur; scilicet ut libertate adempta per judicis sententiam, servituti perpetuæ adiceretur. Solebant Episcopi pro damnatis in judicio publico veniam petere à Præsidibus provinciarum, quò, pœna aut penitùs remissa aut in leviorem mutata, damnati locum haberent agendæ de facinoribus suis apud Deum pœnitentiæ; ita tamen ut sicut Episcopis libera erat deprecatio, judicibus quoque, si utilitas publica sic poscceret, libera esset repulsa; quemadmodum docet Augustinus in epistola ad Marcellinum Comitem. Quare si solenne Episcopis erat pro quibuscunque damnatis intercedere, culpæ non mediocris rei fuissent si depositis à se Clericis suffragati non essent, quando eos, ex ordine legum, judicibus tradebant, mitiorem pœnam illis infligi postulantes.

XIV. Porrò pœna servitutis ob crimen admissum inducta erat à Concilio Aurelianensi & ejus exemplo à Conciliis Toletanis. Vnde factum ut auctor epistolæ Stephani ejus meminerit. Deportati & damnati in metalla amittunt quidem libertatem; sed servituti adjuncta est pœna deportationis,

cujus fiunt servi. In specie autem Concilij Aurelianensis, raptor, si ad Ecclesiam confugerit, restituitur; serviendi tamen conditioni obnoxius, facultate concessa sese pecunia redimendi. quæ sine dubio in læsi patris commodum cedebat.

XV. Ceterùm sola Clerici depositio ob crimen exceptum inflicta sufficiebat ut locus esset judicio publico absque ulla canonicæ immunitatis injuria. Non inutiliter addidi inflictam depositionem ob crimen exceptum; quoniam ex alio quoque capite depositio irrogari potest, putà ob crimen ecclesiasticum. Quo casu nefas esset damnatum semel, de integro novis pœnis opprimere, judicio seculari.

XVI. Enimvero ut manifestiùs hæc materia aperiatur, inspiciendum est an ex sola depositione Clerici damnati redeant ad forum seculare. In qua controversia confligunt ad invicem Ioannes & Bernardus Decreti Glossatores. Sed divisione eam dirimendam puto; adeo ut non sola pœna inspicienda sit, sed etiam illius causa: quæ si fuerit gravior, sive ob crimen civile, sive ob crimen ecclesiasticum, depositum non solùm à gradu removebit, sed etiam á clero. Hujus pœnæ exemplum petetur, in crimine ecclesiastico, ex Decreto Siricij relato apud Gratianum cap. *Quisquis*. Dist. 84. *Quisquis Clericus*, inquit, *aut viduam aut certè secundam conjugem duxerit, omni ecclesiasticæ dignitatis privilegio nudetur, laïca sibi tantùm communio-*

ne conceßa. Quæ laïca communio significat Clericum non solùm è confessu cleri extra cancellos depulsum & redactum in locum & ordinem laïcorum ad communicandum synaxi, sed deturbatum omnino à corpore cleri & ad laïcam conditionem detrusum; ita ut sepositio privilegio quod antea illi competebat, nunc pertineat ad forum seculare in causa civili & criminali. in quo distinguitur hæc communio laïca à peregrina; cùm ista retineat Clericum in ordine cleri, (etsi gradu confessus & sportulis ordinariis multatum, præter alimenta) laïca verò eum ab illo ordine depellat. Si autem depositio inferatur ob negligentiam in obeundo ministerio ecclesiastico, ex ea causa depositus jurisdictioni ecclesiasticæ subditur, ita ut ob delicta subsequentia synodi judicio ad agendam pœnitentiam in monasterium detrudatur; ut definivit Concilium Cabilonense relatum in cap. *Dictum.* Dist. 81.

XVII. Hujus disputationis occasio tollebatur definitionibus synodorum subsequentium, quæ Clericos ob crimen capitale damnatos & ad laïcam communionem redactos in monasterium detrudi in perpetuum jubebant, agendæ pœnitentiæ severioris causa, ut in Conciliis Agathensi & Epaunensi. Quam formam secuta est synodus Aurelianensis tertia can. VII. erga Clericum adulterij convictum. Earum exemplo Toletana quarta can. XXVIII. simili detrusione plectit Episcopum, Presbyterum, Diaconum, &

Clericum, qui magos & ariolos consuluerit, & simoniacè ordinatos Concilium Toletanum octavum can. 3.

XVIII. Postquam mos iste desivit detrudendi Clericos in monasteria, ut pœnitentiam agerent, in illa quoque secunda specie, quam proposuimus, de Clerico degradato, etiam ob crimen ecclesiasticum, disceptatum fuit in Anglia quingentis abhinc annis. Regij ministri degradatum Clericum ex quacunque causa foro suo asserebant. Thomas verò Archiepiscopus Cantuariensis contendebat ex sola depositione non amitti privilegium clericale; sed si depositus in crimen incideret, tunc ob impœnitentiam subdi foro seculari.

XIX. Satiùs fuisset, ut dixi, disputationem ex superiori distinctione dirimere, quæ adhibenda quoque est in altera quæstione, an ex sola depositione consequatur damnatum tradi curiæ seculari. Depositus quippe ob crimen ecclesiasticum alia pœna plecti non debet. Qui autem ob crimen atrox degradatur, eo ipso legibus publicis permittitur; ut superiùs dixi. Quæ fuit sententia aliquot Pontificum qui Innocentium præcesserunt, ut ipse fatetur in cap. *Novimus.* de verbor. signific. *Quorundam est opinio à pluribus approbata*, inquit, *ut Clericus qui propter hoc* (id est, falsi in litteris apostolicis) *vel aliud flagitium grave non solùm damnabile sed damnosum fuerit degradatus, tanquam exutus privilegio clericali, seculari foro per*

consequentiam applicetur. Quod ille jus immutavit, decernens ut solennis degradatio Clerici antea fiat, atque pronuntietur judici seculari, quatenus degradatum in suum forum recipiat; eo temperamento adjecto, ut Ecclesia pro eo efficaciter intercedat, ad leniendam pœnam, citra mortis periculum. In qua intercessione nihil est novi, cùm frequens esset apud vereres, etiam in gratiam laïcorum. Novum jus in eo versatur, quòd præter depositionem & solennia degradationis pronuntiandum sit specialiter de traditione facienda curiæ. Quæ definitio videtur profecta ex eo quòd Alexander III. in cap. *At si Clerici.* De judiciis. docuit quemlibet depositum pro suis excessibus non esse tradendum judici seculari, ne duplici contritione conteratur. Vnde sequitur causæ cognitionem adhibendam, an flagitij ea sit gravitas ut traditionem illam extorqueat.

XX. Ceterùm Celestinus III. tot adhibet cautiones ut vix locus esse possit huic traditioni, nisi quis malo genio natus omnem exuerit humanitatis sensum. Statuit enim ut depositio præcedat ob præteritum crimen. Deinde verò, ut incorrigibilis appareat Clericus, novis criminibus admissis. quæ plectenda sunt excommunicatione. Si recentioribus se facinoribus implicet, feriendus anathemate. Demum si contempta Ecclesiæ auctoritate in profundum malorum devenerit, tunc tradendus est seculari potestati, ut eum comprimat. cap. *Cùm nobis ab homine.* De judiciis.

XXI. Qui progressus tamen servandus non est si crimen ex suo genere sit atrocissimum. Tunc enim interest reipublicæ Christianæ ut monstra illa scelerum ultore ferro extinguantur. Statim ergo à degradatione celebrata pronuntiare debet judex tradendum esse reum curiæ seculari, ut adversùs falsarios literarum apostolicarum constituit Innocentius III. in Concilio Lateranensi, cap. *Ad falsarior.* De judiciis. & in eodem Concilio adversùs hæreticos, cap. *Excommunicamus.* §. 1. De hæreticis. Quod in criminibus majestatis, assassinij, ac in ceteris hujusmodi atrocioribus locum quoque habet; ut docent Pragmatici, & nos antiquæ disciplinæ congruere jam docuimus.

ANDREÆ SCHOTTI

LAVDATIO FVNEBRIS

V. C L.

ANTONII AVGVSTINI

Archiepiscopi Tarraconensis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ILLVSTRISSIMO
REVERENDISSIMOQVE VIRO
LÆVINO
TORRENTIO
EPISCOPO ANTVVERP.
ANDREAS SCHOTTVS
S. P. D.

MAGNO in dolore vel mœrore potiùs versabar adhuc, Præsul optime, quem ex clarissimi viri Antonij Augustini morte accepi, cùm mihi tuæ redditæ sunt. Quare ut & memoriam illius sanctè inviolatèque servasse, & tibi, cui plurimum debeo, dicto audiens fuisse viderer, laudationem funebrem huic fasciculo litterarum incluſi; quòd & innocentissimo viro, Romæ cùm versareris, usus sis familiariter, & mortem illius, accepto nuncio, tuleris humani-

ter. Et verò quis animo tam diro atque agresti fuit qui nontanti viri morte sit commotus; qui tamenetsi senex, & affecta ætate, multis editis libris, tanquam ingenij liberis, naturæ concessit, tamen propter excellentem doctrinam atque virtutem videbatur omnino mori non debuisse. Equidem luctui meo minuendo, quando tolli omnino non potest, commentarium de moribus anteactę innocenter vitæ scriptísque antistitis illius adjunxissem, ubi tanquam in amplissimum campum, laxatis habenis, excurrere licuisset, nec tam angustis horæ spaciis temporísque brevitate mihi ad comparandum dati circumscriptus fuissem, si tantum abs re mea otij suppeditasset. Hæc tamen pauca, quæ oratione complecti poteram & debebam, alij, quibus maius otium atque ingenium datum, ampliora facere & tanquam calamistris inurere poterunt, ut certa verissimáque, quæ ipse, quasi mortem illius præsagiens, longèque antè prævidens, scisćitando ex ore ipsius hausi, ratus, id quod accidit, fore ut cùm hac ille corporis compage solutus vivere desjisset, unde vitam certiùs ceteráque que ad antiquitatis scientiam pertinent, qua, ut meliùs nosti, ad miraculum usque instructus erat, discerem, fore neminem. Nec me fefellit augurium. Quincto enim pòst mense extinctus est. A senis itaque sanctissimi latere, quoad possem, nunquam discessi, simul in amicitiam domesticámque familiaritatem adscitus sum; & tanquam cœlo delapsum hominem, Catonem

alterum, & parentis loco, ducebam. quo in precio & ab exteris omnibus, cùm Iuriſconſultis, tum humanitate præditis, exiſtimari non ignorabam. Ab exteris, inquam. Vt enim Veritas ipſa in ſacris litteris clamat : οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ. Temporum & ætatis potiùs in narrando, ut in Attici vita Nepos, quàm virtutum deſcriptionem ſingulatim, ut in Plotini vita Porphyrius & in Procli Diadochi Marinus, ſecutus ſum. Nihil eſt enim aptius ad delectationem lectorum quàm temporum varietate fortunæque viciſſitudine animos in legendo audiendóque retinere. Sic enim elucet maximè & adoleſcere ingenia, & ad maturitatem, diſciplinarum cultu, ut in agris ſegetes, pervenire ſolere. Stylum verò, ut debui, ita temperavi ut neque vera laus detracta, quamquam omnia perſequi non poteram, nec falſa afficta eſſe videatur. Verum ipſum ſemper ſpectavi, nulla animi perturbatione victus. Memineram M. Tullium & Livium queſtos olim, nec injuria, laudationibus funeribus factam eſſe hiſtoriam mendoſiorem; quòd cauſæ ſerviendo oratores, veritatis vix habita ratione atque dilectu, in maius omnia extulerint. Nec me fugit Cyrum Xenophontis philoſophi eloquentiſſimi, quem non ſine cauſa P. Scipio Africanus manibus aſſiduè ſinúque geſtabat, non ad hiſtoriæ fidem ſed ad effigiem juſti imperij ſcriptum. Idem tamen philoſophus Ageſilaum ſingulari libello ita laudavit ut præ illo facilè Imperator, qui nullam imaginem ſui

Cicero in Bruto. Livius lib. 8. extremo.

Cic. 1. ad Q. fratrem epiſt. 1. & lib. 5. epiſt. 12. ad Famil.

exstare passus est, omnes omnium expressas imagines, signa, statuásque contempserit. Statuæ enim è lapide vel ære ductæ intereunt tempestate, vi, vel vetustate. Virtus contrà clara æternáque habetur. Quæ cum ita sint, quicquid hoc est laboris industriæque nostræ lib. mer. Amice magne, ad te mitto, nos ut in hac ætate audacter admoneas doceásque, quem tanti Antonius fecit, itáque de te & sentire & prædicare solebat, ut quod præfiscine mihi liceat, more majorum, in Lyricis pangendis, cùm ab Horatio discederet, tibi uni primas daret, præterea nemini. Legerat enim libenter tua illa de partu virginis divina poëmata. Tranquillum item probabat, & Horatium efflagitabat; & ego, si pateris, illius omnísque adeo posteritatis voce postulo. Sic te nobis Deus Opt. Max. diù servet incolumen. Vale; & Io. Livineio meis verbis salutem felicitatémque. Tarracone ann. ∞. Io. LXXXVI.

AND.

ANDREÆ SCHOTTI ORATIO IN FVNERE ANTONII AVGVSTINI ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

ANNO MDLXXXVI.

CVM multa divinitus heroicis illis temporibus, viri ornatissimi, à priscis inventa atque instituta & à majoribus nostris religiosè ad hanc diem servata sunt, tum nihil vel ad vivorum solatium jucundius vel ad eorum qui vixerunt memoriam honorificentius excogitari potuit quàm bene de Republica meritos, domi militiæque illustres, cùm mortem obiissent, pro funere laudari atque ad posteritatis memoriam commendari. Græci enim, optimis & disciplinis exculti & legibus instituti, eum morem Athenis Atticis jam inde à Solone Legislatore traxisse creduntur. Romani verò, qua nulla gens alia vel moribus legibús-

que meliùs temperata vel exteris gentibus ad vitam moréſque formandos plura exemplá ſuppeditavit, jam inde ab exactis Vrbe Regibus, (laudato fortiſſimo viro L. Bruto, qui pro patriæ libertate occubuerat, à collega Valerio Poplicola) hunc ſitis in funere honorem perpetuò habendum cenſuerunt. Et rectè quidem pièque, ſi verum fateri volumus, utrique judicarunt; cùm ne qui mortem obiiſſent, debita virtuti laude fraudarentur; tum ut heredes atque ſuperſtites ad majorum imitationem réſque præclarè gerendas tanquam calcaribus incitarentur ardentiùs quàm fumoſis familiarum ex cera imaginibus, quas & in atriis collocare & geſtare in funere ſolebant. Verùm enim verò cùm ego ad pium hoc quidem poſtremúmque officium, ſed perdifficile, perſolvendum non ſatis idoneus dilectus ſim, dum, ut debeo, meo me ipſe pede metior, vehementiùs pertimeſco. Quæ enim res ſummos etiam oratores conturbare ſingulæ ſolent, locus ad dicendum ampliſſimus, & rei qua de verba facienda ſunt gravitas, eæ mihi hodierno die ſeſe offerunt univerſæ. Si enim in cauſſis gravioribus, ut accepimus, initio dicendi M. Tullius atque Demoſthenes, ſummi oratores, commoveri ſolent vehementiùs quàm vel ætas illorum vel uſus exercitatióque poſtulabat, quid mirum, juvenem me, qui cum illis non ſum comparandus, & frequenti hoc veſtro conſpectu & pudore mihi innato perturbari? Verùm tot tantáque exſtant ampliſ-

Plutarc. in Poplicola.

simi Præsulis Antonij Augustini, quem more institutóque majorum laudandum precibus victus susscepi, in me exterum hominem humanitatis ac benevolentiæ officia ut officium hodie deseruisse videar & ingratus jure haberi debeam nisi diuturni silentij mei finem hic dies tandem aliquando attulisse videatur. Equidem non ignorabam nihil huc nisi perfectum ingenio elaboratúmque industria adferri oportere. Verùm manum mihi injiciebat qui mihi ad hæc studia urguenda & recolenda auctor & princeps exstitisset, in quibus ipsis humanitatis, ut sunt & appellantur, litteris si quid possum, quantum id est, quod sentio quàm sit exiguum, id omne repetere à me suo jure potest. Iacta itaque esto alea, & quidem nominis mei periculo, dum optimè de me meriti Manibus satisfeciisse ac parentis potiùs quàm nominis rationem videar habuisse; in quo illud in primis mihi lætandum esse video, me de ejus viri laudibus dicere ingressum in quo prædicando nemini, ne indisserto quidem, oratio deesse possit, sítque adeo difficilius exitum quàm principium invenire. Dicendum est enim breviter, pace vestra, auditores, cùm de Antonij Augustini Præsulis nostri amplissimi vita & moribus, hoc est, de singulari eximiáque virtute, tum de doctrina & scriptis ad posteritatis utilitatem comparatis. Denique perfecti ut Iurisconsulti sic & Episcopi exemplar, tanquam speculum, ante oculos proponam. Quare ut attentè nos patientér-

que audiatis, ejúſque quem vivum parentis loco duxiſtis, jam mortui laudes libentibus auribus animíſque accipiatis, vos quæſo obteſtórque. Quod ſi à vobis, ut ſpero & opto, impetravero, futurum eſt ut nec me in dicendo laboraſſe nec vos tanti viri memoriam grata animi recordatione revocaſſe pœniteat. Illud enim Romanè moréque majorum, id eſt, ingenuè verèque confirmare audeo, dubitare me vehementer an parem Auguſtino aut multis retro annis majorum ſecula tulerint aut quæ conſecutura eſt poſterorum ætas, datura ſimilem ſit virum, qui in his ipſis juris antiquitatíſque diſciplinis virtutúmque ornamentis proinde excellet, cetteróſque, ut hic noſter, æquales longo poſt ſe relinquet intervallo. Q. Cæcilium Metellum, cognomento Macedonicum, memoriæ proditum eſt, cùm triſtem nuncium accepiſſet, P. Scipionem Æmilianum, cui etiam virtus victæ everſæque Carthaginis Africani cognomen addiderat, domi ſuæ incerto auctore eſſe interfectum, à quo tamen de Repub. æmulatione, ut fit, gloriæ ſine acerbitate diſſenſerat, foras proſiliiſſe, & in hanc veritatis plenam, ut ab æmulo profectam, vocem prorupiſſe: *Concurrite*, inquit, *concurrite, cives Romani. Vrbis enim noſtræ mœnia conciderunt.* Eundémque ferunt filiis quattuor Conſularibus, à quibus & ipſe magno felicitatis humanæ argumento pòſt elatus eſt, negocium dediſſe ut Scipionis Africani funus non deducerent ſolùm, ſed etiam effer-

Plutarc. in Apopht. Val. Max. lib. 4. cap. 1.

Plinius lib. 7. cap. 44.

rent, humeróſque pheretro ſubjicerent, hoc addito eulogio exſequiis digno: *Non fore ut in poſterum poſtremum id officium excellentiori ulli civi ampliùſque de omni Repub. merito imperatori præſtarent.* Idem mihi hodierno die exclamare jus fáſque eſt. Quin potiùs, cùm toga armis præſtantior ſit, réſque bellicas conſilia ſuperent, & animus corpori longè antecellat, eo veriùs juſtiùſque pronunciavero: Concurrite Tarraconenſes, omníſque adeo Hiſpania citerior, ulterior. Mœnia noſtra, extincto Antonio Auguſtino, everſa ſunt; nec ſpes eſt fore ut alteri præſtantiori viro poſtremum hoc officium, mortuo debitum, perſolvamus. Cum illo enim ſpes omnium noſtrum, auditores, réſque publica & patria elata eſſe videntur; inopum ſubſidia atque fortunas jam video concidiſſe. O igitur fallaces hominum ſpes! O inanes mortalium cogitationes! Sed hoc agamus. Atque ut inde oratio mea proficiſcatur unde ætatum initia ducuntur, à capite arceſſam narrationem, ſi quis fortè adſit ideo ignarus temporum & in familiis illuſtrium virorum hoſpes ut hæc ignoret. Ætatis itaque memoriam replicans ultimam, inde uſque repetens, comperi natum eſſe domo nobili AUGUSTINORUM & excellentibus viris in gerenda Republica claris, Cæſarauguſtæ, Celtiberorum urbe celebri & copioſa, nunc etiam ſtudiis ingeniiſque affluente. Patre ad hæc Antonio Auguſtino Pro-cancellario Aragoniæ finitimorúmque regnorum. Quæ dignitas hodie apud

Anno CHRISTI 1517.

Reges secundas tenet. Augustorum quoque Romanorum temporibus, ut ex annalium memoria & Carini Imperatoris vita observare memini, plena in administrandis rebus publicis & honoris & auctoritatis Cancellarij potestas perpetuò fuit. Vixdum ex ephebis filius excesserat, tinctus iis artibus quibus prima ætas ad humanitatem informari solet, natu licèt minimus, tamen, ob singularem indolem, maxima in spe deliciísque parenti, Complutum, quæ in Carpetanis princeps academia est, ad uberiorem ingenij cultum missus est, ubi celeriter antecellere æqualibus ingenij gloria contigit. Verùm assiduis bellorum tempestatibus jacebant adhuc humanitatis studia, Ciceronis nomen vix in scholis tum audiebatur. Nondum satis culta bene dicendi facultas. Græcæ litteræ mutæ doctoribus carebant. Sine quibus tamen disciplinis in jure civili enucleando excellere nemo potest, & reliquæ scientiæ graviores quasi conticescunt. Sensa enim mentis commodè eloqui non posse nec ad posteros transmittere nisi rusticè & inquinatè posse hominis est, vel M. Tullio judice, intemperanter abutentis & otio & litteris. Studia verò hæc in Italia disciplinarum parente jam tum colebantur vehementiùs quàm in Hispanicis academiis; sive id soli cœlíve genio, sive hominum indoli & industriæ, sive otio denique & tranquillitati Reipublicæ acceptum est referendum. Salmanticam hinc à parente missus, prima ibi jurisprudentiæ fundamenta je-

Fl. Vopiscus in Carini vita.

Tuscul. 1.

citgnaviter. Verùm ut exoticæ merces & peregrinæ domesticis ferè gratiores, & plantæ alio cœlo cultæ atque insitæ suaviores sæpe uberioréſque esse solent, miles denique is optimus qui patria procul stipendia fecit, idem in præstantibus ingeniis usu venire accepimus. Alieno enim cœlo studiorum labor & industria fit major. Exacuitur enim & quasi usu exterorum splendescit ingenium, prudentiáque paratur. Magna itaque Italicorum ingeniorum subtilitate, doctrina, & eloquentia, honesta quadam laudis contentione, quæ stimulos optimis ingeniis addere solet, excitatus, cum de posteritate seriò cogitaret, cui se vixisse testatum aliquando facere vellet, Bononiam, eruditissimis hominibus liberatissimísque studiis, juris præsertim civilis, affluentem, cogitabat, quo in opido collegium ingentibus olim sumtibus amplissimum fortissimúmque virum Ægidium Albornotium Cardinalem in Hispanicæ gentis gratiam sua pecunia exædificandum curasse inaudierat, quò erudiendi gratia ex omnibus ferè Hispaniæ urbibus præstantissima ingenia quotannis vocarentur alerentúrque liberaliter. Magnam hîc studiorum segetem ex æmulatione, ut fieri amat, ingeniorum mutua colligi, assiduas hîc disserendi exercitationes scholásque haberi acceperat; ex quo ludo, tanquam ex equo Troiano, meri heroes, qui de jure consultoribus responderent, prodiissent; quorum è numero non-nemo Hispaniæ clavum nostra memo-

Anno 1365. Io. Genesius Sepulveda in hist. Bonon. Collegij.

An. 535. ria summo cum imperio tenuisset. Bononiam itaque, parentum permissu, excelsi animi & laborioſi juvenis tandem pervenit anno altero Pauli tertij Pont. Maximi. Ea in urbe pau-
cis antè annis Carolus Cæsar Imp. à Cle-
An. 1530. mente VII. P. M. frequenti hominum concursu & quasi orbis terræ panegyri diademate coronatus inunctúsque fuerat, more majorum, Augustus. Quæ res urbem cetera claram per se & nobilem, ut pontificiæ ditionis, reddiderat illustriorem. Hic in collegium ultrò invitatus Augustinus, licèt suis sese sumptibus alere commodè posset, commigravit; opibus tamen patriis valere jussis, ne his fisus negligentiùs, ut fit, in studiis versaretur. Sic pontes à tergo militibus abrumpere solitos duces, ne qua fugæ spes relinquatur timidis, adolescens legerat. Nactus hîc eos est doctores qui ceteris omnibus ingenij gloria antecellerent. Paullo enim Parisio juris pontificij celebri interpreti assiduè operam dedit, qui ob singularem pietati conjunctam eruditionem mox in patrum purpuratorum senatum lectus est. Cui Andreas Alciatus Insuber, ut in bello defessis integri recentésque submitti ab imperatore solent, suffectus, de superiori loco docendi personam sustinuit, accitus insigni honorario, princeps cùm esset ejus ætatis antecessorum, propterea quòd eloquentiam Græcarúmque litterarum, quæ perpaucorum hominum semper fuerunt, peritiam ad jus illustrandum attulisset, ingenióque cùm intendisset, &

poëtica, ut Iani Parrhasij discipulum possis adgnoscere, plurimùm valeret. Biturigas enim, quod hodieque gymnasium Iacobo Cujacio Tolosate Iurisconsultorum coryphæo floret, Ticinum item & Bononiam academias docendo Alciatus mirificè ea tempestate, ut & jus ipsum scriptis editis, illustravit, eductis, vel ut veriùs dicam, genitis summis aliquot juris sacerdotibus, in quibus Augustinus noster familiam ducebat, quòd in iis ipsis juris enucleandi vestigiis pedem ponere cogitaret. Viglius item Zuichemus Frisius princeps erat; qui Galliæ Belgicæ Præses, negociorum mole à scribendo, ut feliciter cœperat, abreptus est. His igitur auditoribus, ut imperator spoliis opimis, meritò gloriabatur Alciatus. Antonius verò feriis, quibus proferri res solent, cessatúrque æstivis mensibus, ardente canicula, Patavium, celebritate commotus, discendi gratia, dum se æstus solis frangeret, secessit, mensésque octo ibi hæsit, cùm doctoris auctoritate, tum loci amœnitate captus. Marianum enim Socinum minorem diligenter audivit. Quæ quidem Socinorum familia tres continenter insignes Iurisconsultos edidit, Marianum majorem & Bar-ptolemæum, libris editis claros, quales Iurisconsultos vix singulos singulæ ætates ferre solent. Sic olim & Muciorum gens, quæ tot una prudentes juris emisisset quot satis multis civitatibus esse possent, in cœlum laudibus ferri solet. Idem & Augustinorum gentis decus fuisse ut plures ea Iu-

risconsultos, patrem, avum, proavum dederit, annalium Celtiberiæ memoriam evoluens, comperi. Hic & subsecivis horis, quas alij tribuunt aleæ, intempestivis conviviis, aut somno, litteras amœniores libenter respexit, & Lazarum Bonamicum, disertum hominem, Græcos etiam doctores, Fazellum & Romulum Amasæum audivit. M. enim Porcium Catonem admodum senem Græcè discere non erubuisse acceperat. Et verò sine his artibus eruditísque linguis, historiarum antiquitatísque memoria, perfectum Iurisconsultum evadere posse neminem & sæpe ipse disseruit & scripto edito, ut posteritas posset exaudire, testatum reliquit. Decurso jam studiorum curriculo feliciter, Florentiam Etruriæ metropolim se contulit, cum Io. Metello Sequano homine eruditissimo, quicum ex studiorum, ut fit, similitudine vetus necessitudo intercesserat, & Pandectarum juris civilis volumen immensum, Iustiniani Imp. jussu à Triboniano collectum, ejúsque temporibus, ut creditur, priscis admodum litteris exaratum (qui thesaurus olim Pisis allatus est quantivis precij, religiosèque à Ducibus asservatus, tanquam Apollinis oraculum consulitur) cum Norica & nupera Gregorij Haloandri editione summa fide diligentiáque comparavit. Hic Lælio Taurello, egregio & diserto ejus ætatis Iurisconsulto, Florentiæ usus est familiarissimè, doctissimo item candidissimóque & de litteris bene merito Petro Victorio. Hinc doctoris

Emendat. Juris li. 2. cap. 1. & 2.

Ann 1536. Car. Sigonius li. XI. de regno Italiæ. Angel. Polit. li. 10. epist. 4. & Miscell. cap. 41. Viglius Zuichemus præf. Theophili & An. August. lib. 1. Emendat. juris.

sui Alciati vestigiis insistens, quòd incredibile & ipse juvandæ foris privatímque Reipublicæ & Philologiæ cupiditate flagraret, discrepantes lectiones & emendationes earúmque rationes, illas quidem ex membranis antiquis, has à se excogitatas, in eum libellum conjecit quem hinc *Emendationum juris* titulo inscripsit; móxque, non tam popularis auræ captandæ quàm bene merendi studio, excidere adolescenti sibi, annos vix nato quinque & viginti, passus est. Quo libello, *An.* 1543. si molem spectes, in speciem exiguo, sin rerum utilitatem ponderúmque momenta æstimes, sinuosis aliorum voluminibus anteponendo, (magnum enim librum magnum malum Aristophanes Criticus appellabat: Domitius verò Piso libros thesauros esse debere judicabat) Italiam, quà patet, nominis fama conturbavit, noménque cum omni posteritate adæquavit. Ad hæc plurimos exteros homines suo juvandæ jurisprudentiæ exemplo incitavit, ut iisdem ingressi vestigiis Itali, Galli, & Belgæ homines doctissimi, politiorem illam (qua hodie seculi aurei felicitate, depulsa omni barbaria, fruimur) juris civilis tractationem amplecterentur. Hoc ampliùs effectum est ut nostra etiam memoria Galli & Belgæ, juris antiqui studiosissimi, quos honoris caussa libenter nomino, Balduini, Rævardi, Curtij, Duareni, Contij, Connani, Goveani, Hotomanni, Russardi, Cujacij, ceteri, scriptis ad immortalitatem comparatis, jus vetus, adhibita philologia,

Athenæus.
Plinius præf.

mirificè illustrarint. Hac tanta celebritate famæ absentibus etiam, qui aliquid de ingeniis studiisque judicare aut possent aut vellent, notus Augustinus, Romam venit, quam urbium dominam terrarúmque deam esse, Vrbem etiam æternam indigitari didicerat, Paulo tertio decimum jam annum Ecclesiæ Christianæ clavum tenente: móxque singulari hominis doctrina explorata, duodecim-Viris Stlitium judicandarum, hoc est, sacri Palatij judicibus, adscriptus, omniúmque suffragiis dilectus, Lud. Gometio I. C. Hispano & Episcopo successit. Pontifici & Ecclesiæ fidelem operam navavit, ea integritate atque innocentia ut difficile sit dictu abstinentiáne majore vixerit, an in jure dicundo severitate graviore sit usus. Iulius tertius P. M. sextum post annum suffectus, adeo Antonium dilexit ut & intimis consiliis adhibuerit, Legatúmque summa cum auctoritate in Britanniam insulam opibus florentissimam miserit, cùm Rex verè Catholicus Philippus secundus Mariam Reginam, Catholicorum regum Ferdinandi & Isabellæ neptem, duxit uxorem, Reginaldi Poli Cardinalis præstantissimi auspiciis; & insulanis pacem Ecclesiæ tranquillitatémque, exoriens veluti sol, attulit. Sed ô rerum inconstantiam mirámque vicissitudinem! Vt nihil est in rebus humanis proprium, nihil perpetuò bonum! Nec enim diù gaudere pacéque frui datum. Immatura enim Reginæ feminæ lectissimæ mors ætatis octavo & tricesimo (nata enim uno ante Augustinum

Martial. & Frontinus 2. De aquæ ductibus urbis Rom.

Anno 1544.

1550.

1554.

anno) Eccleſiæ Dei Reíque publicæ ex inſperata lætitia ſummum attulit mœrorem. Sed & alterum triſtitiæ argumentum oblatum. Hac enim tempeſtate, flagrante bellō Gallia, Carolus mundi vanitatum pertæſus, & regnorum mole feſſus, tot victoriis de Gallo & Turca, rebúſque geſtis, omnibus qui ante illum fuerunt Auguſtis comparandus, imperio ſua ſponte abdicavit, faſces depoſuit, filiò- que tradidit, & apud Carpetanos in ſolitudinem, ut quod reliquum eſſet vitæ curriculum, totum rerum divinarum contemplationi precibúſque ad Deum Opt. M. fuſis impenderet, ſeſe abdidit, raro ac pæne inaudito ætatum omnium exemplo poſt Lotharium Imp. Caroli Magni nepotem: qui tamen, ut creditur, tœdio rerum adverſarum victus, cùm Ludovico, à Carolo fratre altero, poſt quintum decimum imperij annum monaſticam vitam amplexus eſt. Diocletianus verò cum collega Maximiano, immanes tyranni & feræ crudeliſſimæ, imperij quidem inſignia & ipſi poſuerunt, hic Nicomediæ, alter Mediolani, ſed ſi veram cauſam quærimus, deſperatione quadam adducti opprimendi, in quos impotenter ſæviebant, Chriſtianos. Amurathes item Turcarum Rex, majorum noſtrorum memoria, Mahumeti Othomano filio, paulò ante captam Conſtantinopolim, Orientis imperium conceſſit. Verùm neque metu, neque animi perturbatione, aut quòd laborem periculáque defugeret, Carolus ſeceſſit; ſed ſolum pietatis innatæ ſtudium, ut rationem ge-

1516.

1555.

Circa annum Chriſti 850.

An. Chriſti 304.

Anno 1450.

sti imperij Deo judici reddendam longè antè subduceret, in eam mentem impulisse videtur. At unde digressa est revocetur oratio.

An. 1555. Revertit ex Anglia Romam Augustinus, Paulúmque ejus nominis quartum apostolicæ navis gubernaculo admotum comperit, Vrbémque armis militaribus Hispanorum cinctam

An. 1527. *ad* VII. *Id Mai.* metúque nuperæ direptionis consternatam. Tandem armis positis redditur Ecclesiæ otium atque tranquillitas. Pòst ab ipso Allifanus Episcopus creatus, missúsque pontificia auctoritate ad Ferdinandum Cæsarem in Germaniam. Qua honorificè obita legatione, gregem sibi creditum adiit, eúmque omni humanitatis genere & liberalitatis est prosecutus. Hinc non diù, ut motoriam egisse fabulam suis ingratiis videatur, Siciliám insulam, opibus florentem & frugibus, ut horreum Italiæ atque Hispaniæ appellandum videatur, Philippi Regis Catholici auctoritate atque auspiciis lustrare jussus, integrè id munus obivit, ut & Regi gratum officium præstiterit, & insulanis jus sanctè administrarit. Reversus iterum in Hispaniam est, ut optimo Regi, cui debebatur, rei gestæ ratio redderetur. *Ea est enim imperandi optima conditio,* inquit Tacitus, *ut non aliter ratio constet quàm*

Tacit. lib. 1. *Annal.* *si uni reddatur.* Mox Ilerdensium episcopatus à Pio quarto nec opinanti traditur & repugnanti. Sed victus precibus cessit. Nam & Petrus Augustinus, natu major frater, eo ipso tempore Oscam (non procul inde sitam antiquissimam Hispaniæ academiam, quò jam

inde à Q. Sertorij temporibus Hiſpanica juventus erudiendi gratia mitti ſolet) Epiſcopus tenebat. Inde Tridentum uterque profectus eſt, quò, indicta ſynodo œcumenica, tanquam ad panegyrim ex omnibus orbis partibus doctiſſimorum ſimul ac pientiſſimorum hominum, ſarciendæ Eccleſiæ catholicæ concordiæ, conventus fiebant. Auguſtinus itaque, ut erat eccleſiaſticarum rerum uſu peritiſſimus, ſacerdotum illis temporibus mores paululùm à majorum gravitate degenerantes ſolutámque diſciplinam ad priſtinum decus continentiámque revocanda cenſuit, ratus, quod res eſt, hinc, tanquam à capite, corporis medicinam, ut membra convaleſcant, inchoandam. *Propter nos*, inquit cum Iona Propheta, *hæc tempeſtas in Gallia Germaniáque exorta eſt. A domo itaque Dei auſpicandum. Occurrite, Patres, labenti Reipublicæ.* Præclarè Auguſtinus; & perhoneſta oratio. Meminerat enim Numantiam Carthaginémque ſuperari evertíque à Scipione Africano minore non antè potuiſſe quàm correcta militum, qui jam luxu, otio, deliciíſque pridem enervati languebant, diſciplina. Legibus itaque de ordinum diſciplina ſanciendis adfuit, juvítque in partem. Anno pòſt tertio rurſum in Hiſpaniam navigavit, & Ilerdæ Eccleſiam rexit optimis & legibus & inſtitutis. Eccleſiaſticos ritus precéſque, quibus ſacerdotes aſſuefierent, compoſuit. & Collectionem canonum antiquam Anſelmi Lucenſis, quarti juris pontificij compilatoris, edidit. Annos

Plut. in Sertorio.

Ionæ 1. d.

Livius lib. LI. *&* LVII.

ipsos sedecim ei sacerdotio summa pietate ac
Anno 1576. religione præfuit. Post, longo satis intervallo, à Gregorio tertio-decimo, Pontifice verè maximo, & bonorum omnium parente optimo, Tarraconensis Archiepiscopus renunciatus, hanc Ecclesiam ad extremum usque spiritum Præsul quartus & tricesimus sanctè innocentérque, ut scitis, administravit; vixítque jucundè in hac urbe, propter antiquitatis Romanæ impressa vestigia, theatrum, circum, titulos, nummos, & inscriptiones, quibus referta urbs est, ut & mœnia omnia Romanè loqui videantur. Romanorum enim hic portus nobilis, hæc statio, huc cursus fuit; erátque, ut vos non fugit, citerioris olim Hispaniæ caput Tarraco. quæ pars ulteriorem, Bæticam nimirum & Lusitaniam, magnitudine longè superabat. Hæc illa illa est Tarraco, (Patiamini me, quæso, auditores, animo meo morem gerere, & hæc breviter perstringere, quando me in hoc dicendi genere tam diligenter attenditis) hæc inquam Tarraco est jam inde à veterum Scipionum temporibus clara urbs, cùm populus Romanus cum Carthaginiensibus de imperio totius Hispaniæ vitáque contenderet; ut de Græcis Polybius, prudentissimus revera scriptor,
Polyb. lib. 1.
Livius lib. 28
Plinius li. 3. c. 3.
de Latinis Livius, memoriæ prodiderunt. C. item Plinius major Scipionum opus appellare non dubitat. Sed institutum urgueamus, quando ad extremum usque vitæ actum fabulæque catastrophen, tristem illam quidem,
An. 1586. sed in qua sunt omnia, pervenimus. Obiit enim

enim Augustinus naturæque concessit, sibi quidem suo tempore, (Dici enim non potest quàm corporis his compagibus cum Paulo solui optaret) Reipublicæ verò Ecclesiæque Dei laboranti nobísque nimis præproperè. Ætatis quidem septuagesimo abiit è vita, qui ferè humanæ vitæ terminus ab antiquis philosophis, doctissimis hominibus, angustus sanè nimísque brevis, circumscribitur. Extat & divinum regij vatis oraculum: *Dies*, inquit, *annorum ejus septuaginta anni. Si autem in potentatibus*, (hoc est, ut Hebræi legunt, si admodum robustus fuerit) *octoginta anni. Ampliùs eorum labor & dolor.* id est, ut iidem interpretantur, pars ætatis princeps, juventa, dolorum plena est & molestiarum. O brevem igitur hominis vitam! O exiguum nimis curriculum! O miseram hominum conditionem! Quamobrem præstans ille philosophus Theophrastus moriens cum Natura expostulavit, brutis animantibus, quorum nihil intererat, longam ætatem concedi, ut cervo, ut cornicibus, ut phœnici, teste Hesiodo, homini verò, qui rationis sit & orationis particeps, nimis angustis temporum spaciis vitam concludi. Verùm est in promptu quid respondeam, & ad consolationem facit plurimùm, sic placitum Deo imperatori, qui nos in hac vitæ statione collocavit ea conditione ut cùm vellet hinc evocaret, & quasi rude donatos ad feliciorem vitam transferret, æternam, finisque expertem. Sed & Sallustius philosopho illi pro me respondeat. *Dux*,

Philipp. 1. c.

Macrob. lib. 1. Somnij Scipionis cap. 6.

Psal. 89.

Cic. Tuscul.

Hesiod. apud Plut. De oracul. defectu.

Sallust. initio Iugurt.

inquit, *atque imperator vitæ mortalium animus est, qui ad gloriam virtutis via grassatur, abundè pollens potènsque & clarus est.* Ratio igitur & animi morte carentis industria & vires corporis & longævæ ætatis durationem, quibus à brutis animantibus superamur, facilè pensant longèque vincunt. Quæ cùm ita sint, Antonio gratulandum potiùs quàm lacrymis indulgendum esse censeo. Ille enim jam tum cùm erat incluſus in corpore, cœlestia assiduè animo præcepit, & ea quæ suprà erant contemplans, quam maximè se à corpore abduxit. Nunc verò voti sui compos ex corporum vinculis tanquam ex carcere evolavit. Nostra verò hæc, quæ dicitur vita, mors est appellanda. O te felicem igitur, Antoni, ô térque quatérque beatum, qui his vitæ laboribus in tam laboriosa ac diuturna peregrinatione à cœlesti patria defunctus, requietem capies sempiternam! Nos contrà miseri, qui superstites sumus, tot malis, quibus hæc mortalium vita referta est, morborum, ægritudinum, bellorum, pestis, famis, dolorum denique omnium obnoxij. Rectè itaque Thraces, cetera barbari, pueros recens natos lacrymis excipiebant, humóque lacrymantes tollebant; vita verò functos gaudio efferebant, omníque lætitiæ genere deducebant, quòd malis omnibus defuncti morte esse viderentur. Quid nos humanitate excultos facere par est, auditores? Quanto rectiùs poëta Ennius, Rudinus homo, qui mortem suam lugeri lacrymísque decorari ve-

Cicero Catone.

tàt quòd eam immortalitas consequatur. *Cur?* inquit. *Volito docta per ora virum.* Sic Antonij nomen excipiet omnis quæ consecutura est ætas posterorum. Sed efferor studio, longiùsque opinione provectus sum. Ad me redeo. Verùm quando satis multa in his temporum angustiis dixisse videor de vita Præsulis amplissimi, reliquum est ut de perfecti Iurisconsulti & Episcopi munere breviter dicendum esse videatur. Cùm enim domicilium Romæ Antonius haberet, pontificiarum caussarum judex æquissimus, & quasi rerum ac fortunarum suarum sedem ibi, si arbitratu suo perpetuò vivere licuisset, horis subsecivis, quibus à negotiis publicis laxamenti aliquid dabatur ad corporis animíque relaxationem, cum eruditissimis hominibus, qui domum ejus assiduè discendi gratia frequentabant, Octavio Pantagatho, Gabriele Faërno, Basilio Zancho, Onuphrio Panuinio, Pyrrho Ligorio, Paulo Manutio Aldi F. Carolo Sigonio, & qui hodie vivunt, Latino Latinio & Fulvio Vrsino, Metello item Sequano, qui XI. ipsos annos in illius contubernio jucundissimè vixit, ceterísque domi suæ, quæ illis oraculum, verius Delphico, esse videbatur, de urbis Romæ antiquitatibus, inscriptionibus, numismatis, rerum gestarum memoria, & scriptoribus antiquis Græcis atque Latinis, omníque adeo philologia & interioribus litteris libenter differebat, & instar apis undique decerpebat, quibus Spartam, quod aiunt, illustraret suam. Hoc otium M. Varronem &

De perfecto Iurisconsulto.

Festum Pompeium illustravit, aliísque ut legi & intelligi possint, & calamistris inurerent ij qui majori & otio abundabant & subsidio, in manus tradidit. nullum denique acroama jucundius quàm hujusmodi litteratissimorum virorum in hexedra consessum atque coronam, nullum senatum præstantiorem sibi videri dicebat. Memoria teneo cùm diceret (sæpe enim de perfecti Iurisconsulti officio, qualem Oratorem M. Tullius, & qualem Reip. ideam Plato ille divinus quæsivit, graviter ac disertè disserere solebat) eas quæ verè, ut sunt, ita appellantur, humanitatis disciplinas suppeditare prudentibus, ubi animus ex forensi strepitu reficiatur, hominésque paulò politiores juris interpretum quorundam rustico & incondito sermone defessos hic conquiescere & debere & solere, nec ferre animos posse tantam contentionem nisi amœniori oratorum, poëtarum, & historicorum lectione relaxentur, atque adeo ex his & philosophorum spaciis, incredibile dictu esse quantum crescat hæc ars judicandíque facultas. Poëticam iccirco adolescens attigit; pangebátque interdum carmen, alternis versibus longiusculis, non invito Apolline. *Equidem de me*, inquit, *confitebor ingenuè, nunquam me ab his studiis abhorruisse, sed ad illa respectum habere; sine quibus litteris nihil diù victurum posterorum memoriæ prodi potest. Nec me pudet, nec cur pudere debeat video. Ceteros pudeat qui ea ferè quæ ingenij tarditate vel ignavia consequi non potuerunt, in aliis dam-*

nare ſolent & vitio vertere, ne ſe ipſi ignaviæ vel inſcientiæ condemnare tacito quodam præjudicio cogantur. O tempora! O mores! O inſipiens hoc ſeculum & inficetum! Iaceret profecto juriſprudentia, reliquæque diſciplinæ peſſum irent denſa tenebrarum caligine involutæ, niſi litterarum lumen accederet. Sic ille. Quamobrem nulla Antonij ingenium doctrinámque poſteritatis oblivio obſcurabit, editis tot ingenij monumentis ad jus antiquum Romanum rectè enucleandum. Nec enim ſilebitur admirabilis quædam ac pænè divina ipſius in legibus interpretandis, qualis ne in Servio quidem Sulpicio major exſtitit, ſcientia, in odorando unde partes à Triboniano miſerè divulſæ eſſent ſagacitas, in depravatis locis ad ſanitatem revocandis felicitas, in falſis ſententiis refellendis modeſtia, in omnibus, qui quidem aliquid vel mediocre in commune contuliſſent, laudandis ſingularis ac pænè propria illi humanitas. Denique de illius ad verum evadendi incredibili prudentia nulla unquam ætas conticeſcet. Veritas enim & ratio ipſa, quæ legum eſſe anima perhibetur, in Democriti puteo demerſa, non à quibuſvis erui poteſt; ſed ſumma opus induſtria, maximúmque ſtudium eſt adhibendum. Omnes certè ex omni ætate (liceat enim mihi apud vos præfiſcine quod ſentio dicere) qui intelligentiam juris habuerunt, vix ſunt ad Antonium Auguſtinum comparandi; aut ſi quem æquare ſtudeas, præferas certè neminem, quòd felici hoc & aureo litterarum ſeculo, bella

Cic. Philipp. ix.

modò civilia conquiescerent, & eruditissimis hominibus affluente, nemo fortasse ad jus sacrum profanúmque illustrandum, ad artémque redigendum, & dispersa meliùs colligenda, aut majores animos aut plura litterarum subsidia, cùm ab Antonio discessero, Cujacium semper excipio, attulisse videatur. Neque magis juris quam justitiæ consultus fuit in æquitate explicanda summa animi constantia, ut pro libidine leges ac refigere minimè sibi licere existimarit. non actiones ampliandas, non lites ex litibus serendas, more hujus ætatis, judicabat. quod hominum genus olim leguleios, rabulas forenseis, vulturésque togatos appellabant. Meritò itaque à nostri seculi prudentibus Augustinus, ut apud M. Tullium Q. Mucius Scævula, Iurisperitorum eloquentissimus & eloquentium juris peritissimus publicis in scholis (fremant licèt omnes æmuli & indocti homines) honoris gratia nominatur. Magna verò & pænè incredibilis in eo ad extremum usque spiritum memoria, quæ est Iurisconsultorum propria, semper viguit, aucta assiduis lucubrationibus discendíque cupiditate. qua una re veterum videatur concessisse nemini. ut quantum ætate mala vires magis minuebantur, eo animus in dies magis magísque crescebat doctrina; & hebetata oculorum acie, animus verum cernebat acutiùs. Vt enim homini propria est veri inquisitio atque investigatio, trahimúrque omnes & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, sic ma-

Ab Amm. Marcell. Appuleio, & Petronio.

In Bruto.

jor in iis existere ea solet & debet qui onera Reipublicæ sustinent graviora, quique vastum illud juris pelagus conscendere parant. Solon Athenienſium legislator, & unus in septem Græciæ sapientibus, senescere se multa in dies addiscentem gloriabatur. Idem etiam animam agens audire & discere exoptabat. Sed quid externa Græcorum, cùm suppeditent domestica Romanorum Iurisconsultorum, exempla commemoro? Pomponius enim I. C. *Ego discendi*, inquit, *cupiditate, quam solam vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum ætatis annum duxi, memor sum hujus sententiæ quam dixisse fertur Iulianus. Etsi, inquit, alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere quædam vellem.* Hæc ille. Vt autem adolescens jus civile egregiè & illustravit Augustinus & aliis viam quam insisterent monstravit munivítque, sic matura jam ætate atque judicio jus quoque pontificium, eadem animi alacritate, ut sacerdotem, Episcopum, atque adeo Christianum Iurisconsultum decebat, accuratè sibi recensendum emendandúmque putavit. Ad hæc, ex quo Tridentino Concilio domum revertit, Concilia œcumenica quattuor, quæ beatus Gregorius P. M. quatuor Evangeliis subjungere & æquare non dubitavit, collectis in Italia ex omnibus bibliothecis exemplaribus Græcis, Græcè edere cogitabat, quòd ea canonum collectio eo magis indigere hac lucubratione videretur quo infeliciori nata erat seculo, ex compilationibus Burchardi

Valer. Max. lib. 8. cap. 7.

Lib. XL. Pandect. Tit. De fideicom. libert. cap. apud Iulianum.

Ius canonicum.

Vvormacienſis, Ivonis Carnotenſis, Deusdedit Cardinalis, Anſelmi Lucenſis, & Gratiani monachi, qui & ipſi ex ſanctorum patrum Eccleſiæ catholicæ ſcriptis hinc inde ſententias in claſſes redigere & ad capita revocare conati ſunt; quemadmodum antea ex infinitis propè veterum prudentum reſponſis Tribonianus I. C. Iuſtiniani Imperatoris juſſu Pandectarum volumen collegerat, exſtinctis veterum, unde tabulas illas naufragij deſumpſerat, libris. Sed cùm utrique à librariis temporúmque injuria malè accepti ſint, melior tamen Gratiani conditio fuit, quòd ejus fontes integri exſtent, Pandectarum verò maximam partem perierint, exceptis nuper in Gallia repertis Caij & Vlpiani Inſtitutionibus fragmentíſque legum. Iuliani item Anteceſſoris Conſtitutiones & Theodoſianus codex in partem juvant. Iuvant & Græci, qui Romanorum leges Græcè exſcripſerunt, Theophilus, Harmenopulus, & βασιλικὰ quæ vocantur. Sacro verò juri illuſtrando, poſt duos Antonios Gallos Democharem & Contium qui in Gratiani collectaneis elaborarunt, Ilerdæ Collectiones antiquas integras Anſelmi Lucenſis, ut dixi, foras dedit, opus rarum & utile. Quadraginta ad hæc dialogis de Gratiani emendatione diſſeruit. Ea verò tempeſtate commodùm optimus Pontifex Gregorius tertius-decimus, qui & ipſe juvenis Bononiæ ſuæ Iuris Anteceſſor fuerat, ſupplicibus præterea libellis rogatus Michaëlis Thomaſij (qui nuper, ut ſcitis, Ilerdenſis

Episcopus, magno sui relicto desiderio, vita decessit) de sacrorum canonum Gratiani collectione ad fontes exigenda restituendáque negocium & doctis hominibus Romæ, in his Petro Ciacconio, homini ut dictissimo, sic ad antiquos scriptores instaurandos bono publico tanquam de cœlo delapso, & academiis omnibus dederat; perfectúmque est tandem aliquando ut nunc minùs turbidè rivuli illi decurrant, multas tamen ut Antonio spicas legendas his ipsis duobus libris reliquisse videantur. Nec his contentus, ad artem redigere, quod in jure civili M. Tullius aliquando cogitarat, cœpit Antonius jus sacrum, nimis diffusè nec satis via & ordine traditum, edita nunc Epitome juris canonici, ad artem methodúmque revocatæ ea parte quæ de personis est. Altera enim de rebus ipsis, & tertia de actionibus atque judiciis, quo ordine Iustinianus Imp. Institutiones edendas curavit, in adversariis adhuc latent, lituris plenæ. Verendum itaque, quod invitus refero, atque utinam falsus augur aliquando deprehendar, ne parentis immaturo interitu partus ille aut postumus sit nec satis politus exeat aut, quod Deus ne siverit, perpetuò delitescat. Quam enim partem Veneris Apelles inchoatam reliquit, nemo pictor est inventus qui absolvere auderet. Habetis, auditores humanissimi, quæ de perfecto Iurisconsulto pro re nata breviter mihi leviter his tincto in mentem venire potuerunt. Accipite nunc Episcopi optimíque pastoris per-

Cic. III. Off.

Episcopi munus.

sonam, quam ad imitandum, tanquam expressam imaginem, liceat intueri. Non enim eorum solùm hominum qui nunc sunt, quíque aliis erunt in annis, gloriam Augustinus superavit, sed & veteres aliquot virtute doctrináque adæquavit. Divus enim Paulus, vas illud electionis, Tito Cretæ atque Timotheo Ephesi Episcopis exemplar optimi Ecclesiæ Præsulis adumbravit, quem omni reprehensione notísque ignominiæ carere oporteret. Ei potissimùm tres has res inesse oportere tradit, doctrinam, virtutem, & auctoritatem. De quibus cùm breviter disseruero, finem dicendi faciam. Quis igitur hoc homine nostra parentúmque memoria doctior? Quis omnis antiquitatis, etiam ecclesiasticæ, peritior? Quis in docendo scribendóque disertior? Quod scriptorum genus sacerdoti necessarium non attigit, non ad unguem tenuit, non litteris exornavit? Clamant & pro me testimonium dicunt tot scripta ab illo prudenter, accuratè, cogitatèque meditata, & ad veterum normam revocata. Quæ idcirco consultò prætereo quòd ea vos colligere animóque repetere, sunt enim in promptu, manibúsque gestantur, possitis. Tarraconensium enim Episcoporum decreta illustravit, pœnitentiæque canones edidit. Synodum ad hæc Episcoporum nuper in hac ipsa æde sacra coëgit, utilitérque multa sancivit. Iustitiæ verò ejus publica hæc documenta habeo, cùm in civili Republica, tum Ecclesia administranda. Raros enim & nisi natu jam gran-

Ad Titum 1. 2. *Ad Tim.* 3.

diores, vitáque castè & innocenter acta probatos, altaribus admovebat. Quod tantum abest ut vitio verti ut summæ etiam laudi atdi atque constantiæ tribuendum censeam, censéntque omnes qui ordinis sacri mysteriorúmque Ecclesiæ dignitatem majestatémque animo perspectam habuerint, memineríntque avitis illis & incorruptis nascentis Ecclesiæ temporibus, ut à sordibus cùm avaritiæ tum libidinum alieni ad altare rémque divinam accedebant, sic plerunque munus hoc arduum per se ac difficile sacerdotij & Episcopi fuga in loca sola vitabant primi illi heroës, homines divini, *a* Gregorius, *b* Chrysostomus, *c* Martinus, *d* Ambrosius, *e* Augustinus, ceteri. Nonnemo etiam, ut accepimus, ne sacris, quibus se indignum esse judicabat, initiari cogeretur, abscisso pollice dextero, officium declinavit. *f* Paulus etiam Timotheum, collegam pænè suum, itinerúmque comitem, hortatur. *Manus citò*, inquit, *nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Te ipsum castum custodi.* significans fore ut si temerè quosvis ad sacra illotis, quod aiunt, manibus pedibúsque irrumpentes consecraret, ut ejusdem criminis reus sit, scelerísque participet. Integrum itaque & incorruptum à muneribus se servet hortatur. Quin & ethnicos majore religione in suis detestandis idolorum sacris usos deprehendi. Aristoteles enim in eo quem conformabat optimo Reipublicæ statu, non adolescentibus rerum imperitis &

a *Paulus Diaconus in ejus vita.*
b *Metaphrastes.*
c *Severus Sulpicius.*
d *Paulinus in ejus vita.*
e *Augustin. epist. 148. ad Valerium, & Possidius in ejus vita.*
f 1. *Timo. 5. d.*

Aristot. lib. VII. Politic.

solutis, sed senibus cultum rerum sacrarum demandandum, qui sacris operentur, suadet. Quid non, corrupto hoc seculo, facere par est? Doctos itaque, qui rari admodum in his oris, & natu grandiores, castos denique sacris admovebat, quibus opus esse maximè videretur, ne inutiles ventres alerent bona pauperum; ut hi in lege Domini meditarentur die ac nocte, litteris imbuti, hoc agerent, Deóque toti vacarent, precibus, jejuniis, séque á vulgo vitiísque abducerent. Profanos itaque jure arcebat à sacris, procúlque abesse jubebat, *Odi*, inquit, *profanum vulgus, & arceo. Favete linguis.* Nimirum nascentis Ecclesiæ, quæ, quò propiùs aberat ab origine, eò verum acutiùs cernebat, severitatem continentiámque revocare studebat. Valeant igitur, valeant qui ea calumniantur quæ summæ sint laudi tribuenda. Nunc reliquas virtutes perstringamus. Quanta in eo Præsule integritas? nihil ut gratiæ, ne in proximis quidem agnatis, unquam tribuerit. Tros Tyriúsque illi nullo discrimine habitus. Quanta temperantia in victu cultúque corporis, quanta comitas & morum facilitas, quanta gravitati conjuncta humanitas, quanta in rebus maximis ac difficillimis aggrediendis gerendísque animi excellentia, ad exitúmque perducendis constantia, quanta in jure dicundo æquitas, in providendo acumen, in omnibus denique rebus æquabilitas! Idem semper vultus, sive adversa sive secunda inciderent; eadem frons, eadémque

Horatius lib. 3. Oda 1.

mens. Nemo domesticorum viginti retro annis iratum vidit. Adeo domitas animi perturbationes habebat. Castitas verò tanta ut feminam nunquam credatur attigisse. Cum libris enim fidis sodalibus assiduè colloquens, otium commerciúmque matronarum devitabat. Singularis verò illius & prædicatione digna maximè semper exstitit in pauperes beneficentia ac liberalitas, quos & audiebat ipse libentissimè stipem postulantes & queritantes de injuria potentiorum. Quare à congressu suo arceri prohibebat, quòd CHRISTI membra esse prædicaret, ejúsque personam hîc sustinere, se bonorum Ecclesiæ dispensatorem esse duntaxat. *Vtinam*, inquit, *satis idoneus reperiar. Res hæc, ut & vita hæc vitalis, non mancupio sed usui tantùm datur à principe illo Deo, in quo vivimus, movemur, & sumus. Ei subducenda æra ad aßem eße, extremo judicij die, quo omnes nos manifestari ante tribunal illius oportet.* Hi sermones illius quotidiani, hæ cogitationes, hîc mens defixa, humana omnia; principúmque amicitias, quæ donis alitur augetúrque, facilè contemnebat. Calices itaque & vasa argentea pignori opponi, libros etiam, quos & optimos & innumeros pecunia sua undique collegerat, & tanquam mutos magistros auro cariores habebat, alienari jubebat, si in annonæ caritate pecunia deesset alendis pauperibus; quibus hic ager, ut scitis, abundat. Hac verò, quæ vera est, liberalitate, ne singula, quæ sunt innumera, consectari videar,

Actor. 17. f.

Roman. 14. b. 2. Corin. 5. b.

effectum est ut tam inops à pecunia decesserit Augustinus ut ei, divo Augustino, quem seduló, ut nomine, sic & re ipsa vitáque exprimebat, vix suppetat sumptus quo efferri honestè queat. Thesaurisabat nimirum in cœlo, ubi nec fur nec tinea damnum opibus adferre possunt. Auctoritate denique, quod tertium caput propositum erat, tanta valuit justitiæque fama, de qua & alterum me civilis Reipublicæ exemplum allaturum promiseram, ut etiam adventus sui nuncio expectationéque prædones agri Tarraconensis omnes terruerit fugarítque. Quis enim antea vicus satis tutus ab illorum injuria videbatur? Quis non ager grassantium sicariorum insolentiam formidavit? Quis, quæso, iter faciebat qui non se in latronum fore potestatem timeret? Hic Antonius, ut alter Hercules, monstrorum domitor, Augiæ stabulum perpurgavit, agrum lolio & zizaniis, oram omnem monstris liberavit. Vt enim Sol tenebras radiis suis discutit, sic adventu suo agrum latrociniis infamem pacavit. Alij captivi latrones adducti vinctis post terga manibus, alij ultro ejus sese potestati dediderunt, pœnas plerique more majorum dederunt. Pro Deum immortalem! Tantáne unius hominis, & quidem togati, in studiísque educati, incredibilis virtus, famáque justitiæ & severitatis, tantam tam brevi tempore lucem tranquillitatémque Reipublicæ adferre potuit? Eat nunc Pompeius, qui suam in bellis conficiendis celeritatem summam jactabat,

Ado Trevirens. in Martyrol. 28. Augusti.

Matth. 6. c.

quòd intra quinquagesimum diem bellum piraticum cum Cilicibus prædonibus & grave & periculosum confecerit. Cedat huic Antonio quantum arma togæ & laurea laudi Ciceronis concessit. Noster enim citiùs agrum hunc latrociniis, furtis, rapinis, stupríſque infestum purgavit, ignominíæque nota exemit. Ignoscebat, qui deliquisset prudens, nemini, ne quidem si nobilis, si proximus cognatus is esset; ne & quid ipse tale posthac committeret, & ceteri essent ad injuriam tardiores, à flagitiísque exemplo deterriti, abstinerent. ratus, quod res est, non posse alios in officio continere eum qui se ipse non continet ab avaritiæ sordibus & cupiditate, neque severum esse judicem in alios posse qui sibi ipse non imperet, nec animi perturbationes domitas habeat, neque alios in se severos esse judices velit. Erat ad hæc, quando & id ad auctoritatem conciliandam pertinet, summa in eo corporis dignitas, statura procera, egregia corporis membrorúmque habitudo, robusta ad extremam ætatem valetudo ac firmitas, incessus gravis, in aspectu gravitas comitati conjuncta, in sermone lepor concinnáque brevitas. Iocis etiam urbanis interdum & salibus utebatur, sed cum litteratis hominibus. Ocelli perexigui, & flava coma; hebetata, ut fit, assiduis lucubrationibus oculorum acies. Vitreis itaque perpetuò usus est. Denique in toto corpore ea dignitas eluxit quam imperio dignam Euripides judicavit. Te, te igitur appello, An-

Apud Porphyrium & Stobæum. Πρῶτον μὲν εἰδὸς ἄξιον πυρρίδος.

toni, (Est enim, ut credimus, in morte sensus) quando est hoc in more positum institutóque majorum ut qui bene de Republica meriti, vita functi essent, pro funere laudarentur, si cuiquam justus honos Episcopo in morte habitus est, si quæ justa cum lacrymis persoluta sunt, nulli justiùs quàm tibi, mea quidem sententia, postremum hoc officium deberi videatur. Salve igitur & vale. Difficillimis Reipublicæ temporibus extinctus es, rebúsque ereptus humanis, ne ad interitum festinantis patriæ Cæsaraugustæ, intestinis bellis adolescentulorum opera labefactatæ, ruinam videre & graviſſimum acerbiſſimúmque casum lugere cogereris. Ad cœlestem nimirum patriam festinabas, quam multis antè annis animo præceperas, æternam illam beatitudinem, qua beati ævo sempiterno fruuntur, assiduis votis exoptans, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis venire potuit. Te, te igitur postremùm appellabo, antistes optime, iis verbis quibus M. Varronem tuum, togatorum doctiſſimum, M. Tullius olim affatus est, & divum Isidorum Braulius patriæ tuæ Episcopus; quos tu singulares viros unus hac ætate repræsentabas. *Tui nos libri in orbe & urbe peregrinantes errantéſque tanquam hoſpites quaſi domum deduxerunt, ut poſſimus aliquando qui & ubi eſſemus agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu ſacerdotum munera, tu domeſticam publicámque diſciplinam, tu ſedem regionum &*

Isaiæ 64. b. 1. Corinth. 2. b.

Cic. in Academ. quæſt. Braulius præfat. Etymol. Isidori.

& locorum, tu omnium divinarum humanarúmque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti; plurimùmque doctis hominibus omninóque Latinis litteris luminis attuliſti, & juri cùm divino tum civili facem prætuliſti. Et quoniam nemini veſtrùm, auditores, meus dolor concedit, nunc de me confitebor ingenuè. Equidem ita hujus viri morte ſum affectus ut nemo unquam unici filij mortem magis doluerit quàm ego hujus viri ita de me boníſque omnibus meriti ut parentis loco, dum vixero, ſim habiturus, Deúmque venerans aſſiduè, bene precaturus Manibus tanti viri; cujus ego ſermone biennium totum ita cupidè fruebar quaſi jam divinarem, id quod evenit, illo extincto, unde tanta diſcerem fore neminem. Maxima enim in illo, ut dixi, cognitio antiquitatis, ſumma ſcientia juris antiqui legúmque Romanarum & familiarum; multæ in eo, ut Romæ natus videretur, litteræ & elegantia ſermonis Latini. Ciceronem etiam ſenex legebat aſſiduè, ut eloquentiæ principem. Iuris verò tanta in eo accùratio ut veterum aliquis præſtantiſſimorúmque prudentum, Paulus, Vlpianus, aut Papinianus ab inferis exſtitiſſe ac revixiſſe vel animam, ex Pythagoræ ſententia, recepiſſe illorum videretur. Quanto porrò hiſtoriarum antiquarúmque rerum Græciæ & Italiæ explicata cognitio! Ius pontificium & civile ita illuſtravit, hoc adoleſcens, ſenex illud, ut principem illum Iuriſconſultorum noſtríque ævi florem delibatum uno ore

gentes omnes prædicent. Memoriæ proditum Q. Catulum, clarum Romæ oratorem, cùm de belli Mithridatici (quod & genere necessarium, & magnitudine periculosum, magna varietate terra marique gestum est) imperatore deligendo ageretur, quæsiisse ex populo Romano, si in uno Cn. Pompeio omnia ponerent, si quid illi, ut sæpe fit militiæ, humanitus accideret, in quo spem essent habituri, eo ipso die sui de Magno judicij ac pietatis hunc fructum retulisse ut uno omnes ore cives in ipso uno spem habituros responderint. Sed nos tanti viri jactura, hoc amisso patrono, hoc parente optimo sublato, quem respiciemus, quem appellabimus? Te, te inquam, Ioannes Teresi, qui jam Dertusanus Episcopus designatus cùm esses, hàcque commodum iter haberes, peropportunè accidit ut Antonio in morte postrema illa officia exhiberes, Ecclesiæque catholicæ matris nostræ sacramenta illi conferres omnia quibus juvari morituri, more majorum, solent. Ille verò, ut spero & opto, in beatorum sedibus, ubi summa felicitas est, Dei Opt. Max. aspectu assiduè perfruetur: quem quidem nunc tantùm videmus in speculo & ænigmate, illic autem facie ad faciem, sicuti est, videbimus. Equidem, ad me quod attinet, si pro immortalibus ejus in me officiis parum cumulatè satisfeciisse citò videar, (quis enim præstare hoc possit?) quæso à vobis, auditores, obtestórque ut & ingenij mei tenuitati & brevitati temporis mihi ad

Cic. in Maniliana.

1. Corinth. 13. d.

me comparandum dati dandam esse veniam putetis, dum & ætatis incremento, & uberiori anni proventu, studiorúmque progressu majora à me pietatis officia, mortuo debita, de vita illius sanctè innocentérque acta, scriptísque ad immortalitatem comparatis, longè his copiosiora exspectare possitis.

DIXI.

D. O. M. S.

ANT. AVGVSTINO DOMO CÆSARAVG.
ROMÆ OLIM IN VRBIS ET ORBIS LVCE
XII. VIRO STLITIVM IVDICAND.
EX ALLIFANO ET ILERDENS. EPISC.
TARRACON. ARCHIEP. IN PAVPERES MVNIFIC.
O. B. DE ANTIQVIT. ET LITTERIS MER.
IVRIS CIVIL. ET PONTIFICI INSTAVRAT.
IN HOC ÆDIS SACRÆ D. THECLÆ VIRG. ET MART.
A SE AMPLIATÆ MEMBRO ET AD ARAM.
CORPORI CHRISTI CONSECRAT.
IN SPEM RESURRECT. QVIESCENTI
S. P. Q. TARRAC. P. H. C. ET COLLEG. CANONIC.
PARENTI OPT. LIB. MER.
PON. CVR.

VIXIT ANN. LXX. M. III. D. III. OBIT DAMNO PVBLIC.
PRID. KAL. IVNIAS ∞. IↃ. LXXXVI.

Mortalis cum sis, mortuo bene precare.

NÆNIA
IN OBITVM
ANTONII AVGVSTINI
V. C.

SIccine me linquis, ſuperum jam ſede receptus,
Antoni? O nimis hoc flebile diſcidium!
Vt colui uſque ſenem ſincero pectore, campos
Sic utinam accedam fidus ad Elyſios.
Æternæ ergo mihi lacrymæ, ſi vita manebit,
Dum veniente die, téque abeunte voco.
Namque jaces flos ac decus ævi, utriuſque & ocelle
Heſperiæ, qua Sol occidit atque oritur.
Vixiſti, antiqui ô juris legúmque ſacerdos.
Iuſtum & cana fides deſeruere ſolum.
Lugete, ô Celtis miſcentes nomen Iberi.
Namque ferent, vereor, ſecula nulla parem.
Sítque ſuper tumulo, Pario de marmore, carmen,
A ſera dignum poſteritate legi:
Hic ſitus eſt Antonius; heic, auguſta pererrans
Templa Dei, & volitans docta per ora, jacet.
Carpe, viator, iter. Cineres, dic, omine fauſto,
Dum lux illa venit judicij, urna tenet.
Annua dum facies, perſolvens juſta, parenta:
Manibus haſce pij mittimus inferias.

AND. SCHOTTVS
ἐκ τῦ ἔμμετρα.

Ηελίῳ, σοφίας τε διδασκόπι ΑΥΓΟΥΣΤΙΝΩ
Σῆμα κεκὸν Σχότος πεύξε χαριζόμενος.

HIERONYMVS OSORIVS Episcopus Sylvensis ad Antonium Augustinum V. C.

TRiptolemus quondã sevit sacra munera frugum,
Legibus & gentem Cecropiam excoluit.
Tu leges ipsas atra rubigine tristes
Ingenio purgas, & sata læta facis.
Ille angui invectus volucri tenet æthera curru.
Te volucri fama ducet in astra decus.
Ille colit Cererem. Peragis tu sacra sacerdos
Matris Eleusinæ, sacráque Pieridum.
Evellis lolium atque inimicas frugibus herbas,
Inducísque satis Castalios latices.
Ergo Triptolemus tibi jam concedat habenas;
Et victus, currus deserat ille suos.

ELEGIA IN LAVDEM V. C. ANTONII AVGVSTINI Archiepiscopi Tarraconensis,

IO. GRVTERI ANTVVERP.

ÆStuo, confiteor, versóque stylum usque legendo,
Augustine, tibi dum bona verba fero.
Quotquot enim tecum componere de grege certo,
Cui sua cuncta Dei rara dedere bona,
Nil nisi cum melico Philomelæ gutture corvum,
Nil nisi cum cygno comparo Noctis avem.
O pater, ô sidus Romani nominis aureum!
O immortalis gentis Achaiæ honos!
Quis monumenta suas posset tua mittere in aureis,
Quæ veterum purgant oblita sensa patrum?
Ascia & in decus antiquum ignicolore refingunt
Iustinianei fásque piúmque chori.

Quin quoque te humani credat sub corporis umbra
Magnum aliquem indigetem dissimulare poli ?
Nobilis aut potiùs regali ex stirpe deorum,
Restituis mundo qui bene rursus opes.
Fallor ? an hoc quoque lanificæ sensere sorores,
Fata recens genito cùm cecinere tibi,
Et fore dixerunt in quo fas cernere priscos
Semiviросque deos, semideosque viros,
Quique ita doctrinarum exacta cognitione,
Quique ita virtutum divitiore penu,
Venturi premeres, premeréque superstitis ævi,
Et premeres ævi prætériti omne decus.
Qualiter igniculos astrorum Cynthius, haud cùm
Frigore contractus Ægoceronta colit,
Sed per odoratæ Erigones cum exultat aristas
Flammeus, atque citos æthere ducit equos.
Plaudite io Parcę : jam nunc in vestra sorores
Verba diem capiunt in veniúntque fidem.
Quique habitant nostris adversum gressibus orbem
Haud minùs atque quibus tera superna patet,
Nil Augustino melius majúsve dedisse
Aut dare cœlestes posse aliquando ferunt.
Augustine pater, pater Augustine, modesta
Lumina demissam quid jacis usque in humum ?
Sícne animos potiùs meritis poscentibus addes,
Verticéque elato tecta tuere Iovis ?
Nil ex parte tuis minima datur auribus. Ipsa.
Fama est magna tibi, sed minor ingenio.
Templum si tibi non centum sublime columnis
Auxisset variis mundus uterque plagis,
Divinósque palam vivo largitus honores
Aras sacrasset supplice ubique metu,
Certè ego, si quando tua fas evoluere scripta,
Scripta quibus genij splendet imago tui,
Algida sic quatior ferventi pectora thyrso,
Sícque coruscanti numine totus agor,
Ilicet ut superos sublatus ad aëris orbes,
Iam videar Themidis cernere pectus heræ,
Eque alto Astrææ solio auscultare docentem,
Pascere & ambrosia pro libitu ora dape.

Ipse Corinthiaco, ipse tibi Augustine, metallo
Struxero delubrum ad Scaldis euntis aquas.
Magnum opus, irritent cujus fastigia cœlos,
Vis hominum quod non diruere ulla queat.
Illic, exemplis Lysippi divite ab auro,
Magnorum spiret gens animosa Deûm.
Quemque sua exornet speciosо emblemate vestis,
Cuique sua obnubent florea serta caput.
In medio tu stes, Antoni, adamantinus, omni
Diffundens passim corpore tale jubar
Quale vomat Phœbi juvenilis imago, rubenti
Si Nabathæorum ex æquore saltet eques.
Nunc ego quid possum, cui gazæ nulla superstes,
Copia cui genij flamma pusilla micat.
Heu mihi, ceu violas non est comprendere Aprileis,
Quantáve in Hyblæo monte vagetur apis;
Sic neque gratanti tua facta æquare tenore,
Concipere aut liquidò mens animi ulla queat.
Mussem igitur meritò, vimque almi nominis almam
Rite sacrosancta religione colam.

ANTONIVS AVGVSTINVS ad Latinum Latinium Romam.

LVcebant Soles olim mihi candidiores,
Docte Latine, tuis
Octavíque patris dictis cùm pectus onustum
Sæpe foret variis.
Vltima nunc fessum vastis Hispania terris
Sole cadente tenet.
O mihi felices, frustra suspiria duco,
Præteritósque dies.
Viximus, antiquæ cùm Vrbis lustrare ruinas
Romuleæ licuit
Et Capitolinas pacatis prendere turres,
Aurea templa Iovis.
Innumeros illic varia de gente triumphos
Legimus in Tabulis,

Censores, cum Consulibus, populíque Magistris,
Ordine quemque suo.
Inde forum, sacrámque viam, mysteria Pyrrhi,
Discere dulce fuit.
Quid memorem veteres Ianos, atque Amphitheatrum,
Balnea, templa, domos?
Dulce fuit doctus cùm conviva abdita quæque
Protulit in medium.
Laudamus multi. Sed Fulvius atque Faërnus
Omnia ferre negant.
Sed quid ago? Verbosos ætas reddit amicos,
Care Latine, tuos.
Vive, memor nostri. Mihi Flaccus stillat in aurem,
Pulvis & umbra sumus.

IVDICIVM

ANTONII AVGVSTINI de eloquentia cum jurisprudentia conjungenda.

Præfat. in Iuliani Antecessoris Novellas.

CVM duo lectorum genera sint, quorum alteri discendi causa legunt, alteri solùm ut reprehendendi captent occasionem, illorum mihi habendam esse rationem, horum contemnendam esse calumniandi cupiditatem semper existimavi. Sive enim scribas, sive nihil scribas, sive hoc aut illo modo scribas, semper hi habent quod reprehendant. At studioso viro nullus liber est inutilis. Ab aliis enim dicendi, ab aliis vivendi rationem, ab aliis artes ac disciplinas, ab aliis historiam temporum, ab aliis alia atque alia discit. Illi se omnia scire jactant, haberéque se in quo Platones, Aristoteles, Demosthenes, Ciceropes, Papinianos, Iulianos, Vlpianos, & cereros quoscun-

que magnos viros sæpius errasse facilè ostendant. His igitur, qui nihil ignorant, nihil scribendum esse censemus; quando ad eos qui vitam Epicureorum deorum in terris degunt, nulla beatitatis accessio fiet. medicis hos tantùm committendos esse putamus. Studiosorum verò, hoc est, eorum qui discendi cupiditate tenentur, duplex etiam genus est, juris præsertim civilis. qua de re nunc agitur. Alteri enim nocere existimant linguarum peritiam, antiquitatis cognitionem, differendi aut dicendi artem, & ceteras disciplinas: quibus tamen veteres Iurisconsultos exornatos fuisse negare non possunt. Alteri his omnibus libenter operam dant, & ceterorum ignaviam, quam etiam stupiditatem appellant, vehementer irrident. Vtrosque admonendos esse potiùs quam irritandos semper censui. Peccare enim quosdam ex utroque genere hominum video, dum præter modum aut hi suavitate dictionis atque ornamentorum capti, minùs in hanc ipsam disciplinam incumbunt; aut illi nec sententijs sibi ipsis constant, in utrísque hærent, artis docendi rudes atque imperiti. Vtrisque Iuliani Antecessoris Novellarum librum proferimus, ut imitentur &c.

DE ANTONIO AVGVSTINO
Antonij Augustini patre.

Ex libro v. *historiarum de rebus gestis Franciſci Ximenij Cardinalis, auctore Alvaro Gometio Toletano. qui libri sunt penes me auctiores.*

ANtonius Augustinus regnorum Aragoniæ Pro-Cancellarius, Reip. malè gestæ insimulatus, in Septimancam arcem gravi custodia servandus missus est.

Quibus hæc addenda sunt, ut auctor adjicienda curavit.

Sed hic anno insequenti, regni summam Francisco

Ximenio Cardinale moderante, vadibus datis, custodia abiit. Antonius tamen honori suo consulens, de Ximenij voluntate, qui primo quoque tempore, postquam Rempub. gerendam suscepit, Antonij causam terminandam curaverat, ad Belgas concessit, Caroli quinti cognitionem imploraturus. Totius litis bene instructus index, & anteactæ vitæ testimonium sigillo regio obsignatum à Ximenio & supremi ordinis judicibus, ad Carolum mittitur! Causa I. Salvagio Cancellariæ præfecto, Garsiæ Padillæ viro optimo & integerrimo, Commendatorio Calatravensi, Maximo Montelto regenti, & Lodoico fisci advocato, viris prudentibus & juris utriusque apprime consultis, iterum inspicienda traditur. Qui accuratè litem retractantes, rursúsque Antonio facultatem concedentes alia in sui patrocinium allegandi, cùm nihil ille amplùs adjiceret, prima scilicet, quæ apud Hispaniam facta fuit, defensione contentus, viri optimi innocentia perspecta, omnium judicum calculis absolutus, Bruxellis in totius aulæ Palatinæ conspectu, sententia dignitatis & honorificentiæ plena secundùm ipsum pronunciatur anno Dom. cIↃ. IↃ. XVI. A. D. IX. KAL. Octob. Quod pergratum Ximenio accidit & ceteris supremi ordinis judicibus, qui Antonij Augustini integritatem & præstantiam multis jam olim experimentis noverant.

IVDICIA ET EVLOGIA doctorum hominum & Iurisconsultorum de ANTONIO AUGUSTINO.

IOANNES MENOCHIUS I. C. *insignis lib. Possess. recuperandæ remedio 15. nu. 5590.*

ANTONIUS AUGUSTINUS, Iuris nostri vetus alter instaurator; quandoquidem sua illa assidua & indefessa diligentia plura restituerit vetustate collapsa, quæ maximum alioqui nostris negocium faciebant.

PETRUS VICTORIUS *lib.* VIII. *Variar. lect. cap.* XXIV.

ANTONIUS AUGUSTINUS in suis Emendationum & Opinionum eruditissimis libris miro studio curáque ab ipso confectis.

HADRIANUS TURNEBUS *lib.* XXXIII. *Adverss. cap.* XVII.

ANTONIUS AUGUSTINUS vir & eruditissimus, & optimè de literis elegantioribus meritus, VARRONIS verò vindex, assertor, patronúsque unicus habendus, imò verò ejus potiùs Æsculapius existimandus.

IOSEPHUS SCALIGER IUL. CÆS. F. *Præfat. in Varronem.*

Non ignoro quantus vir sit AUGUSTINUS, quem sanè eruditissimum ex suis scriptis expertus sum; & scio longè feliciùs eum potuisse tractare hoc negocium, si voluisset.

ANDREAS PATRICIUS POLONUS ET CAROLUS SIGONIUS *in Frag. Ciceronis Orat. in Toga candida.*

Auctoritas sanè eruditissimi Antonij Augustini Ilerdæ Episcopi penitùs eam opinionem exemit: qui, ut in posterioribus suis scholiis adnotavit Sigonius, pro *avunculus* legit acutissima nimis conjectura, *à te Baculus.*

STEPHANUS PIGHIUS *in Annotationibus ad cap. 7. lib. 2. Val. Maximi.*

Vir nostro seculo summus Antonius Augustinus.

Paulus Manutius & Aldus F. eruditissimum sæpe appellant. Ille in Cic. librum v. ad Famil. epist. XIX.

Omitto Car. Sigonij, Gabr. Faërni, & Fulvij Vrsini in Notis Cic. & passim judicia. Onuphrij item Panuinij, qui in Romæ descriptione pleraque ANTONIO AUGUSTINO accepta esse referenda ait.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LIBRI

AB ANTONIO AVGVSTINO Archiepiscopo Tarraconensi partim conscripti, partim illustrari.

I. *Quibus humanitatis studia illustravit.*

IN M. Terentium Varronem De lingua Latina Emendationum Notæ. Romæ 1557. 8°

In Sex. Pompeium Festum Notæ. Venetiis 1559. & Parisiis 1584. 8°

Familiæ Romanorum xxx. cum Fulvij Vrsini Familiis. Romæ 1577. fol.

Dialogi undecim Numismatum Græcorum, Romanorum, & Hispanorum, Antiquitatum item & Inscriptionum veterum, Hispanico sermone scripti. Tarracone Philipp. Meij 1575. in 4° cum figuris æneis Romæ incisis. Iidem Latinè redditi ab Andrea Schotto. Antuerpiæ 1617. fol.

Bibliothecæ Antonij Augustini librorum manuscriptorum Græcè & Latinè Index. Tarracone Philipp. Meij 1586. in 4°

Epistola ad Hieronymum Blancam de Cæsaraugustanæ patriæ communis Episcopis atque Conciliis ad Hieronymum Blancam. Cæsaraugustæ 1588. fol.

II. *Quibus Ius Civile illustravit.*

Emendationum & Opinionum Iuris Civilis libri IIII. & Ad Modestinum sive de Excusationibus liber singularis, & Ad Lælium Taurellum I. C de Militiis epistola. Venetiis, Lug & Basileæ, fol.

De Legibus & Senatusconsultis Rom. in 4° Romæ 1584. & Parisiis fol. 1585.

De propriis nominibus Pandectarum, Tarrac. Philipp. Meij 1579. fol.

Novellarum Iuliani Antecessoris Epitome, cum Notis, & Constitutiones Græcæ, eodem Augustino interprete. Ilerdæ in 8° 1567. & Basil. fol.

III. Quibus Ius Canonicum réſque ſacras exornavit.

Antiquæ Collectiones Decretalium, cum eruditis Notis. Ilerdæ 1575. & Parisiis 1609. fol.

Canones Pœnitentiales, cum Notis ejusdem. Tarrac. 1582. & Venetiis 1584. in 4°

Dialogorum x i. de emendatione Gratiani libri duo. Tarrac. 1586. & Parisiis 1607. 4°

Constitutiones provinciales item & synodales Tarraconensium. Tarrac. in 4°

Breviarium, Horæ, item & Ordinarium Ecclesiæ Ilerdensis. Ilerdæ.

Epitome juris pontificij veteris, in tres partes, De personis, De rebus, & De Iudiciis. quarum prima pars edita Tarrac. 1586. fol. Romæ 1614. Parisiis 1641. fol. Secunda & tertia pars editæ Romæ 1611. & Parisiis 1641.

IIII. Libri nondum editi.

Iuris pontificij Institutiones.

Concilia Græcâ & Latina, cum historia, scholiis, variisque lectionibus.

In Pandectas Florentinas Index verborum omnium, & variæ lectiones.

Ad Hadrianum liber singularis. Item ad Edictum.

Fragmenta veterum scriptorum, historicorum, poëtarum, & oratorum Latinorum, ab eo olim collecta.

Epistolarum liber ad eruditos, & Carmina ejusdem.

ADMONITIO AD LECTOREM.

FAcilè credo Andreæ Schotto de se scribenti pag. 617. orationis funebris suprà editæ leviter se tinctum fuisse peritia juris. Itaque condonanda est viro eruditissimo hallucinatio de Anselmo Lucensi, quem pag. 607. & 616. ejusdem orationis, tum etiam in catalogo operum Antonij Augustini edito Antuerpiæ anno MDCXVII. cum dialogis de antiquitate nomismatum, existimavit auctorem esse veterum collectionum Decretalium ab Antonio Augustino Ilerdensi tum Episcopo editarum. Prioris enim antiquæ collectionis auctor, ut docet Antonius Augustinus, fuit Bernardus Circa Papiensis Præpositus, secundæ Ioannes Vallensis, tertiæ Petrus Beneventanus. De quartæ collectionis auctore nihil prodidit vir summus. Sed illa, cùm sit composita ex canonibus Concilij Lateranensis & epistolis Innocentij III. Romani Pontificis, tribui non potest Anselmo Lucensi, qui rebus humanis excessit exeunte seculo undecimo. Hæc te monere volui, lector, ut hunc scopulum faciliùs vitare possis.

PErventum erat ad finem operis, jámque operæ typographicæ accingebant se ad editionem

editionem Indicis, cùm forte fortuna incidi in duos antiquos bibliothecæ regiæ codices, in quorum uno continetur opus Gratiani, in altero descripti sunt priores septem libri collectionis quæ Anselmo Lucensi tribuitur. Codex iste non est admodum vetus, utpote scriptus superiore tantùm seculo. Attamen ex antiquiore descriptum esse constat. In fronte ponuntur nonnulla de modo celebrandi Concilij. Postea sequitur in loco tituli: *Incipit capitulatio librorum quos beatus Anselmus Lucensis Episcopus de coæqualibus causis singulos in hoc volumine libros composuit.* Et paulò infrà: *Incipit autentica & conpendiosa collectio regularum & sententiarum sanctorum patrum & auctorabilium Conciliorum facta tempore* sanctissimi Papæ à beato Anselmo Episcopo Lucensi ejus diligenti imitatore & discipulo, cujus jussione & præcepto desideranter consummavit hoc opus.* Hinc ergo auctoritas conciliari potest huic collectioni.

* Gregorij

Gratiani codex uno circiter seculo vetustior est, ut ostendemus paulò pòst. Nullum illic auctoris nomen comparet. Titulus, ut in ceteris veteribus libris, hic est: *Incipit concordia discordantium canonum.* In fine verò ista leguntur: *Explicit liber decretorum cum apparatu suo, quem ego Bruno Iohannis de Davantria Trajectensis diocesis, inter omnes juris canonici Doctores minimus, reduxi noviter in hunc stilum novum &c.*

Scriptum per me Brunonem prædictum in

episcopali palatio sanctæ Brixiensis Ecclesiæ anno à nativitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, die verò nona mensis Novembris, pontificatus sanctissimi Domini nostri Eugenij Papæ quarti anno sextodecimo. Fuit hic liber Petri Barbi Cardinalis Veneti, qui postea fuit Romanus Pontifex, dictus Paulus istius nominis secundus.

In eandem bibliothecam regiam his diebus, post absolutam hanc editionem, delatus est commentarius Guidonis Episcopi Elnensis in librum decretorum, qui illic Gratiani esse dicitur apertis verbis. In fronte codicis posita est epistola dedicatoria ad Gaucelinum Episcopum Albanensem, in qua consilium auctoris exponitur. Ejus hoc initium est: *Reverentissimo Patri in Christo & Domino suo Domino Gaucelino divina providentia Episcopo Albanensi sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinali frater Guido ejus humilis & devotus Dei permissione Episcopus Elnensis seipsum.* Et infrà: *Multorum denique amicorum importunè instantium precibus devictus ut actoritates novi & veteris testamenti ac sanctorum, quas magister Gracianus in toto decretorum suorum libro allegat, suis locis inscriberem, & unde acceptæ sunt fideliter denotarem, hoc certè opus absque præsumptione, innixus auxilio divinæ gratiæ, flagitantium caritate deflexus, incipiam.* De Guidone isto vide appendicem nostram ad Synopsim Conciliorum Labbei pag. 389.

INDEX.

VBICVNQVE LECTOR INVENERIT numeros Romanos, meminerit his indicari capita præfationis in quibus tractatur de materia notata in hoc Indice.

A

ABbatibus olim non licebat esse Clericis. 517
Abominatio privilegiorum Romanæ Ecclesiæ. VIII.
Abraamius Diaconus. 579
Acacius divino nutu percussus. 96
Acacium revocare cogitabat Anastasius. 448
Accusatio in Episcopum difficilis est. 472
Achilles Statius. 353
Actardus Episcopus Nannetensis. VI.
Adalvvinus Archiepiscopus Iuvavensis. 456. 458. 495. 547
Adalvvinus Archiepiscopus Viennensis 377
Ado Viennensis Archiepiscopus. 376. 380
Adriani Papæ capitula. 491
Adriani IV. epistola. 511
Adrisphaccense Concilium. 429
Ægidius Albornotius Cardinalis. 599
Ætatis pars princeps, juventa. 609
Affinitas quomodo non perimitur. 565
Africani canones de judicandis intra provinciam Episcopis. XIV.
Agiulfus Metensis Episcopus. 486
Agnus Dei. 88
Agni pictura. 82. *& seqq.* 87. *& seq.*
Airardus Archiepiscopus Turonensis. 372
Albertus Pighius notatus. 56. 427. 448
Albinus Viennensis Archiepiscopus. 377. 380
Aldricus Cenomanensis Episcopus. 240. VII.
Alexander Sfortia Cardinalis. 237
Alexandri III. epistola emendata. 487
Alfonsus Imperator Hispaniæ. 278
Altarium redemptio vetita. 480. *& seq.*
Altheum. 542. 569
Alvinus Iovanensis Episcopus. 365
Alvinus Archiepiscopus. 387
Aluminus Iunarensis Episcopus. 378
Amalarij sunt fragmenta de ritibus edita sub nomine Karoli Magni. 231
Amurathes Turcarum Rex deponit imperium. 605
Anastasius secundus ab Ecclesia Romana repudiatus. 55
Anastasius Bibliothecarius. 405
Anathematis & excommunicationis differentia. 192. 197
Andreas Alciatus laudatus. 600
Andreas Schottus. 589. xxx. Ejus reverentia erga memoriam Antonij Augustini. 595. Notatur & excusatur. 640
Andreas Episcopus Nicopolita-

nus. 477
Angilramnus Archiepiſcopus Metenſis. 492. IV.
Angilramni Capitula. 8. 28. 169. IV.
Animus eſt imperator vitæ mortalium. 610
Anſegiſus Abbas Lobienſis. 322. Collector Capitularium. 518. Ejus præfatio corrupta. 438
Anſegiſus Archiepiſcopus Senonenſis. 438. 563
Anſelmus Lucenſis. 5. 6. 62. 271. 278. 602. 616. 640. *& ſeq.* XIX.
Anſelmus pro Aſello. 14
Anſelmus Epiſcopus Lemovicenſis. 540
Antiochenum Concilium hæreticorum. 123
Antiocheni canones quot. 232
Antiocheni Concilij canon interpretatus. 499
Antoninus Florentinus nonnulla reprehendit in Gratiano. 169. 178. *& ſeqq.* 190. *& ſeq.*
Antonius Alteſerra notatus. 481
Antonius Auguſtinus Antonij Archiepiſcopi pater. 634
Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis. 271. 440. 589. *& ſeqq.* 595. *& ſeqq.* 628. *& ſeqq.* XXX. Ejus opera. 638
Antonius Caraffa Cardinalis. 237
Antonius Contius. 425. 616. XXIX. Primus numeros addidit capitibus Gratiani. 203. Ejus fama vindicata. 217. Refellitur. 85. 235. 357. 447.
Antonius Cuccus. 238
AntoniusDemochares. 425. 616. XXIX.
Antonius Vion Herovallius. 551
A paribus, quid ſignificet. 487
Apocryphorum definitio. 446
Apofricum caput. 558
Apoſtolorum regulæ ſive canones. 6
Apoſtolorum canones. 64. *& ſeqq.* 74
Appellationes ad ſedem apoſtolicam damnatæ. iij.
Aprecarenſe Concilium. 508
Aquæ ferventis judicium. 171
Aquiſgranum Imperij ſedes ſub Karolo Magno. 329
Arabici canones Concilij Nicæni quantæ auctoritatis. 110. 236
Arberius Abbas ſancti Ruffi. 528
Archidiaconus an olim auctoritatem habuerit ſuper Archipreſbyterum. 455. *& ſeqq.*
Archipreſbyter an olim ſubjectus Archidiacono. *Ibid.*
ArgentoratenſisEccleſia. 384. 548
Arnaldus Pontacus. 238. 434
Arnaldus Epiſcopus Cenomanenſis. 466
Arnulfus Archiepiſcopus Remenſis. XIV.
Arſenius Legatus Nicolai primi. XI.
Artaldus Epiſcopus Helenenſis. 500
Aruernenſe Concilium editum à Sirmondo. 428
Aruernenſe Concilium. 480
Aſcenſio Domini. 180
Aſellus Romanæ Eccleſiæ Legatus. 567
Aſſumptio ſanctæ Mariæ. 565
Aſtuagenſis Epiſcopus. 464
Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus. 14
Atticus Epiſcopus CP. 181. 188. Ejus epiſtola formata. 470
Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis emendatus. 451
Auguſtino adſcriptus liber eccleſiaſticorum dogmatum. 563
Auguſtinorum familia nobilis Cæſarauguſtæ. 597
Aurei mores decent ſacerdotem. 560
Aurelianenſis Concilij canon emendatus. 561
Auſpiciorum uſus apud Romanos veteres. 46
Azymis Iudæi abſtinent in ſa-

crificio Missæ. 91

B

Baculi Episcoporum aurati. 560
Baptismi ceremoniæ. 227
Baptismus valet à Presbytero indocto collatus. 478
Baptizari vino an possit ægrotus. 200
Baptizare in vino an liceat. 431
Barbam nutrire an Clericis licitum. 445
Barbam Clerici ne nutriant. 453
Barcinonenses Comites. 321
Bartholomæus Archiepiscopus Turonensis. 465
Bartholomæus Brixiensis notatus. 546
Basilicæ. 504
Basilius Zanchus. 611
Beatus Rhenanus notatus. 446
Beati Rhenani votum impletum. 462
Bedæ Pœnitentiale. 564
Benedictus Levita. 312. 328. Ejus collectio diversa à collectione Ansegisi. 43
Benedictio Episcopi in Missa. 561
Belisarius. 532. Ab inferis excitandus. 23
Berengarius Andegavensis Archidiaconus. 345
Bernardi Abbatis Clarevallensis locus insignis. iij.
Bernardus Papiensis. 17. 258. 266. 424. 640. An Gratiano antiquior, 521
Bernardus Rex Italiæ. v.
Biturigensis academia laudata. 601
Bona fides an sufficiat in præscriptione. 194
Bonifacius Moguntinus Episcopus. 232. Legatus Germanicus. 268. Ejus origo unde. 62
Bonifacij IV. decretum. 516
Bononiæ laus. 599
Braulius Episcopus Cæsaraugustanus. 624
Broma. 249. & seq. 253
Brumalia. 250
Bulla, id est, sigillum. 253. 256
Burchardus Vvormacienſis Episcopus. 4. 616. xviii.
Burchardus auctor multorum Gratiani erratorum. xxix.
Burchardus infensus libris Capitularium. 495. 514. 521. & seq. 525. 530. & seqq. 539
Burchardus emendatus. 497
Burchardus notatus. 539. 542
Burdinus Archiepiscopus Bracharensis. 275
Byzacenus Primas. 449. 529
Byzacium, provincia Africæ. 451

C

Cæsaraugustæ casus. 624
Cæsaraugustanus liber. 426
Cæsarij Arelatensis Episcopi homilia quædam laudata. 561
Callisti II. liber de miraculis sancti Iacobi. 278. 436
Callistus II. fratrem habuit in Hispania. 278
Cancellarij dignitas apud Romanos Imperatores. 598
Canonum divisio in decreta Pontificum & statuta Conciliorum. 6
Canon Missæ. 7
Canones Apostolorum. 64. & seqq. 74
Canones condere an spectet ad Romanum Pontificem. 473
Canonici seculares ac regulares. 7. 425
Canonici Clerici. 567
Canonicus ordo. 528
Cœlius Picolomineus Cardinalis. 435
Cœlibatus Latinorum. 91. & seqq. 97. & seq. 112. 193
Cœnæ Domini Missa. 184
Capite velato orare debet mulier. 530. 552
Capitularia confirmata sunt auctoritate apostolica. 322. & seq. 438
Capitulorum imperialium reverentia. 216. 223
Capitula Regum servanda. 323
Capitularium libris multa detra-

cta sunt. 324
Capitularium fons fuere ipsa Concilia. 324
Capitularia Imperatorum. 312
Capitularium etymologia. 327. & seq.
Capitularium libri septem. 322. Corrupti. 53. & seq.
Capitularium præfatio corrupta. 438
Capitulorum regiorum duplex genus. 439. 504
Capitulare Karoli Imp. 551
Capitula Karoli Magni. 518. 525
Capitula regia & synodalia. 239. 504
Cardinales olim esse definebant qui ad episcopatum promovebantur. 294
Cardinare, quid. 470
Carolus Molinæus notatus. 446
Carolus V. coronatus apud Bononiam. 600
Carolus V. imperio se abdicat. 605
Carolus Sigonius. 611
Casaurienſe chartularium. 551
Casus privilegiati origo. 578
Castitatis votum simplex an impediat matrimonium. 194. 198
Castrati an promoveri possint ad ordines ecclesiasticos. 110
Cataloniæ etymon. 506
Cautio communium literarum. 530
Census annuus Episcoporum ex altaribus. 480. & seq.
Cethegus Patritius. 457
Chartarium Romanæ Ecclesiæ. x.
Chrismare pueros in fronte quibus liceat. 191
Chrysostomi nomine abusi librarij. 25
Christophorus Patavinus Generalis ordinis sancti Augustini. 237
Christus matrem suam noluit sacerdotem fieri. 225
Christus & Apostoli propria bona habuerunt. 194
Christus & Apostoli an aliquid habuerint in proprio vel in communi. 429. & seq.
Christus Domini, id est, Episcopus. 535
Chromatius. 25. 30
Cimeliarchus. 296
Claromontanum Cõcilium. 479
Claromontanus canon explicatus. 519
Claromontanum Concilium sub Innocentio secundo 499. 526
Clementis Romani constitutiones. 65
Clementis VI. lectura in Extravagantem *Quia quorundam*. 430
Clericis an liceat habere bona propria. 193. 197
Clericos verberantium pœna. 192. 197
Clerici an litigare possint. 194. 198
Clerici neque comam nutriant neque barbam. 453
Clericis cohabitare quæ feminæ possint. 472
Clericus criminosus curiæ tradendus. 494. 573
Clerici dupliciter inspici possunt. 575
Clericatus est melior gradus. 528
Clero non inferantur homines indocti. 620
Codex canonum. 6. 30
Collectio posita post Concilium Romanum Alexandri III. 373
Comam Clerici ne nutriant. 453
Comiatus, id est, licentia. 550. & seq.
Commater spiritualis. 393
Commeatus, id est, licentia. 550
Commodiani opuscula. 447
Communio eucharistiæ an quotidie accipienda. 185
Communio laïca. 583
Compendiense Concilium. 539. 547. emendatum. 478
Complutensis academia. 598
Conciliorum provincialium dignitas. xii.
Concilij generalis convocatio

pertinet ad ſolum Romanum Pontificem. 82
Concilia œcumenica ſex priora, quæ. 95
Conciliorum generalium enumeratio. 287. & ſeq.
Conciliorum univerſalium & provincialium differentia. 462
Concilij generalis auctoritas. 473. & ſeq.
Conciliorum quatuor œcumenicorum reverentia. 615
Concilium octavum an approbatum à Romanis Pontificibus. 285
Concordantiæ Bibliæ. 5
Concordia diſcordantium canonum. 5. 10. 641
Concubinam quomodo habere liceat. 170
Concubinæ quibus prohibitæ. 281
Confeſſio ſacramentalis an ſit neceſſaria ad remiſſionem peccatorum. 202. 204. & ſeq. 208
Confirmationis miniſtri ordinarij ſunt Epiſcopi. 192
Confirmatio electionis Epiſcopi pertinet ad Metropolitanum. 248
Conjuges an abſtinere debeant ab opere conjugali aliquot diebus ante communionem. 186
Cono Abbas Lirinenſis. 568
Conſanguinitas ſpiritualis. 392
Conſecrationis Eccleſiarum formula. 182
Conſenſus facit matrimonium. 385. 389
Conſtantini donatio. 60. 72
Conſtantini verba de dignitate Epiſcoporum. 577
Conſtantinopolitanum Concilium ſub Photio. 290
Conſtantinopolitani Epiſcopi nomen malè poſitum in titulo cujuſdam epiſtolæ S. Gregorij. 449
Conſtantinopolitani Patriarchæ prærogativa. 101. 105
Conſuetudinis magna vis. 88
Conſuetudines Eccleſiarum diverſæ. 229. & ſeqq.
Conſuetudinem fruſtra opponunt qui ratione vincuntur. 403
Conſuetudo cedere debet manifeſtatæ veritati. 214. 220
Contius. *Vide* Antonius Contius.
Contritio ſola an ſufficiat ad remiſſionem peccatorum. 202. 207
Corpus canonum. 6. 26. 30. 123
Corpus decretorum. 318. 641
Corpus Domini ad probationem furti. 172. 178. 184. 489
Correctores Romani laudati & notati. xxix.
Covarruvias purgavit decretum Gelaſij de libris canonicis & apocryphis. 432
Cretio, quid. 212
Crimina Clericorum eccleſiaſtica & civilia. 576
Criminoſi an promoveri poſſint ad ordines eccleſiaſticos. 201. 207
Crux Domini quando inventa. 61
Curiæ ſerviturus tradatur Clericus criminoſus. 494
Curialium corpus. 573
Curiales ordinati retracti in curiam. 580
Cypriani ſynodus de baptiſmo. 89. 96
Cyriacus CP. Epiſcopus. 449
Cyriacus Epiſcopus Genuenſis. 556
Cyrus Xenophontis. 591

D

DAlmatius Archiepiſcopus Narbonenſis. 463
Damaſi liber pontificalis. 57. 69
Damaſi decretum de libris canonicis. 444
Damaſi epiſtola de Chorepiſcopis falſa. 469. & ſeq.
Davantria urbs Trajectenſis diœ-

cesis. 641
Decimationes. 511
Decretalium epistolarum etymologia. 3
Decretum Yvonis. xx.xxiv.
Decretum Gratiani. xxv. *& seqq.*
Democharis. *Vide* Antonius Democharis.
Deportati amittunt libertatem. 581
Depositio Clerici varias ob causas. 582
Deus-dedit Cardinalis. 202. 270. 616
Diaconi quomodo uxores habere possint. 112
Diaconissa, Diaconi uxor. 126
Diacono ante Presbyterum quando sedere permissum. 90
Diaconis an uxorem ducere liceat. 456
Didacus Covarruvias Segobiensis Episcopus. 49. Purgavit decretum Gelasij de libris canonicis & apocryphis. 231
Didaci Covarruviæ opinio de immunitate Clericorum. 576
Dimissoriæ literæ. 181
Diœceses. 504
Diocesis legendum in libris antiquis, non *diœcesis*. 510
Diocesis, id est, parœcia. *Ibid.*
Disciplina, custos infirmitatis. iij.
Divinationes vetitæ. 115
Divini non consulendi. *Ibid.*
Divortium an licitum inter Christianos. 545
Diurnus liber. 233
Diurnus Pontificum. 433
Dominicis diebus communicandum. 185
Dominicalis super caput. 552
Dominicus Iacobatius. 287
Dos basilicæ. 538
Draco Legislator Athenienssium. 213
Dubitare, trepidare, & labi sæpe delectat. 247
Duodecima manu jurare. 525

E

Ecclesia Gallicana & Germanica. 562
Ecclesiasticum jus quando mutatum. j.
Eduense Concilium. 528
Egabrensis Episcopus. 509
Egara urbs Hispaniæ Tarraconensis. 441
Electionum episcopalium confirmationes pertinebant olim ad Metropolitanos. 183
Electiones Episcoporum quomodo factæ ævo Karoli Magni. 467
Eleutherius Episcopus Bracharensis. 490
Eliberitani canones citati pro Hibernensibus. 564
Eliberri vicus. 500
Emeritense Concilium. 27 31
Engelramus Episcopus. 8. 28
Ennius mortem suam lugeri vetuit. 610
Ennodius. 337
Epaunense Concilium mutatum in Hipponense. 28. 32
Ephesum pro Erphesfurt. *Ibid.*
Ephesino Concilio nonnulla falsò tributa. 512. 515
Epiri Metropolitanus quis. 477
Episcopa, Episcopi uxor. 226
Episcoporum insscitia ævo Karoli Magni. 11
Episcoporum judicia sedi apostolicæ reservata. iv. vii. x.
Episcopi sunt ministri ordinarij confirmationis. 192
Episcopis necessaria linguæ Græcæ cognitio. 182
Episcopi Capitularia in synodis cum Imperatoribus fecerunt. 216
Episcoporum electiones olim confirmabantur à Metropolitanis. 248
Episcopi olim cogebantur quotannis ire Romam. 249
Episcoporum Simoniacorum pœna. 460
Episcopi cujusdam Lemovicen-

fis quæstus sordidus. 466
Episcopum accusare difficile est. 472
Episcoporum fastus & ambitio. 504
Episcopi lignei. 557. *& seq.*
Episcopos decent aurei mores. 560
Episcopi benedictio in Missa. 561
Episcoporum judicia quomodo peragenda. 578
Episcopi petunt veniam pro damnatis. 581
Episcopi sunt sacerdotes primi gradus. 577
Episcopi munus. 617
Epistolæ veterum Pontificum Romanorum suspectæ fidei. 151. 171
Epistola *à paribus*, quid sit. 487
Equitanorum regnum. 541
Erasmus reprehendit Magistrum sententiarum. 545
Eremocomia. 258
Ergasterium. 90
Erphesfurtense Concilium. 32. 513. 515
Eucharistiâ sumptâ, abstinendum aliquot horis ab alio cibo. 185
Eucharistiæ communio an quotidie accipienda. 185. 188
Eucharistia adhibita ad probationem furti. 489
Eugenij II. synodus. 250. *& seqq.* 254. *& seq.* 264.
Eugenius III. dicitur confirmasse collectionem Gratiani. 22.
Eusebius Historicus interfuit Concilio Nicæno. 103
Eusebij Pamphili historia. 445
Eusebius Episcopus CP. 449
Eustachius Lucatellus. 238
Eutychiani decreta. 151. 361. Capitula. 531. 557.
Excepto, per omnes casus. 514
Excerptiones Ivonis. 4. 315. 425
Excommunicationis & anathematis differentia. 192. 197.
Excommunicatis non communicandum. 275
Excommunicationis formula. 507.
Excommunicari se supplicat pœnitens. 549
Exfestucare. 282

F

FAventianum Concilium. 520
Faustinus Legatus Romanæ Ecclesiæ. 15
Fazellus. 602
Felix Montaltus, Papa Sixtus V. 237
Feminæ quæ possint habitare cum Clericis. 472
Ferrandus Diaconus. 549
Ferri candentis judicium. 171
Flaventiæ Concilium. 520
Florentia, Etruriæ metropolis. 602
Florentinum Concilium an verè dicatur octavum. 284. *& seq.*
Formatæ literæ. 181. 187
Fortuna populi Romani. j.
Forum judicum. 321. 437
Franciscus Alciatus Cardinalis. 237
Franciscus Leo. 238
Franciscus Pegna. 238. 434
Franciscus Turrianus. 64. 236. 238
Franciscus Ximenius Cardinalis. 635
Franco Episcopus Leodiensis. 493
Francorum Regum tertiæ familiæ auctor Hugo Capetus. xvi.
Fratria. 505
Frontarius Archiepiscopus Bituricensis. 383
Fulbertus Episcopus Carnotensis. 312. *& seq.*
Fulgentius Episcopus Astigitanus. 15
Funebres laudationes. 591
Funerum ambitio. 594
Furti Missa. 172.

G

GAbriel Faërnus. 611
Galli qui in libris Capitularium. 505
Galliæ & Germaniæ Episcopi. 228. 562
Gallicanæ Ecclesiæ sententia de auctoritate Concilij generalis. 474
Gálliciæ Presbyteri. 34. 42
Galliciæ vox retinenda in canone Toletano. 504
Garsias Padilla. 635
Gaufredus de Monte electo Abbas Lirinensis. 473. & *seq.*
Gaufredus Comes Ruscinonensis. 542
Gebehardus Episcopus Constantiensis. 501
Gebehardus Episcopus Iuvavensis. 498
Gelasij epistola ad Dardanos. 139
Gelasij decretum de libris canonicis. 444
Gennadij liber ecclesiasticorum dogmatum. 563
Genuense Concilium. 35. 42
Gerardus Archiepiscopus Turonensis. 372
Gerardus Episcopus Morinensis. 481
Germaniæ & Galliæ Episcopi. 228. 562
Gerontocomia. 258
Gerundensis cujusdam canonis variæ lectiones. 564
Gilardus Episcopus Nannetensis. 496
Girardus Leodiensis. 493
Godefridus Episcopus Lucanus. 533
Goffridus Abbas Vindocinensis notatus. 479. & *seq.*
Gothi qui in libris Capitularium. 329. 506
Gothicæ legis liber. 314. & *seq.* 321
Gotholenses. 506
Græci libri num rejiciendi. 120
Græcæ linguæ cognitio necessaria Episcopis. 182
Græcæ literæ perpaucorum hominum semper fuerunt. 600
Gratiani Decretum emendatum Romæ. 2. 10
Gratianus compilator insignis. 8
Gratiani scripta licet contemnere. 22
Gratiani Decretum. 423. xxv. & *seqq.*
Gratiani collectione nihil opus est. 111.
Gratianus homo stupidus. 190. Singula sumpsit ex antiquis collectionibus. 173
Gratianus maximè aberrat in Pontificum Romanorum nominibus. 51
Gratiani scopus fuit omne genus decretorum referre. 172
Gratianus plurima habet non recepta aut abrogata. 190
Gratianus supervacanea multa habet, quæ tamen legenda sunt. 183
Gratiani ævum. 309. & *seq.* 317
Gratiani an sint tractatus de pœnitentia & de consecratione. 203
Gratianus non vidit Concilia neque regiſtra Pontificum. 34
Gratianus habuisse videtur cognitionem Pannormiæ. 213
Gratianus defensus. 448. 452
Gratianus Græcè nescivit. 536
Gratiani collectio. 616
Gratitudo Conciliorum erga Romanam Ecclesiam. 473
Gregorius IV. patrocinium suscipit Aldrici Episcopi Cenomanensis. VII.
Gregorij IV. epistola ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. 228. 240
Gregorius Presbyter auctor Polycarpi. 160. 561
Gregorij I. Papæ epistolæ quomodo divisæ antiquitus. 485. 569
Gregorij I. Papæ fragmentum ex epistola ad Venerium. 558

Gregorius XIII. Papa olim Iuris Anteceſſor. 237. 616. Laudatur. 608
Guarnerius Epiſcopus Merſeburgenſis. 463
Guido Epiſcopus Elnenſis. 642
Guido Ferrerius Cardinalis. 237
Guiliſarius. 23. 29. 532
Guillelmus Sirletus Cardinalis. 237
Guillelmus Durandi emendatus. 444
Guillelmus Epiſcopus Cadurcenſis. 519
Guillelmus Marchio. 534
Guimundus Epiſcopus Averſanus. 214. 220. 444
Gunebodigni. 531

H

H *Abet jurare*, pro *Iuraturus eſt*. 532
Hadriani I. capitula ad Angilramnum. 169. IV. Ejus fragmenta de imaginibus. 405
Hadrianus II. Nicolai ſucceſſor. 24
Hadrianus VI. Papa oderat poëtas. 445
Hæreſiarchæ vocati qui de ſede apoſtolica certabant adversùs Papas. 275
Hæreſis quænam ſit major. 430
Hæreſis opinio quomodo purganda. 484
Hæreſis Veſtorina. 567
Hæreticorum duplex genus. 200. 206
Helena Conſtantini mater. 61
Helenenſis Eccleſia ſuffraganea Eccleſiæ Narbonenſis. 500
Heliſæus. 508
Henricus Auceps nullum negotium habuit cum Papis. 467
Herardus Archiepiſcopus Turonenſis. 485
Heribaldus Epiſcopus Autiſſiorenſis. 539
Herimannus Epiſcopus Nivernenſis. x.
Hermannus Conringius laudatus. 492
Hermetis liber vocatus Paſtoris. 63. 74
Hiberiæ Epiſcopi. 41. 46
Hibernenſe Concilium. 160. 164. 531
Hibernenſes canones citati ſub nomine Eliberitanorum. 564
Hiberniæ Epiſcopi ſublati è quodam loco ſancti Gregorij. 566
Hieronymi locus de Epiſcopis & Preſbyteris. 172
Hieronymus emendatus. 451. 475
Hieronymi inſignis locus de Epiſcopis. 472
Hieronymi ſermo de Aſſumptione B. Mariæ. 566
Hieronymus Oſorius. 630
Hieronymus Pariſetus. 238
Hieronymus Zurita. 426. *& ſeq.*
Hilarius Pictavienſis explicatus. 535
Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus. 4
Hincmarus Epiſcopus Laudunenſis. IX. XII. *& ſeq.*
Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis. 443. XII.
Hincmari nomen variè ſcriptum olim. 230
Hincmari Remenſis epiſtola quædam nondum edita. 488
Hincmari epiſtola ad Aquitanos. 547
Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis impugnat primatum Anſegiſi Senonenſis. 563
Hipponenſe Concilium pro Epaunenſi. 28. 32
Hiſpanicum iter. 279. 533
Hiſpani qui in libris Capitularium 506
Hiſtoria quomodo facta mendoſa. 591
Homicidij clauſula in canone apoſtolico. 471
Homiliarium Eccleſiæ Lugdunenſis. 565
Homines omnes ſubditi Regum imperio. 575
Honos alit artes. 165
Hormiſdæ decretum de libris canonicis. 444

Hostiæ pars utrum servanda ad viaticum dandum infirmis. 185
Hostolenses. 506
Hudo Episcopus Trevirensis. 523
Hugo Capetus. xvi.
Hugo Catalanensis. xx.
Hugo Episcopus Diensis. 528
Hugo Episcopus Gratianopolitanus. 554
Huguccio, auctor glossæ. 310. 317
Humanitatis studia laudantur. 612
Humbertus Cardinalis. 66. 76. 91. 93. 98. 233
Hunfredus Morinensis Episcopus. 369. 377. 497
Hydroparastatæ. 101
Hypodiaconissa, uxor Hypodiaconi. 226

I

IAcobus Cujacius Iurisconsultorum coryphæus. 601. 614. Notatus. 452. 543
Iacobus Gothofredus notatus. 553
Iacobus Sirmondus. 429
Iacobus Vvymphelingius notatus. 543
Iactantia corporalis à sacro ordine aliena sit. 104
Ibas Episcopus Edessenus. 579
Iberiæ Episcopi apud sanctum Gregorium. 41. 46. 566
Ilerda pessimè interdum scripta apud Gratianum. 36
Illiberis. 500
Imaginariæ scripturæ. 104. 428
Imaginibus quare usi veteres. 89
Imagines majorum gestatæ in funere. 594
Immunitas Clericorum unde orta. 575
Imperatorum lex non est supra legem Dei. 222
Impunitatis campus apertus Episcopis. viii.
Indictiones erant in usu tempore Concilij Nicæni. 182
Indocti in clerum non admittendi. 620
Innocentij III. lapsus de Concilio octavo. 289
Innocentius III. emendatus. 437
Inscriptiones capitum falsæ apud Gratianum. 146. 156. 165. 169
Investes. 567
Ioannæ Papissæ historia. 432. Vnde orta ea fabula. 454
Ioannis XV. ira adversùs Episcopos qui Arnulfum Remensem deposuerant. xv.
Ioannis Andreæ liber de vita & laudibus beati Hieronymi. 35
Ioannes Balæus notatus. 441
Ioannis Baptistæ pictura digito agnum ostendentis vetita. 88
Ioannes Bona Cardinalis. 560
Ioannes Cochlæus. 344. 383
Ioannes de Davantria. 641
Ioannes Gruterus. 630
Ioannes VII. femina. 217. 225
Ioannes Mabillonius. 570
Ioannes Marsa. 238
Ioannes Merellus. 602. 611
Ioannis Pierij liber pro sacerdotum barbis. 454
Ioannes Quintinus notatus. 447
Ioannis III. epistola de Chorepiscopis falsa. 469
Ioannes Episcopus Ravennas. 380. 558. 546
Ioannes Teres Archiepiscopus Tarraconensis. 426. 616
Ioannes Episcopus Vivanensis. 527
Ioannes Episcopus Viennensis. *Ibid.*
Ioannes Vallensis. 640
Ioca. 567
Iosephus Pamphilus. 238
Irregularitatem quædam crimina inducunt. 201
Isidorus Episcopus Hispalensis. 13
Isidori præfatio Conciliorum. 65. 75
Isidorus Mercator sive Peccator. 66. 75. 428
Isidorianæ Pontificum epistolæ cujus auctoritatis. 264 353

Isidori synonima. 366
Isidorus Hispalensis Episcopus emendatus. 455
Italia disciplinarum parens. 598
Iudex an peccet exigens sacramentum ab eo quem scit falsò juraturum. 195
Iudicium divinum. 171
Iudiciarius ordo non requiritur in notoriis & manifestis. 192. 196
Iudicibus secularibus vetita cognitio Clericorum. 580
Iulianus Pomerius. 534. 549
Iuliani præclarè dictum. 615
Iulius Papa non fuit temporibus Iustiniani. 27
Ivo Episcopus Carnotensis. 4. 6. 616. xx. *& seqq.* Reginonis collectione usus. 470
Iurare quomodo oporteat aut liceat. 182. *& seq.*
Iurare falsò cogens ita peccat ut is qui pejerat. 195. 198
Iurare cum duodecim. 525
Iurisconsulti perfecti munus. 611
Ius canonicum sive pontificium. 7
Ius ecclesiasticum quando mutatum. j.
Ius naturale & gentium. 211
Iusjurandum an illicitum ejus qui juravit se nunquam Clerici tonsuram aut monachi habitum accepturum. 193. 198
Iustinianus non imminuit immunitates Episcoporum. 577
Iuvavum sive Saltzburgum. 527
Iuvenci laboriosum opus. 37. 44
Iuventa, pars ætatis princeps. 609

K

Kalendas Ianuarias colere vetitum. 249. *& seq.* 253
Karolus Archiepiscopus Moguntinus. 387
Karolus Calvus. 344. Removit regias legationes ab electione Romani Pontificis. 467. Delectabatur jocis Herimanni Episcopi Nivernensis. x.
Karoli Magni liberi, nepotes, & pronepotes referuntur. 343. Ejus Capitula. 518. 525
Karolus Martellus æternaliter perditus. 326

L

Labi sæpe delectat. 247
Lælius Taurellus. 602
Lævinus Torrentius laudatus. 592
Laïca communio. 383
Laïcis quando permissum discedere à Missa. 561
Lambertus Episcopus Atrebatensis. 519
Larvæ dæmonum. 568
Lateranense Concilium sub Calliste secundo. 282
Latinus Latinius. 238. 282. 611. 632
Lazarus Bonamicus. 602
Leander Episcopus Hispalensis. 13
Legatorum sedis apostolicæ gloriosum facinus. xvi.
Lemovicensis cujusdam Episcopi quæstus sordidus. 466
Leo Abbas Legatus in Gallia. xv.
Leodegarius Episcopus Augustodunensis. 577
Leonis I. epistola de Chorepiscopis falsa. 469
Leoni III. vindicata quædam epistola. 492
Leo IV. promittit se servaturum Capitula imperialia. 216. 222. Ejus epistola ad Episcopos Britanniæ. 449. Synodus. 250. *& seq.* 254. *& seq.* 264. *& seqq.*
Leonis IX. epistola adversùs monachos. 511. 569
Leoniana civitas. 266. *& seq.*
Lex Imperatorum non est supra legem Dei. 222
Lex mundana. 524
Liber magnus, magnum malum. 603
Librariorum imperitia, fons multorum erratorum. 165
Librariorum veterum mos. 526

Licentiæ cupido robur tribuit suppositiciis Paparum epistolis. iij.
Lignei sacerdotes. 559
Litania Domini. 180
Litaniæ ante Ascensionem. 562
Litigare an Clerici possint. 194. 198
Litteræ dimissoriæ 181
Litterarum communium cautio. 530
Locus vacuus relictus in Concilio Trullano pro subscriptione Romani Pontificis. 102.
Lotharij & Theutbergæ causa. 344
Lotharius Imperator 605. Quando factus Imperator. 435. v.
Ludbertus Archiepiscopus Moguntinus. 488
Ludifredus Episcopus Cordubensis. 455
Ludovicus Pius dividit regnum suum inter filios. v.
Ludovicus II. quando factus Imperator. 435
Ludovicus Gometius. 271. 604

M

Magnus Episcopus Astigitanensis. 16
Mansencallus primus Præses Tolosanus. 458
Mansionaticum. 502
Mansiones. *Ibid.*
Manuscriptis codicibus quomodo utendum. 199
Manuscriptorum librorum auctoritas & usus. 431
Marculfus emendatus. 522
M. Ant. Columna Cardinalis. 237
M. Varro, togatorum doctissimus. 624
Maria Angliæ Regina. 604
Marianus Victorius. 238
Marianus Socinus minor. 601
Martini Papæ Concilium. 8. 108. & *seqq.* 173.
Martini Bracharensis collectio. 109. 137. & *seq.*
Martyrologium Osvvaldi. 372. 441
Maso Episcopus apud Isidorum. 39. 45. 461
Massanus Episcopus apud Isidorum. 39. 45
Matricuria. 458
Matrimonium an impediatur simplici voto castitatis. 194. 198
Melchiadis epistola ad Episcopos Hispanienses. x. & *seq.*
Melchiadis Papæ decreta. 60
Melchior Cornelius. 238
Mellitus Episcopus Londoniensis. 516
Melphiense Concilium. 40. 45. 465
Memoria Iurisconsultorum est propria. 614
Memphis. 370
Menna Episcopus Tolosanus vel Tolonensis. 486. 568
Mensium Romanorum & Græcorum nomina convenire simul non possunt. 116
Metropolitani olim confirmabant electiones Episcoporum. 183. 248
Michaël Thomasius Episcopus Ilerdensis. 26. 66. 238. 271. 616
Michaëlis Thomasij librorum index. 282
Missa Cœnæ Domini. 184
Missa integra audienda. 561
Missarum solitariarum abusus. 560
Monachi non osculentur mulieres. 440
Monachis interdicta olim accusatio adversùs Episcopos. 495
Monachorum quies. 516
Monasteriis inclusi Clerici depositi. 583. & *seq.*
Monomachia. 393. 398
Monophysitæ positi pro Monothelitis. 41. 46
Monothelitæ damnati. 40. 79
Mores aurei decent sacerdotem. 560
Mortui laudantur. 593
Mortui laudandi. 624

Muciorum gens laudata. 601
Mulier oret velato capite. 530. 552
Mulier soluta à lege viri. 545
Mulier velari non potest sine consensu viri. 550
Mulieres viros docere non præsumant. 454
Mundana lex. 524
Mutatio personarum. 481

N

Nachor pro *Sochor* legendum apud Gratianum. 369. 373
Nannetense Concilium. 51
Nannetensis Concilij an 419. capitula. 501
Narbonensis Archiepiscopus olim conveniebat ad Concilia Toletana. 42
Narbonensis Gallia aliquando dicta Gothia. 321
Nemausense Concilium. 419. 479
Neophytorum hæresis. 477
Nepesinus Episcopus. 34
Neubrigensis Episcopus nullus fuit. 463
Nicænum Concilium quo tempore habitum. 60. 234. 243
Nicæni Concilij plures olim fuerunt canones quàm nunc extent. 162. Eorum numerus. 235. 242. *& seq.*
Nicasius Episcopus Culusitanus. 24. 29
Nicolaus I. non interfuit ulli Concilio Carthaginensi. 24. Ejus virtutes. VIII.
Nicolai II. decreta. 535
Nicolaus Ormanetus Episcopus Patavinus. 271
Nicomeditanus Episcopus. 477
Nicopolitanus Episcopus. 477
Nomenoïus Dux Britanniæ 496
Nomocanones. 6
Notitia provinciarum MS. 451
Notoria non requirunt examen. 192. 196.
Nuptiæ legales. 95 99. 437
Nuptiæ sine consensu partium nullæ sunt. 385. 389

O

OBstetricum manus. 537
Octavius Pantagathus. 611
Olbertus Abbas Gemblacensis. XVIII.
Ollegarius Archiepiscopus Tarraconensis. 463
Ominum lex. 371
Omuli joca. 568
Onuphrius Panuinius. 611
Osca, antiquissima Hispaniæ academia. 606
Osius filius Stephani Subdiaconi. 57. 69
Ostiensis Episcopi prærogativa. 294
Otfridus monachus Vvissæburgensis. 488
Osuvaldi Episcopi Martyrologium. 372. 441

P

PAlatium Pincis. 23. 29
Palea. 13. 16. *& seq.* 20 426
Pallij prærogativa. VI.
Pandectæ Florentinæ. 602
Pandectæ Iustiniani. 616
Pannormia Ivonis. 4. 6. 10. 58. *& seq.* 66. 213. 278. 315. 394. 570. XX. *& seqq.*
Papæ nomen olim commune. 58. 109
Papia lex. 47. 52
Paratæ. 502
Paranymphi. 541
à Paribus, quid significat. 487
Parisiorum urbs Imperij sedes sub Karolo magno. 329
Parœciales Presbyteri. 503
Paschalis primi sententia de consecratione. 38. 44
Paschasius pro Paschali frequenter positus. 38
Pastoris liber. 63. 73. 426
Pastoris sententia timenda. 193. 197
Patriarcharum antiquus numerus. 452
Paulini Aquileiensis epistola ad Heistulfum, 547

Paulus an interpretatus fuerit leges Theodosianas 58
Paulus Diaconus an auctor homiliarij. 565
Paulus Parisius celebris interpres juris pontificij. 600
Paulus Manutius. 611
Peccatum minus facere an liceat. 190
Peccata latentia. 431. Non habent vindictam. 545
Pelagij II. epistola nona falsa. 470. 562
Perjurare melius quàm *pejerare*. 488. 531
Perpinianum translata sedes Episcopi Helenensis. 501
Personarum mutatio. 481
Petrus Albignanus. 423 XXVII.
Petrus Augustinus Episcopus Oscensis. 606
Petrus Beneventanus. 640
Petrus Ciaconius. 26. 66. 238. 272. 312. 383. 617
Petrus Damiani, 344. 560
Petrus Galesius. 245
Petrus Lombardus. 310. An Gratiani frater. 202. Notatus. 545
Petri de Marca dissertatio. 573
Petrus Pithœus. 321
Petrus Presbyter nominatur ante duos Episcopos Legatos Ioannis in synodo octava. 294. *& seq.*
Petrus Rogerij, postea Clemens VI. Papa. 430
Petrus Victorius. 602
Petri exceptiones legum Romanarum. 425
Photius Episcopus CP. 286. Auctor Bibliothecæ. 33
Phratea. 505
Φρατρία. *Ibid.*
Pibo Episcopus Tullensis. 465. 501
Pierij Valeriani liber pro sacerdotum barbis. 445
Pij II. oratio quædam emendata. 448
Pincianum palatium. 533
Placentinum Concilium. 526
Plenaria synodus. 475
Pœnitentes quidam facere debent 115
Pœnitens supplicat se excommunicari. 549
Pœnitentiæ sacramentum à Christo institutum. 202
Pœnitentiale Bedæ. 564
Poëtarum odium ævo Pierij. 245
Polybius scriptor prudentissimus. 608
Polycarpi auctor Gregorius Presbyter. 160. 361
Pomœrium Ecclesiæ Ravennatis. 317
Pompeij celeritas in bellis conficiendis. 622. Ejus magna laus. 626
Pomponius Iurisconsultus. 615
Pontanolensis Ecclesia. 511
Pontificalis liber. 57. *& seq.*
Pontificalis liber non editus 309
Poppæa lex. 47. 52
Porta speciosa. x.
Porticani. 279
Præcursoris pictura digito agnum ostendentis vetita. 88
Præscriptio triginta annorum. 194
Præsentatio Presbyterorum ad Ecclesias parœciales unde orta. 519
Presbyter non legalibus nuptiis initiatus. 95
Presbytera, Presbyteri uxor. 226
Presbyteri occisi pœna. 171
Presbyteri iidem olim erant cum Episcopis 172
Presbyteri an possint chrismate signare pueros in fronte. 191
Presbyter indoctus qui baptizavit. 478
Presbyteri parœciales. 503
Presbyteri quomodo judicandi. 578
Prestis vox reddita canoni Toletano. 521
Primas, id est, Legatus apostolicæ sedis. 563.
Prioratuum venditiones vetitæ. 481
Privilegia

Privilegia sedis apostolicæ favorabilia Episcopis. VIII. X.
Privilegiati casus origo. 578
Privilegium clericale. 584
Profuturus Episcopus Brachar enſis. 490. 522. 559
Prospero tributi libri de vita contemplativa. 534. 549
Publius Scipio Æmilianus. 596
Pyrrhus Ligorius. 611

Q

QVadragesimæ jejunium quando inceptum inter Clericos. 179. 186
Quiricus Episcopus in Iberia. 566
Q. Cæcilij Metelli illustre facinus. 596
Q. Catulus. 626
Q. Mutius Scævola. 614

R

RAdoldus Argentoratensis Episcopus. 384
Radulfus Bituricensis Archiepiscopus. 383. 392
Rambulas Episcopus Edessenus. 27. 31
Raptoris pœna. 582
Rathbodus Archiepiscopus Trevirensis. XVII.
Ratholdus Episcopus Argentoratensis. 548
Ratione victi consuetudinem frustra opponunt. 403
RavennatisEcclesiæ pomœrium. 317
Redemptio altarium vetita. 480. & seq.
Reginaldus Polus Cardinalis. 604
Regino Abbas Prumiensis. XVII.
Reicherspergensis Chronici auctor notatus. 468
Remense Concilium adversùs Arnulfum. XIV.
Reservationes Ecclesiarum cathedralium. 183
Restituta restituta apud Gratianum. 553
Rhodanius Episcopus Tolosanus. 535
Riculfus Archiepiscopus Moguntinus. 574. ij.
Ridelli nomen restitutum apud Gratianum. 543
Rodomum pro Rotomago. 486
Rogæ. 258. & seq.
Rogationes. 180. 187
Roma superior. 452
Roma urbium domina. 604
Romani Correctores laudati & notati. XXIX.
Romanæ Ecclesiæ chartarium. X.
Romani veteres nihil magnum, nisi auspicatò, inchoare solebant. 46
Romani Pontificis solius est convocare generalem synodum. 82.
Romani Pontifices sibi reservaverunt provisiones Ecclesiarum cathedralium. 183
Romani Pontifices aliquot mali fuerunt. 225
Romani Pontificis subscriptioni locuus vacuus relictus in Concilio Trullano. 428
Romanus Pontifex an habeat omnia jura in scrinio pectoris sui. 459
Romani Pontificis electio olim fieri non poterat extra præsentiam Missorum Imperatoris. 467
Romani Pontificis auctoritas in Concilio. 475
Romipetæ. 280.
Romulus Amasæus. 602
Rothadus Episcopus Suessionensis. 336. VIII. X. & seqq.
Rothomagense Concilium. 497
Rusticus Episcopus Narbonensis. 517

S

SAcerdos, id est, Episcopus. 561
Sacerdotes lignei. 559
Sacerdotij meritum unde. 560
Sacerdotes primi gradus, Episcopi. 577
Sacerdotum vita solutior. 607.
Sacramenta à jejunis præstanda. 182. 184.

Sacramentum Episcoporum. 248
Sacrilegij lex à Ioanne VIII. edita. 314. & seqq. 320. 524.
Salomon Constantiensis Episcopus. 392. 395. 397
Salomon Rex Britonum. 494
Sanctius Rex Aragonum. 49. 54. 543
Sanctuaria, id est, reliquiæ sanctorum. 559
Sardicensis Concilij auctoritas. 200
Sardicenses canones pro Nicænis habiti. 233. 432
Saxones in Britanniam insulam olim migrarunt. 62
Scander-Berg. 13
Scientiæ atque veritatis præmium. 166
Scoti Episcopi. 478
Scyllacæum. 50
Sedulij paschale opus. 445
Segefredus pro Sigeberto. 267. 435
Selemselitanus Episcopus. 516
Sententia pastoris timenda. 193. 197
Septimunicense Concilium. 468
Servitia curiæ non possunt pœnæ loco censeri. 574
Servituti adjuncta pœna deportationis. 581
Servius Sulpicius. 613
Siciliæ laus. 606
Sigebodus Archiepiscopus Narbonensis. 315. 524
Sillitanus Episcopus. 516
Silverij Papæ epistola supposititia. 533
Silvestri secundi decretum. 459
Simoniacorum Episcoporum pœna. 460
Siricio perperam tributa constitutio Stephani secundi. 431
Siseburus Rex Hispaniæ. 49
Sisemundus positus pro Sisenando. *Ibid.*
Sisenandus Rex Hispaniæ. *Ibid.* & 566
Smaragdus an auctor homiliarij. 565
Sochot malè scriptum apud Gratianum pro *Nachor*. 369. 373
Socinorum familia clara Patavij. 601
Solaria. 296. & seq.
Solon legislator Athenienſium. 213. 593. 615
Somniorum lex. 371
Statuæ intereunt. 592
Statuta Ecclesiæ antiqua. 453
Stephani I. decretum adversùs laïcos. 436
Stephanus Tornacensis emendatus. 529
Subdiaconi abstinere debent ab uxoribus. 92. 94. 113. 118. 538
Subdiaconi gradus dimissus. 517
Subdiaconissa, uxor Subdiaconi. 226
Suppréstis significat superstitem. 521
Symbolum fidei quantæ auctoritatis. 22
Synodus provincialis cognoscit de criminibus Clericorum. 576. An congregari possit sine auctoritate Romani Pontificis. VIII.
Synodus sexta non fecit canones. 78. & seq 82. 86.
Synodi generalis convocatio pertinet ad solum Romanum Pontificem. 82
Synodorum universalium & provincialium differentia. 462
Synodus perfecta. 475
Synodus parœciana. 557
Synodalis causa. 557

T

TAlamascæ. 568
Tarraconensis liber. 427
Tarraconense Concilium ab Antonio Augustino celebratum. 618
Telo urbs Galliarum. 486
Terracona pro Tarracone. 16
Thado Archiepiscopus Mediolanensis. 373
Theodorus Mopsuestenus. 27. 31. 50
Theodori Pœnitentiale. 523

Theodosianæ leges. 58. 70
Theodulfus Episcopus Aurelianensis. 151. 168. v. & seq.
Theophrasti querela adversus Naturam. 609
Thomas Manricus. 237
Thomas Archidiaconus Spalatensis. 454
Thraces pueros recens natos lacrymis excipiebant. 610
Toga armis præstantior. 597
Toletanus canon emendatus. 521
Tolona urbs Galliarum. 486
Tractatus ordinandorum. 453
Trecense Concilium sub Ioanne octavo. 523
Trecense Concilium sub Paschale secundo. 521
Tres tabernæ. 51. 55
Treuga. 535
Tribonianus. 613. 616
Triburienses canones à Regione relati. 513. 523. 525
Tricassinum Concilium. 313. & seq. 320.
Tridentinum Concilium. 607
Triginta annorum possessio. 481
Trullanum Concilium 77. 100
Tuitio concessa euntibus ad bellum sacrum. 535
Tutelense monasterium. 519

V

Valerianus Episcopus Martyr. 42
Varense Concilium. 513
Vdalricus Episcopus Augustanus. 557
Velato capite orare debet mulier. 530. 552
Venerius Episcopus Calaritanus. 558
Veritatis & scientiæ præmium. 166
Veritati manifestatæ consuetudo cedere debet. 214. 220
Veritas à quibusvis erui non potest. 613
Vermeria diversa à Vvormatia. 543
Vermerience Concilium. 539. & seq.
Vervecum pelles atramento denigratæ. 493
Vestorina hæresis. 567
Viaticum. 185
Viduarum ministerium in Ecclesia. 226
Vigilij Papæ epistola ad Eutherium. 158. ad Profuturum. 490
Viglius Zuichemus laudatur. 601
Vilisarius. 532
Vincentius Hispanus. 423
Vinum aqua mixtum oblatum à Christo. 105
Vino ægrotus an possit baptizari. 200. 431.
Vir corporis sui potestatem non habet. 476
Virginitas occiditur inter manus obstetricum. 537
Virtus seipsa contenta est. 166
Virtus clara æternáque habetur. 592
Visitatio diœceseon. 504
Vitalis Presbyter Brixiensis. 482. & seq. 541
Vitreis usus Ant. Augustinus ob malam oculorum valetudinem. 623
Vivariensis Episcopus nunquam fuit metropolitanus. 498
Vlgerius Episcopus Andegavensis. 480
Vniformis epistola. 487
Vomeres ferventes. 171
Vrbanense Concilium. 539
Vsuræ vetitæ Christianis. 117
Vuæ non addendæ oblationibus. 100
Vvaldrada concubina Lotharij. 344
Vvenilo Archiepiscopus Senonensis. x.
Vvernerus Episcopus Merseburgensis. 463
Vvigo. 515
Vvilfredus Morinensis Episcopus. 376
Vvillermus Marchio. 534
Vvimundus Episcopus Aversanus. 443

Vvirigildum. 48. 53. 525
Vviſigothorum leges. 438
Vvormacienſe Concilium. 169
Vvormatia diverſa à Vermeria. 543
Vxor victa coëundi deſiderio ne celet virum. 476

X

Xenophontis Cyrus. 591
Χρυσόστομον Imperatorum Græcorum. 253. 256

Z

Zachariæ Papæ epiſtola ad Theodorum. 541. Ad Pippinum emendata. 558
Zachariæ falsò affictum caput quoddam. 545
Zoſimus Papa emendatus. 451

FINIS.

ERRATA.

IN PRÆFATIONE.

CAp. XIX. pag. 2. lin. 24. pro *videnter* lege *videntur*.
Cap. XXVIII. lin. 7. pro *titulis* lege *titulus*.

IN DIALOGIS ET IN NOTIS.

PAg. 2. lin. 19. leg. *quibuſque, quo*
Pag. 3. lin. 25. leg. *Decreti, juris*
Pag. 4. lin. 1. leg. *inſcriptione. Ne*
Pag. 7. lin. 15. leg. *Canon. Canonicos*
Ibid. lin. 32. leg. *rerum. quæ*
Pag. 8. lin. 32. leg. *ſcientibus, admir.*
Pag. 9. lin. 28. leg. *lucubrationibus, ref.*
Pag. 13. lin. 4. leg. *Sunt qui*
Pag. 20. lin. 12. leg. *Magunti-nenſi. Et*
Pag. 26. lin. 21. leg. *Conſtantinopolitanorum, Chal-*
Pag. 27. lin. 19. leg. *thematiza-vit. Pro*
Ibid. lin. 30. leg. *inconſuetè.*
Pag. 31. lin. 29. leg. *in eodem*
Pag. 33. lin. 17. leg. *ſcribe Phoetium. C.*
Pag. 36. lin. 28. leg. *cap. c. ſive*
Pag. 37. lin. 19. leg. *Item Vincentij*
Pag. 50. lin. 26. leg. *temporibus. Theod.*
Pag. 51. lin. 3. leg. *Tarraconenſis. Non.*
Pag. 53. lin. 39. leg. *ne eſt: In Conc.*
Pag. 72. lin. 30. leg. *actorum*
Pag. 95. lin. 29. leg. *guineorum, aut*
Pag. 251. lin. 11. leg. *caput duodecimum.*
Pag. 302. lin. 29. leg. *certiorem B. noſter*
Pag. 321. lin. 3. leg. *deſierant.*
Pag. 481. lin. 12. leg. *monaſterij, tum etiam omnia*
Pag. 544. lin. 17. leg. *adulterum*
Pag. 638. lin. 4. leg. *illuſtrati.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ANT. AVGVST.
DE EMENDAT.
GRATIANI.

Th
4831

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN